# COLLATIONES BRUGENSES.

# Collationes Brugenses

OPUS PERIODICUM

auctoritate Ill^mi ac Rev^mi Episcopi Brugensis

ET OPERA

RR. DD. Professorum Maj. Sem. Brugen.

EDITUM

*Labia sacerdotis custodient scientiam*

MAL., II, 7

TOMUS IV

BRUGIS FLANDRORUM

Typis Ad. Maertens-Matthys

MDCCCXCIX

v. 4
1899

DK

Collationes Brugenses

# CONSTITUTIO APOSTOLICA

DE

# LEGIBUS JURIBUS

AC PRIVILEGIIS

# SODALITATIS A SS. ROSARIO

## LEO EPISCOPUS

### SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Ubi primum, arcano divinæ providentiæ consilio, ad supremam Petri Cathedram fuimus evecti, oblato conspectu ingruentium in dies malorum, Apostolici muneris esse duximus expediendæ salutis agitare consilia ac studere, quibus maxime modis Ecclesiæ tutelæ et catholicæ fidei incolumitati prospici posset. — Inter hæc ad magnam Dei Matrem eamdemque reparandi humani generis consortem ultro animus convolavit, ad quam trepidis in rebus confugere catholicis hominibus præcipuum semper ac solemne fuit. Cujus fidei quam tuto sese crediderint, præclara testantur ab ipsa collata beneficia, inter quæ plura constat fuisse impetrata per probatissimam illam precandi formulam titulo *Rosarii* ab eadem invectam et Dominici Patris ministerio promulgatam. — Solemnes autem honores eo ritu Virgini habendos summi Pontifices decessores Nostri haud semel decrevere. Quorum Nos etiam æmulati studia, de Rosarii Marialis dignitate ac virtute satis egimus copiose, Encyclicis Litteris pluries datis, vel inde a kalendis Septembribus anni MDCCCLXXXIII, cohortantes fideles, ut, sive publice sive suis in domibus,

saluberrimum hoc pietatis officium augustissimæ Matri persolverent et Marianis ab eo titulo Sodalitatibus sese aggregarent. Ea vero omnia nuperrime, datis litteris die v Septembris hujus anni, veluti in unum collecta, paucis memoravimus; simulque consilium Nostrum patefecimus edendæ *Constitutionis* de juribus, privilegiis, indulgentiis, quibus gaudent qui piæ isti Sodalitati dederint nomina. Nunc vero ut rem absolvamus, votis obsecundantes Magistri generalis Ordinis Prædicatorum, Constitutionem ipsam edimus, qua leges de hujusmodi Sodalitate latas, itemque beneficia recensentes a summis Pontificibus eidem concessa, modum decernimus quo in perpetuum salutifera hæc institutio regatur.

I.

Sacratissimi Rosarii Sodalitas in eum finem est instituta, ut multos fraterna caritate conjunctos per piissimam illam precandi formulam, unde ipsa consociatio nomen mutuatur, ad beatæ Virginis laudationem et ejusdem patrocinium unanimi oratione impetrandum alliciat. Quapropter, nullo quæsito lucro aut imperata pecunia, cujusvis conditionis excipit homines, eosque per solam Rosarii Marialis recitationem mutuo devincit. Quo fit, ut pauca singuli ad communem thesaurum conferentes multa inde recipiant. Actu igitur vel habitu dum ex instituto Sodalitii suum quisque pensum recitandi Rosarii persolvit, sodales omnes ejusdem societatis mentis intentione complectitur, qui idem caritatis officium ipsi multiplicatum reddunt.

II.

Sodalium Dominicanorum Ordo, qui, vel inde ab sui initio beatæ Virginis cultui maxime addictus, instituendæ ac provehendæ Sodalitatis a sacratissimo Rosario auctor fuit, omnia, quæ ad hoc genus religionis pertinent, veluti hereditario jure sibi vindicat.

Uni igitur Magistro generali jus esto instituendi Sodalitates sacratissimi Rosarii: ipso a Curia absente, subeat Vicarius ejus generalis; mortuo vel amoto, Vicarius generalis Ordinis. — Quamobrem quævis Sodalitas in posterum

instituenda, nullis gaudeat beneficiis, privilegiis, indulgentiis, quibus Romani Pontifices legitimam verique nominis Sodalitatem auxerunt, nisi diploma institutionis a Magistro generali vel a memoratis Vicariis obtineat.

III.

Quæ anteacto tempore Sodalitates sacratissimi Rosarii ad hanc usque diem sine Magistri generalis patentibus litteris institutæ sunt, litteras hujusmodi intra anni spatium expediendas curent; interim vero (dummodo hoc uno tantum defectu laborent) sodalitates ipsas, donec eædem litteræ expediantur, tamquam ratas et legitimas, ac privilegiorum, beneficiorum et indulgentiarum omnium participes, auctoritate apostolica benigne declaramus.

IV.

Instituendæ Sodalitati in designata aliqua ecclesia Magister generalis deputet per consuetas litteras sacerdotem sui Ordinis: ubi Conventus Sodalium Dominicanorum desint, alium sacerdotem episcopo acceptum. — Eidem Magistro generali ne liceat facultates, quibus pollet, in universum et absque limitatione committere Provincialibus, aliisve aut sui aut alieni Ordinis vel Instituti sacerdotibus.

Facultatem revocamus a fel. rec. Benedicto XIII Magistris Ordinis concessam (1), delegandi generatim Provinciales *transmarinos*. Indulgemus tamen, rei utilitate perspecta, ut earumdem provinciarum prioribus, vicariis, præpositis missionalibus potestatem faciant instituendi certum Sodalitatum numerum, quarum accuratam rationem iis reddere teneantur.

V.

Sodalitas a sacratissimo Rosario in omnibus ecclesiis publicisque ædiculis institui potest, ad quas fidelibus accessus libere pateat, exceptis monialium aliarumque piarum mulierum vitam communiter agentium ecclesiis, prout sacræ romanæ Congregationes sæpe declararunt.

---

(1) Constit. *Pretiosus*, die 26 Maii 1727.

Quum jam ab Apostolica Sede cautum sit ne in uno eodemque loco plures existant sacratissimi Rosarii Sodalitates, Nos ejusmodi legem iterum inculcamus, et ubique observari jubemus. In præsenti tamen, si quo in loco plures forte existant, rite constitutæ, sodalitates; facultas sit Magistro generali Ordinis ea de re pro æquitate judicandi. Ad magnas vero urbes quod attinet, plures in iis, uti jam ex indulgentia provisum est, haberi possunt titulo Rosarii Sodalitates, ab Ordinariis pro legitima institutione Magistro generali proponendæ (1).

## VI.

Quum nulla habeatur sacratissimi Rosarii Sodalitas princeps, cui aliæ minores aggregentur, hinc nova quævis hujusmodi consociatio, per ipsam sui canonicam institutionem particeps fit indulgentiarum omnium ac privilegiorum, quæ ab hac Apostolica Sede aliis per orbem sodalitatibus ejusdem nominis concessa sunt. — Eadem ecclesiæ adhæret, in qua est instituta. Quamvis enim Sodalitatis privilegia homines spectent, tamen indulgentiæ complures, ejus sacellum vel altare adeuntibus concessæ, uti etiam privilegium altaris, loco adhærent, ideoque sine speciali Apostolico indulto neque avelli possunt neque transferri. Quoties igitur Sodalitas, quavis de causa, in aliam ecclesiam deduci contigerit, ad id novæ litteræ a Magistro generali expetantur. Si autem, destructâ ecclesiâ, nova ibidem aut in vicinia ædificetur eodem titulo, ad hanc, quum idem esse censeatur locus, privilegia omnia atque indulgentiæ transeunt, nullâ requisita novæ sodalitatis institutione. — Sicubi vero, post institutam canonice in aliqua ecclesia Sodalitatem, Conventus cum ecclesia Prædicatorum fuerit extructus, ad ecclesiam ejus Conventus Sodalitas ipsa, prout de jure, transferatur. Quod si, peculiari aliquo in casu, de hac lege remittendum videatur, facultas esto Magistro generali Ordinis pro sua æquitate et prudentia opportune providendi; integro tamen sui Ordinis jure.

---

(1) S. C. Indulg., die 20 Maii 1896.

VII.

Ad ea, quæ supra decreta sunt, quæque naturam ipsam et constitutionem Sodalitatis attingunt, quædam accedere poterunt, quæ ad bonum societatis regimen conferre videantur. Integrum est enim sodalibus *statuta* sibi condere, sive quibus tota regatur societas, sive quibus aliqui ad peculiaria quædam christianæ pietatis officia, collatâ etiam pecuniâ, si placuerit, saccis assumptis vel secus, excitentur. Ceterum quævis horum varietas non obest quominus indulgentiæ possint acquiri a sodalibus, dummodo ea præstent, quæ iis lucrandis ab Apostolica Sede præcepta sunt. Addita tamen hujusmodi statuta episcopo diœcesano probentur, ejusque moderationi maneant obnoxia; quod Constitutione Clementis VIII *Quæcumque* sancitum est.

VIII.

Rectorum electio, qui nempe Sodalitatis membra in piam societatem recipiant, eorum rosariis benedicant, omnibus denique fungantur muneribus præcipuis, ad Magistrum generalem vel ejus Vicarium, uti antea, spectet; de consensu tamen Ordinarii loci pro ecclesiis clero sæculari concreditis.

Quo autem Sodalitati conservandæ melius prospiciatur, Magistri generales ei rectorem præficiant sacerdotem aliquem, in ecclesia, ubi est instituenda Sodalitas, certo munere fungentem vel certo fruentem beneficio, illiusque in hoc sive beneficio sive munere in posterum successores. Si, qualibet ex causa, desint; Episcopis, uti jam est ab hac Apostolica Sede sancitum (1), facultas esto ad id muneris deputandi parochos *pro tempore*.

IX.

Quum haud raro peropportunum, quin etiam necessarium videatur, ut sacerdos alius legitimi rectoris loco nomina inscribat, coronis benedicat aliaque præstet, quæ ad ipsius rectoris officium pertinent, Ordinis Magister rectori faculta-

(1) S. C. Indulg., die 8 Jan. 1861.

tem tribuat subdelegandi, non generatim quidem, sed in singulis casibus, alium idoneum sacerdotem, qui ejus vices gerat, quoties justa de causa id opportunum judicaverit.

X.

Item, ubi Rosarii Sodalitas ejusque rector institui nequit, Magistro generali facultas esto designandi alios sacerdotes, qui fideles, indulgentias lucrari cupidos, Sodalitati propinquiori aggregent, et Rosariis benedicant.

XI.

Formula benedicendi Rosarii, seu Coronæ, usu sacrata, inde a remotis temporibus in Ordine Sodalium Dominicanorum præscripta et in appendice romani Ritualis inserta, retineatur.

XII.

Etsi quovis tempore nomina possint legitime inscribi, optandum tamen ut solemnior illa receptio, quæ, sive primis cujusque mensis dominicis, sive in festis majoribus Deiparæ haberi solet, apprime servetur.

XIII.

Unicum sodalibus impositum onus, citra tamen culpam, est Rosarium unaquaque hebdomada cum quindecim mysteriorum meditatione recitandum.

Ceterum sua Rosario genuina forma servetur, ita ut coronæ non aliter quam ex quinque aut decem aut quindecim granorum decadibus coalescant; item ne aliæ cujusvis formæ rosarii nomine appellentur; denique ne humanæ reparationis mysteriis contemplandis, usu receptis, meditationes aliæ sufficiantur, contra ea quæ jamdiu ab hac Apostolica Sede decreta sunt, id est, qui ab his consuetis mysteriis meditandis recesserint, eos Rosarii indulgentias nullas lucrari (1).

(1) S. C. Indulg., die 13 Aug. 1726.

Sodalitatum rectores sedulo curent ut, si fieri possit, quotidie, vel saltem quam sæpissime, maxime in festis beatæ Virginis, ad altare ejusdem Sodalitatis, etiam publice Rosarium recitetur; retenta consuetudine huic Sanctæ Sedi probata, ut per gyrum cujuslibet hebdomadæ singula mysteria ita recolantur: *gaudiosa* in secunda et quinta feria; *dolorosa* in tertia et sexta; *gloriosa* tandem in dominica, quarta feria et sabbato (1).

## XIV.

Inter pios Sodalitatis usus merito primum obtinet locum pompa illa solemnis, qua, Deiparæ honorandæ causa, vicatim proceditur, prima cujusque mensis dominica, præcipue vero prima Octobris; quem morem, a sæculis institutum, S. Pius V commendavit, Gregorius XIII inter *laudabilia instituta et consuetudines* Sodalitatis recensuit, multi denique summi Pontifices indulgentiis locupletarunt (2).

Ne autem hujusmodi supplicatio, saltem intra ecclesiam, ubi temporum injuria extra non liceat, unquam omittatur, privilegium a Benedictio XIII Ordini Prædicatorum concessum, eam transferendi in aliam dominicam, si forte ipso die festo aliqua causa impediatur (3), ad omnes Sodalitatum sacratissimi Rosarii rectores extendimus.

Ubi autem propter loci angustiam et populi accursum ne per ecclesiam quidem possit ea pompa commode duci, indulgemus, ut, per interiorem ecclesiæ ipsius ambitum, sacerdote cum clericis piæ supplicationis causâ circumeunte, Sodales, qui adstant, indulgentiis omnibus frui possint eidem supplicationi adnexis.

## XV.

Privilegium Missæ votivæ sacratissimi Rosarii, Ordini

(1) S. C. Indulg., die 1 Jul. 1839 ad 5.

(2) S. Pius V *Consueverunt*, die 17 Sept. 1569; Gregorius XIII *Monet Apostolatus*, die 1 Apr. 1573; Paulus V *Piorum hominum*, die 15 Apr. 1608.

(3) Constit. *Pretiosus*, die 26 Maii 1727, § 18.

Prædicatorum toties confirmatum (1), servari placet, atque ita quidem ut non solum Dominiciani sacerdotes, sed etiam Tertiarii a Pœnitentia, quibus Magister generalis potestatem fecerit Missali Ordinis legitime utendi, Missam votivam « *Salve Radix Sancta* » celebrare possint bis in hebdomada, ad normam decretorum S. Rituum Congregationis.

Ceteris vero sacerdotibus in Sodalium album adscitis, ad altare Sodalitatis tantum Missæ votivæ celebrandæ jus esto, quæ in Missali romano pro diversitate temporum legitur, iisdem diebus ac supra et cum iisdem indulgentiis. Harum indulgentiarum sodales etiam e populo participes fiunt, si ei sacro adstiterint, culpisque rite expiatis vel ipsa confessione vel animi dolore cum confitendi proposito, pias ad Deum fuderint preces.

XVI.

Magistri generalis curâ et studio, absolutus atque accuratus, quamprimum fieri potest, conficiatur index Indulgentiarum omnium, quibus romani Pontifices Sodalitatem sacratissimi Rosarii, ceterosque fideles illud pie recitantes cumularunt, a sacra Congregatione Indulgentiis et SS. Reliquiis præposita expendendus et Apostolica auctoritate confirmandus.

Quæcumque igitur in hac Apostolica Constitutione decreta, declarata, ac sancita sunt, ab omnibus ad quos pertinet servari volumus ac mandamus, nec ea notari, infringi et in controversiam vocari posse ex quavis, licet privilegiata causa, colore et nomine: sed plenarios et integros effectus suos habere, non obstantibus præmissis et, quatenus opus sit, Nostris et Cancellariæ Apostolicæ regulis, Urbani VIII aliisque apostolicis, etiam in provincialibus ac generalibus Conciliis editis Constitutionibus, nec non quibusvis etiam confirmatione apostolica vel quavis alia firmitate roboratis statutis, consuetudinibus ac præscriptionibus: quibus omnibus ad præmissorum effectum specialiter et

(1) Decr. S. C. Rit., die 25 Jun. 1622; — Clemens X *Cælestium munerum*, die 16 Febr. 1671; Innocentius XI *Nuper pro parte*, die 31 Jul. 1679, cap. X, nn. 6 et 7; Pius IX in Summarium Indulg., die 18 Sept. 1862, cap. VIII, nn. 1 et 2.

expresse derogamus et derogatum esse volumus, ceterisque in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo octingentesimo nonagesimo octavo, sexto nonas Octobris, Pontificatus Nostri anno vicesimo primo.

C. Card. ALOISI-MASELLA Pro-Dat. —
A. Card. MACCHI.

VISA

De Curia I. De Aquila e Vicecomitibus.

*Loco* ✠ *Plumbi.*

*Reg. in Secret. Brevium.*

I. Cugnonius.

# Meditationes theologicæ

*(Sequitur. — Cf. supra tom. III, pag. 597.)*

139. Hic finem imponimus brevi expositioni, per fidei scientiam, maximi omnium mysteriorum; quæ quidem expositio latius extendi posset, considerando quoque singulas divinæ Trinitatis personas, multaque ulterius evolvendo, est enim Deus unus ac trinus fons inexhaustus meditationis ac studii; atvero, satis completa est explicatio, in qua reliqua continentur, estque ea claritate eoque ordine proposita ut sit manuductio ad longiores disputationes Theologorum, in specie Principis scholæ ejusque interpretum, Doctoris nempe Angelici, qui eumdem ordinem quoad substantiam sequitur, primo agens de processione seu origine in divinis, dein de relationibus et tandem de personis.

Igitur, potius quam fusiores prosequamur explanationes, hæc elegimus addere: primo quidem breve compendium doctrinæ numeris exhibitum memoriæ; secundo, analogicam explicationem mysterii ex spiritu creato; tertio tandem, speculationem Dei unius ac trini quasi uno conspectu, ita ut quæ analytice quodammodo fuerunt supra exposita, jam quasi synthetice in unum componantur, quod fiet circuminsessionem divinarum personarum considerando.

140. Et primo quidem compendium totius doctrinæ, memoriæ commendandum numeris, exhibemus verbis S. Bonaventuræ, cujus compendii præterea hæc erit utilitas ut terminologiam in aliquibus paulo diversam, qua utitur seraphicus Doctor, addiscamus.

*Una* est essentia seu natura seu substantia divina, unus Deus, qui Trinitas est. « Ad istius autem fidei intelligentiam sanam docet doctrina sacra, quod in divinis sunt *duæ* emanationes, *tres* hypostases, *quatuor* relationes, *quinque* notiones, et ex his tantum tres proprietates personales.

Ratio autem ad prædictorum intelligentiam hæc est: quia cum primum et summum principium, hoc ipso quod primum, sit simplicissimum; hoc ipso quod summum, sit perfectissimum: ideo perfectissime se communicat, quia perfectissimum; et indivisionem omnimodam servat hoc ipso quod simplicissimum. Et ideo, salva unitate naturæ, sunt ibi modi emanandi perfecte. Modi autem emanandi perfecte sunt duo tantum, scilicet per modum naturæ et per modum voluntatis (1). Primus est generatio, secundus spiratio sive processio; et ideo hi sunt ibi. Et quia duabus emanationibus substantificis necesse est emanare duas hypostases, necesse est etiam ponere hypostasim primo producentem ab alio non emanare, ne sit in infinitum abire, et ideo sunt ibi tres hypostases. Et quia cuilibet emanationi respondet duplex habitudo relativa; ideo sunt ibi quatuor relationes, scilicet paternitas, filiatio, spiratio [activa] et processio [seu spiratio passiva]. Et quia per has habitudines innotescunt nobis divinæ hypostases, et præter hoc etiam hypostasis illa, in qua est prima ratio principiandi, innotescit nobis, quia non producitur, nam hoc est nobilitatis in ipsa; ideo sunt quinque notiones, scilicet quatuor relationes prædictæ cum innascibilitate. Et quia quælibet personarum unam habet proprietatem, per quam principaliter innotescit; ideo tantum tres sunt proprietates personales, quæ his nominibus exprimuntur proprie et principaliter, scilicet Pater et Filius et Spiritus sanctus.

Cum enim proprium sit Patris esse innascibilem sive

(1) Hæc cave ne ita intelligas ut Filius quidem natura, id est, ex intrinseca necessaria perfectione procedat, id vero negetur de Spiritu sancto, quasi libera voluntate procedat. Quem cæteroquin sensum ipse S. Doctor in sequentibus evidenter excludit; nihil aliud significare vult Seraphicus quam Filium intellectuali generatione procedere, adeoque in similitudinem naturæ qua talem; aliam vero esse processionem Spiritus Sancti, nempe volitione, adeoque non formaliter in similitudinem naturæ, tamquam imaginem consubstantialem, sed tamquam terminum intrinsecum volitionis, æque tamen ex necessaria naturæ perfectione.

ingenitum, esse principium non de principio, et esse Patrem: innascibilitas notificat ipsum per modum negationis, licet ex consequenti per modum positionis, quia innascibilitas in Patre ponit fontalem plenitudinem: principium non de principio, per modum positionis cum negatione; esse Patrem, per modum positionis et habitudinis proprie, complete et determinate. Similiter cum Filius sit imago, Verbum et Filius; imago nominat illam personam, ut similitudinem expressam: Verbum, ut similitudinem expressivam: Filius, ut similitudinem hypostaticam. Rursus imago, ut similitudinem conformem: Verbum, ut similitudinem intellectualem: Filius, ut similitudinem connaturalem. Per hunc modum, cum proprium sit Spiritus sancti esse donum, esse nexum seu caritatem amborum, esse etiam Spiritum sanctum; donum nominat ipsum, ut datum voluntarium (1), caritas sive nexus, ut datum voluntarium et præcipuum, Spiritus sanctus, ut datum voluntarium, præcipuum et hypostaticum. Hinc est, quod per hæc tria nomina, quæ sunt Pater et Filius et Spiritus sanctus, trium personarum proprietates personales insinuantur. Hæc igitur tenenda sunt ad fidei Trinitatis intelligentiam sanam (2). »

141. Cum Trinitatis vestigium multiplex (3) sit invenire in rebus creatis, perfectior tamen analogia in perfectioribus creaturis, nempe spiritualibus, adeoque et in ea, quam melius novimus, anima nostra, reperitur.

Hanc analogicam declarationem mysterii exhibemus verbis ipsis Doctoris Angelici, quæ concinnitate nullum lectori tædium afferent et luciditate jucundissimum præbebunt menti pabulum.

« Hujusmodi... divinæ Trinitatis similitudinem in mente humana possumus considerare: ipsa enim mens ex hoc, quod se actu intelligit, verbum suum concipit

(1) V. notam præced.
(2) *Breviloquium*, pars I, cap. III.
(3) Vide Hurter, *Opuscula Patrum*, tom. VI, p. 141, Annot.

in seipsa; quod nihil aliud est, quam ipsa intentio intelligibilis mentis, quæ et intentio intellecta dicitur in mente existens; quæ dum ulterius seipsam amat, seipsam producit in voluntate, ut amatum. Ulterius autem non procedit intra se, sed concluditur circulo, dum per amorem redit ad ipsam substantiam, a qua processio inceperat per intentionem intellectam; sed fit processio ad exteriores effectus, dum ex amore sui procedit ad aliquid faciendum. Et sic tria in mente inveniuntur. Mens ipsa, quæ est processionis principium in sua natura existens, et mens concepta in intellectu, et mens amata in voluntate; non tamen hæc tria sunt una natura: quia intelligere mentis non est ejus esse; nec ejus velle, est ejus esse aut intelligere; et propter hoc etiam mens intellecta et mens amata, non sunt personæ, cum non sint subsistentes; mens etiam ipsa in sua natura existens, non est persona, cum non sit totum, quod subsistit, sed pars subsistentis, scilicet hominis. In mente igitur nostra invenitur similitudo Trinitatis divinæ, quantum ad processionem, quæ multiplicat trinitatem: cum ex dictis manifestum sit esse in divina natura Deum ingenitum, qui est totius divinæ processionis principium, scilicet Patrem, et Deum genitum per modum verbi in intellectu concepti, scilicet Filium, et Deum per modum amoris procedentem, scilicet Spiritum sanctum. Ulterius autem intra divinam naturam nulla processio invenitur, sed solum processio in exteriores effectus.

In hoc autem deficit a repræsentatione divinæ Trinitatis, quod Pater, et Filius, et Spiritus sanctus sunt unius naturæ, et singulus horum est persona perfecta: eo quod intelligere et velle sunt ipsum esse divinum, ut ostensum est, et propter hoc sic consideratur divina similitudo in homine, sicut similitudo Herculis in lapide, quantum ad repræsentationem formæ, non quantum ad convenientiam naturæ. Unde et in mente hominis dicitur esse imago Dei, secundum illud Gen. I. 26:

*Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* Invenitur etiam in aliis rebus divinæ Trinitatis similitudo, prout quælibet res in sua substantia una est, et specie quadam formatur, et ordinem aliquem habet. Sicut autem ex dictis patet, conceptio intellectus in esse intelligibili est sicut informatio speciei in esse naturali. Amor autem est sicut inclinatio vel ordo in re naturali. Unde et species naturalium rerum a remotis repræsentat Filium, ordo autem Spiritum sanctum: et ideo propter remotam repræsentationem, et obscuram in irrationabilibus rebus dicitur in eis esse Trinitatis vestigium, non imago, secundum illud Job XI, 7: *Numquid vestigia Dei comprehendes?* etc. (1). »

142. Denique uno quasi conspectu augustissimum mysterium Dei unius ac trini contemplari conemur, veluti synthesim componendo ex iis omnibus quæ supra per partes in modum cujusdam analysis consideravimus.

Igitur divina essentia, quæ est infinita perfectio, seu esse simpliciter, actus purus intelligendi ac volendi, est realiter una, identica cum singulis, sicut cum tribus relativis substantialibus seu personis. Personæ quidem sub notione essentiæ non explicite concipiuntur a nobis et essentia potest cum abstractione formali a personis considerari; atvero, implicite sub essentia comprehenduntur, nec essentia cum præcisione objectiva a personis intelligi potest. Hinc tres personæ sunt eadem essentia seu perfectio infinita cum expressione explicita trium relativorum subsistentium, persona unaquæque est rursum eadem una summa perfectio cum expressione unius relativi *et cum comprehensione implicita duorum reliquorum, quatenus identificantur cum eadem essentia* (quod quidem nomine *circuminsessionis* seu *immanentiæ mutuæ* divinarum personarum designari potest), *et qua-*

(1) *Cont. Gent.*, Lib. IV, cap. XXVI, in fine. — Et lege ejusdem S. Doctoris QQ. disput., de potentia, q. IX, art. 5, (coll. opusculo 13, de differentia verbi divini et humani, atque opusc. 14, de natura verbi) et art. 9.

*tenus propterea sub formali ratione relativorum subsistentium pertinere intelliguntur ad perfectionem uniuscujusque personæ, non quidem ut illam constituentes, cum una proprietas relativa tantum unam personam constituere intelligatur, sed ut termini intrinseci*, ita ut Pater non intelligatur nec sit sine Filio, nec Filius sine Patre, nec uterque sine Spiritu sancto, neque hic sine illis; et hic est plenior conceptus circuminsessionis seu potius *circumincessionis,* id est, *immeationis mutuæ* divinarum personarum, quam Græci *perichoresim* appellant. Ex quo etiam patet non esse plus perfectionis in tribus personis, quam in singulis, cum sit una eademque trium infinita essentia; unde et perfectio relative concepta singulorum, v. g., perfectio paternitatis intelligitur esse in tribus et singulis, licet diverso modo: in Patre solo ut constituens personalitatem Patris, in Filio ut in termino intrinseco procedente; vicissim filiatio concipi debet formaliter, ut constituens personalitatem, in solo Filio; eadem perfectio ac in Filio est nihilominus in Patre, ut in principio a quo procedit Filius; item quidquid perfectionis est in Patre et Filio, eadem est in Spiritu sancto, siquidem paternitas et filiatio ratione tantum a spiratione activa distinguuntur et hæc in pleno conceptu Patris necnon Filii comprehenditur, unde et Spiritus sanctus habet quidquid perfectionis est in paternitate et filiatione, seu in Patre et Filio, non quidem ut constituens suam personalitatem, sed illud habet ut terminus intrinsecus spirationis.

Hæc Augustinus præclare eloquitur, dicens:

« Hic in rebus corporeis non tantum est res una quantum tres simul, et plus aliquid sunt duæ quam una res: cæterum in illa summa Trinitate tantum est una quantum tres simul, nec plus aliquid sunt duæ quam una. Et in se infinita sunt. Ita et singula sunt in singulis et omnia in singulis, et singula in omnibus, et omnia in omnibus, et unum omnia. Qui videt hoc vel ex parte, vel per speculum et in ænigmate, gaudeat cognoscens

Deum, et sicut Deum honoret et gratias agat : qui autem non videt, tendat per pietatem ad videndum, non per cæcitatem ad calumniandum. Quoniam unus est Deus, sed tamen Trinitas (1). »

143. O summum bonum et infinita perfectio, incomprehensibilis ac ineffabilis Deus, jam fecisti me per creaturas tuas ad te conscendere, imo, tu ipse ad me per revelationem descendisti (2), et, infuso lumine fidei, te unum natura, trinum in personis infinitæ majestatis mihi dedisti agnoscere, eodemque lumine revelationis et fidei prælucente, adorandum mysterium, quantum sinit præsens conditio, intellectu prosequi.

Itaque, me recolligens ut perveniam ad id quod est in ictu trepidantis aspectus, quemadmodum Augustinus loquitur (3), in augustissima Trinitate contemplanda deficio, teque humiliter adoro, nihil proferre valens nisi quod Sanctus ille contemplativus exclamabat : *Deus meus et omnia!* Utinam tu sola et omnis cogitatio mentis meæ, tu sola et omnis spes cordis mei, tu solus et omnis affectus et amor meus! Utinam solum et omne gaudium meum sit te habendi per gratiam, solum solatium te gustandi, solus timor te amittendi, solus horror in te peccandi, solum et omne desiderium te aliquando videndi, teque fruendi in æternum, Deus meus et omnia!

*(Continuabitur.)*

---

(1) *De Trinitate*, lib. VI, cap. X, n. 12.

(2) Cum delectatione leges S. Thomæ, *contra Gent.*, lib. IV, cap. I seu Prooemium.

(3) *Confess.*, lib. VII (al. cap. XVII), n. 23.

# Quæstiones pro Conferentiis

## mensis Februarii

—

I

Explica Jo. I, 11: « In propria venit, et sui eum non receperunt. 12 Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine ejus: 13 qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. »

II

Explica quomodò angelus Raphaël citra mendacium asserere potuerit se esse *Azariam*, *Ananiæ magni filium*, *ex filiis Israël*, *ex tribu Nephtali*. Tob. V, 7, 18; VII, 3.

III

Explica quomodo assertum de impotentia morali hominis lapsi ad observandam totam legem naturalem non repugnet veræ doctrinæ de libertate humana.

IV

Explica qua ratione, in SS. Eucharistia, *vere nutriamur Corpore et Sanguine* Christi Domini.

V

Parochus, solus in parochia sua, die dominica, paulo ante Summum Sacrum, recordatur se gravis peccati esse reum, et, elicito actu contritionis, celebrat absque prævia confessione. Sequenti die (feriali), missam privatam dicit, nondum confessus.

Quæritur quodnam, quoties et quare præceptum, a Tridentino Sess. XIII cap. 7° introductum, trangressus sit præfatus sacerdos?

VI

Quibusnam in casibus et sub quibusnam conditionibus potest simplex confessarius, extra mortis articulum, absolvere a censuris R. P. reservatis?

# Responsa

## ad quæstiones in Conferentiis mensis Novembris 1898 propositas

—

I

Q. Expone quomodo charitati non adversetur hæc Nehemiæ (IV, 5) precatio: « *Ne operias iniquitatem eorum, et peccatum eorum coram facie tua non deleatur, quia irriserunt ædificantes.* »

R. Sensus hujusce precationis est: Semper memineris, Domine, sannarum quibus nos injuste agitant hostes nostri, eosque compesce et puni. Hæc autem precatio 1° involvit conditionem: *nisi resipiscant*; 2° non processit ex odio et appetitu vindictæ, sed ex amore et zelo justitiæ. Atqui charitati minime adversatur ex amore justitiæ velle ac petere ut Deus pœnam impœnitentibus et in culpa persistentibus non condonet.

Ad rem Estius: « Talia verba, quoties in Scriptura sacra occurrunt, dicta vel a prophetis vel ab aliis sanctis viris, non sunt imprecatoria, quasi in miseria suorum inimicorum per se oblectentur, hoc enim pertinet ad vindicandi studium, et charitati adversatur; sed partim sunt prophetica, partim approbativa justitiæ divinæ, et talia, quibus declaretur, quam vindictam homines impii mereantur, accedente etiam hominis justi consensu, quo talem vindictam tanquam justam approbat. Id autem non est contra charitatem, maxime quando impii pertinaces sunt in malo, et eorum conversio desperatur; sed est quædam approbatio pulcherrimi ordinis a Deo instituti, quia ordo requirit, ut de iis qui contumaciter peccant justa sumatur vindicta. » Cf. etiam Bouquillon, Trait. du verbe, [illegible] n. [illegible]

[illegible]

II

Q. *Demonstra actus salutares esse* entitative *supernaturales.*

R. I. Exponitur sensus propositionis. Nomine actus salutaris intelligitur actio qua acquiritur salus æterna, seu qua *positivé* tenditur ad finem ultimum acquirendum, qui, in præsenti Providentiæ ordine, est visio Dei intuitiva. Actus *entitative* supernaturalis ille est cujus entitas elevatur ad ordinem perfectionis quæ transcendit perfectionem ad quam attingere potest actus naturalis, consequenter actus entitative supernaturalis nunquam potest esse ex solis naturæ viribus. Non unica est inter theologos sententia de eo in quo reponenda sit formalitas faciens ut actus sit entitative supernaturalis. Sed illarum discussio opinionum non requiritur ad præsentem nostram propositionem, quæ non est nisi corollarium theseos asserentis gratiam esse *physice* necessariam ad actus salutares eliciendos.

II. Demonstratio. 1 *Physica* gratiæ necessitas ad actus salutares ostenditur. *Moralis* necessitas est necessitas auxilii *ad posse facile vel facilius*, non ad posse simpliciter, orta nempe ex difficultate actus, non ex pura impossibilitate. E contrario necessitas *physica* est necessitas auxilii *ad posse simpliciter*, supponens impotentiam facultatis ad aliquem actum eliciendum, non solam difficultatem.

Jamvero in præcedenti nostra responsione (cf. *Collat. Brug.* T. III, p. 610 et sq.) demonstravimus ad omnes actus tum perfecte, tum imperfecte salutares requiri absolute gratiam (sive habitualem sive actualem), principium scilicet internum et supernaturale quod omnino requiritur in ratione medii ut attingatur finis, nempe æterna salus, principium a quo simul ac a facultate humana actus procedere debent in quantum salutares sunt, et a quo proinde illi actus omnem suum salutife-

rum valorem mutuantur. Quodsi argumenta quibus usi sumus perpendantur, jam evidenter apparet physicam esse illam quam demonstravimus gratiæ necessitatem. Et sane, verba S. Scripturæ (Ephes. II, 8; Jo. III, 3-5) docent hominem, in statu in quo nunc (nisi speciali privilegio gratia a Deo illi infundatur) nascitur, esse prorsus exclusum ab amicitia Dei, nec ad Deum, prout ultimus finis est in præsenti ordine, posse accedere, imo hominem relate ad vitam salutarem esse quasi non natum et proinde nullum in se habere vitæ salutaris principium. Ergo id quod requiritur ad talem impotentiam tollendam non est aliquod auxilium quo facilius vel perfectius homo agere possit salutariter, sed est principium agendi quod requiritur ut *simpliciter* possit agere salutariter, principium sine quo nec ullus, etiamsi minimus cogitetur, actus vere salutaris elici possit ab homine. Jamvero id quod requiritur est gratia entitative supernaturalis ut demonstratum est (Cf. Collat. Brug. l. c.) Ergo gratia supernaturalis (sive habitualis sive actualis) requiritur *necessitate physica* ad omnes et singulos actus salutares.

2. Corollarium. Si gratia entitative supernaturalis physica necessitate requiritur ad actus salutares eliciendos, sequitur talem gratiam se habere tamquam comprincipium actus salutaris, ita nempe ut adæquatum principium elicitivum actus salutaris sit facultas hominis intrinsece elevata per gratiam, et elevata in ordine ad actus salutares eliciendos.

Porro operatio est actualitas ipsius facultatis seu virtutis operativæ: eatenus effunditur operatio a facultate quatenus in potentia ipsius proxima continetur: quum ergo facultas naturalis intrinsece per gratiam elevetur in ordine ad eliciendam operationem salutarem, ipsa operatio salutaris, quæ a facultate elevata, formaliter ut sic, effunditur, erit et ipsa intrinsece elevata, seu ipsa operationis entitas erit in eodem ordine supernaturali ac est ipsa facultas intrinsece elevata a qua elicitur.

Hæc propositio melius intelligitur et confirmatur ex refutatione sententiarum huic oppositarum quæ, uti videtur, ad tres reduci possunt.

1ª opinio dicit « actum salutarem esse supernaturalem quia acceptatur a Deo tanquam meritorius æternæ felicitatis, ita ut in se quidem sit naturalis, sed ex hac Dei acceptione denominationem extrinsecam accipiat actus supernaturalis. Verum hæc opinio recipi non potest. Nam si ita esset, gratia Dei non requireretur ut principium efficiens operis salutaris, ut principium intrinsecum in ipso operante, quandoquidem opus non eliceretur nisi viribus naturæ: atqui gratia Dei postulatur ut principium efficiens et intrinsecum operis, (uti constat ex supra dictis) negaturque naturam naturæque vigorem posse hos actus edere. Ergo. » (Palmieri, *De Gratia actuali,* Thes. XXV, n. II.)

2ª opinio tenet actus salutares esse quidem intrinsece salutares *in fieri,* non vero *in facto esse*, hac scilicet ratione quia fiunt præter cursum ordinarium rerum, seu miraculose; in hac sententia actus salutares essent supernaturales eodem modo ac visus per miraculum restitutus est supernaturalis, non quidem quoad rei hujus entitatem, sed quoad modum acquisitionis. Sed contra est quod in hac sententia actus in se considerati, nempe prout procedunt ab hominis facultate, ordinem supernaturalem non ingrediuntur, non magis ac operationes visus quæ procedunt a facultate visiva miraculose restituta, excedunt ordinem operationis mere naturalis. Consequenter nulla jam in hac hypothesi, datur ratio cur tales actus Deo placerent et alii non: hoc solum quod actus illi fiunt miraculose ipsis actibus non affert novam dignitatem. Præterea, in hac opinione, gratia sc. principium internum et supernaturale non jam requireretur ad actus salutares eliciendos: quod falsum est.

3ª opinio vult actum salutarem esse supernaturalem propter modum aliquem accidentalem, ideoque separa-

bilem, inhærentem actui, puta modum majoris intensitatis, durationis, facilitatis, qui modus vires naturæ excedat, et a gratia dependeat. Hoc autem rejiciendum: nam hi modi intensitatis, durationis et similes non requiruntur ut actus sit supernaturalis, sed ille actus per se est talis, etiam sine quocumque gradu eorum modorum; et ideo requiritur gratia ut actus salutaris quilibet simpliciter sit seu elici possit: « Si quis per naturæ vigorem bonum *aliquod* quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare ut expedit aut eligere... posse confirmat absque illuminatione et inspiratione Spiritus S... hæretico fallitur spiritu. » (Conc. Araus. II, can. 7, apud Denzinger *Enchir.* n. 150).

J. V. D. M.

III

Q. *Titius sororem carnaliter cognoscit, ipsique ex delicto gravidæ, abortivam propinat potionem, ut crimen occultetur. Quæritur a/ num reservationem aut excommunicationem incurrerit Titius, illarum omnino inscius?*

*b/ an et quænam apud confessarium postuletur facultas specialis ad illum absolvendum?*

R. Ad I. Solutio prioris partis quæstionis hic propositæ, utrum nempe Titius incurrerit reservationem aut excommunicationem, præsupponit solvendam quæstionem, num peccatum a pœnitente commissum, a parte rei obnoxium sit reservationi vel excommunicationi.

Jamvero *a/* sororem carnaliter cognoscendo crimen admisit Titius, quod ab Ill. Episcopo reservatur seu communis confessarii jurisdictioni subtrahitur. Adest enim verus incestus cum consanguinea in primo gradu, quæ supponitur ut talis a Titio cognita; nec refert quod sit consanguinea in linea collaterali, cum in tenore nulla fiat distinctio.

*b*/ Propinatio potionis abortivæ, peccatum constituit cui Constitutio *Apostolicæ Sedis* adnexam reliquit excommunicationem Ordinario reservatam, modò *effectus sit secutus*, seu revera fœtus nondum vitalis (1) sit expulsus ex utero materno, suppressa quoad hoc distinctione inter fœtum animatum et inanimatum (2). Dicitur namque in prælaudata Constitutione : « procurantes abortum, effectu secuto ».

Equidem non parum dissentiunt Interpretes in determinando sensu vocis « *procurantes* abortum », sed concordi sententia hisce adnumerant abortivam potionem matri propinantes. *Nouv. Rev. theol.* XI, p. 315 et seq. Verum est quod non mors sed criminis occultatio intenditur ut finis ; at ut abortus sit directe voluntarius sufficit ut ejectio occisiva eligatur qua medium ad ulteriorem finem, quod plane obtinet in casu.

Quibus prævie statutis, jam ad ipsum postulatum respondemus :

1°/ *Reservationem* ab Episcopo Brugensi incestui adnexam non effugit Titius, quantumvis reservationis ignarus. « Reservatio enim, uti docet Pauwels, *De Casibus Reservatis,* n° 9 (Ed. Migne), nihil aliud est quam adempta vel denegata confessario inferiori potestas in certos casus, relicta interim in cæteros auctoritate ». Quæ restrictio jurisdictionis, quod sedulo nota, ex ipsa indole sua (nisi in actu reservationis contradicatur) nequaquam est proprie dicta pœna, « quæ uti censura, vel alia pœna extraordinaria seu exorbitans, cognosci debet a delinquente ut contraha-

(1) Hoc pacto distinguitur abortus a *partu accelerato* seu anticipato, qui etiam partus præmaturus artificialis vocatur, qui supponit fœtum jam vitæ extrauterinæ capacem. De hoc scribit Ill. et Rev. Waffelaert, *De Justitia* II p. 108 : « pœnas abortus non incurri nobis videtur ab iis qui partum accelerant, etiam absque motivo sufficiente ».

(2) Dictam distinctionem expresse repudiatam a Sixto V in Bulla « *Effrænatam* », Gregorius XIV admiserat in Bulla « *Sedes Apostolica* » qua moderavit disciplinam Prædecessoris sui. *Nouv. Rev. Theol.* XI, p. 310 et seq.

tur. » Cfr. *Libellum* p. 2. Utique *etiam* in pœnam statuitur contra graviora admittentes crimina, ut ab hisce in futurum deterreantur difficultate veniæ obtinendæ; sed « accedit ad christiani populi disciplinam, quod graviora animæ vulnera et periculosiora graviorem et peritiorem exigunt medicum, qui maturo judicio, scientia, rerum usu et experientia, præ cæteris noverit tum curare jam inflicta, tum præcavere futura, præscripto salutari remedio in cautionem relapsus ». *Ibidem* p. 6.

Cæterum nobis suffragatur sententia communior cui calculum adjicit Palmieri, in nota ad Ballerini contradicentem, V, ad n. 732. Ait nempe: « Si enim, ut cum Lugo disp. XX, nº 9 loquamur, reservatio est pœna, quæ heic foret extraordinaria, ea non incurritur ab ignorantibus reservationem: si autem reservatio est lex quædam determinans casus, in quibus, pro meliori remedio applicando, debeat recurri ad prælatum, vel ad eos quos ipse delegat, qui est alius finis, omissus a Ball.; ipsa afficit etiam ignorantes ». Cfr. etiam S. Alph. l. VI, nº 581.

Quinimo et ipsi adversarii concedunt Superiorem reservantem posse urgere reservationem suam, ita ut ab eo non eximantur pœnitentes illam ignorantes; quod authentice declarat sese facere Ill. Episcopus, in fine capitis 1i p. 2.

2º/ *Excommunicationem* vero ratione abortus provocati non incurrit Titius, quia censura est, a qua excusat ignorantia saltem non crassa nec affectata, ignorantia, inquam, censuræ, non reservationis censuræ (1), quam ignorantiam in tenore casus propositi supponimus adesse. Cfr. infra responsum ad quæst. VI.

Vitata autem censura reservata, eo ipso delictum *abortûs* reducitur sub jurisdictione communis confessarii, siquidem, juxta sententiam communem, a S. Ponti-

(1) Cfr. S. Alph. l. VI, nº 581.

fice reservatur Ordinario *ratione censuræ* (1), ita ut *reservatio peccati* dependeat a censura adnexa. (2)

Advero abortus simul est *homicidium*, ideoque si Titius, *ratione abortus*, non afficitur excommunicatione nec adeo reservatione a jure communi ob censuram ipsi delicto adnexa, stricto jure recideret in reservationem ab Episcopo statutam sub num. 1°, cujus tenor habet: « homicidium directe voluntarium ». Ejectio namque fœtus humani nondum viabilis directe procurata indubie homicidium constituit idque directe voluntarium. (3) Cfr. Pauwels l. c. n. 180; Konings, *Commentarium in Facultates Apost.* (Ed. Putzer 5ª) p. 153, necnon et Bullas jam citatas Sixti V et Gregorii XIV in quibus abortus assimilatur vero homicidio, ipsique pœnæ applicantur in homicidas a Concilio Trid. SS. XIV, cap. 7° inductæ.

Attamen Illustrissimus Episcopus, cum in nova disciplina sustulerit abortum e censu casuum reservatorum, ipsum totum quantum intendit a reservatione episcopali liberare etiam quatenus importat homicidium, sola remanente censura adnexa pontificia Ordinario reservata.

Ad II. 1°/ Ad absolvendum Titium *ab abortu*, etiam post effectum secutum, nulla requiritur specialis facultas. Ignorantia namque excusatur a censura pontificia

---

(1) Equidem potest peccatum simpliciter reservari et ulterius adnexam habere excommunicationem reservatam, quin ergo reservatio peccati pendeat a reservatione censuræ. Tale crimen esset reservatum potius *cum censura* quam *ratione censuræ*.

Quod obtinere censet S. Alph. VI, n. 581, pro casibus episcopalibus quibus si adnectatur censura ideo fit « ut peccantes fortius ligentur et per duplicem reservationem a peccato absterreantur ».

(2) Olim non ita in diœcesi, quia ipse Episcopus sibi reservabat abortum et quidem specialiter.

(3) Dubia tamen esset adeoque practice nulla reservatio hæc homicidii usque ad certam fœtus animationem, quæ saltem coram jurisprudentia ecclesiastica incerta manet usque ad octogesimum a conceptione diem.

Cfr. Vandervelde-Piat, II, p. 477; Konings, l. c.; Lehmk, II, n. 1015; De Brabandere, II, n. 1506; S. Alph., VII, n. 347 et III, n. 396, *Nouv. Rev. theol.* XI, p. 331 et 332.

Ordinario reservata, et eo ipso a connexa reservatione ipsius peccati, unice ratione censuræ reservati. Adverte tamen monendum esse pœnitentem pro futuro. Cfr. *Libellum* p. 18.

2°/ *Ab incestu* nequit idem Titius absolvi *directe* a communi confessario, præterquam in articulo mortis. Necessaria est nempe facultas a casibus reservatis *episcopalibus*, ad quam minime sufficit potestas absolvendi a casibus et censuris etiam speciali modo S. Pont. reservatis, quæ v. gr. communiter regularibus, per medium Prælatum, communicatur. Dicit namque Clemens X in Const. « *Superna* » § 7: « Et habentes facultatem absolvendi ab omnibus casibus Sedi Apostolicæ reservatis, non ideo a casibus Episcopalibus posse absolvere ». Cfr. *Libellum* p. 17.

Quinimo delegatio ad absolvendum a censuris papalibus Episcopo reservatis (uti ab abortu), per se non importat potestatem absolvendi a casibus et censuris (si essent) episcopalibus seu ab Episcopo Sibi (seu Nobis et a Nobis) reservatis, et vice versa.

Quandonam et sub quibus cautelis dictus pœnitens posset absolvi *indirecte*, dicetur sub responso ad quæstionem quartam.

A. D. S.

## IV

*Q. Caius paterfamilias cum uxore et cuncta comitante familia, ecclesiam petit, feria IV mane, ut in honorem S. Joseph, Pœnitentiæ sacramentum suscipiant et devote communicent. Quorum confessiones dum excipit vicepastor, comperit Caium singulis ferme octidius copulam habuisse cum ancilla, nemine facinoris conscio.*

*Petitur an et qua ratione ipsum absolvere valeat præfatus vicepastor, omni facultate in reservatos destitutus, addita ratione responsi.*

R. Analogice ad modum quo processimus in responso ad 3m quæstionem inquiremus:

I/ Utrum peccatum a Caio admissum, sit inter casus reservatos connumerandum. In *Libello* autem legimus sub n. 6 : « ... Item adulterium concubinarium, sive adulterantes eamdem domum sive diversam inhabitent ». Sane patet adesse adulterium, sed dubium posset moveri de qualitate in textu Reservantis addita : nempe postulatur adulterium *concubinarium*. (1)

Jamvero quidquid sit de sensu quo accipiatur concubinatus in jure Civili (de quo cfr. Salmant., *Opus Morale*, tract. XXVI, cap. II, n. 22), nomine concubinatus, in jure canonico et in acceptione theologica, venit *modus vivendi maritaliter seu uxorio modo inter determinatum et determinatam, legitimo matrimonio non junctos*, sive sub eodem tecto habitent sive sub diverso. (2)

Inde; ut vir concubinarius dicatur et sit, requiritur et sufficit quædam voluntas illegitime utendi muliere, veluti conjuge ; oportet ut intercesserit inter ipsum et ipsam, non dico pactum, (wederzijdsch verbond, akkoord) sed aliquale condictum, (onderlinge afsprake, verstandhouding) *saltem implicitum*, uxorio modo vivendi.

Ad quam porro voluntatem per se minime necessarium est frequens et habituale commercium carnale, reipsa jam obtinens, neque per se sufficit.

*Non requiritur*, quia aliunde potest constare de præsentia dictæ voluntatis : et ita, absque dubio esset tractandus qua adulterii concubinarii (adeoque casus reservati) noxius, vir uxoratus, quem noveris condictum, vel a fortiori pactum, iniisse cum muliere non sua, carnaliter cum ipsa commiscendi, idque (quod nota) jam post primam copulam habitam. Item si mulier conducta sit sive alatur ad hoc scelus habitualiter perpetrandum, vel si matrimonio civili sunt juncti.

---

(1) Relinquimus hypothesim adulterii quod sit *impedimentum criminis*, cum hujus nullum habeatur indicium in tenore casus solvendi.

(2) Cfr. inter alios : Filluc., *Quæst. mor.*, tract. XXX, cap. II n. 55; Bonacina, *De Matrim.*, qu. IV, punct. 14; Salm., l. c., n. 21 ; Azor, *Instit. mor.*, tom III, l. III; cap. 5 ; Aertnys, *Fascic. theol. mor.*, p. 32; Haine, I p. 339 (Ed. 3ia); Theol. Mechl., *De censuris et cas. reserv.*, n. 30.

*Nec sufficit:* puta si quis regulariter tendit ad lupanar in quo frequenter rem habet cum fœmina licet forte eadem; jam enim ex ipsis adjunctis apparet tali viro prorsus deficere animum quasi maritalem ad personam, quam novit primo adventanti prostare; manet hæc meretrix et non concubina. Idem dicas de illo qui comperitur frequenter quidem accessive ad non suam, sed ex singulari fragilitate potius quam vi perseverantis inclinationis in illam personam ad venerem adhibendam: passione victus, momentanee consentit in crimen, absque voluntate perdurante vel animo habitualiter illa abutendi.

Attamen, nisi expressa declaratione pœnitentis vel ex circumstantiis constet de contrario, jure merito præsumitur animum illum adesse penes personam cum altera carnaliter conversantem frequenti et habituali consuetudine. Sufficit enim condictum *implicitum.*

Et fortassis non male in hunc sensum intelligeres theologos et juris canonici commentatores non paucos, qui concubinatum describunt, simpliciter ipsum exhibendo tanquam fornicationem frequentem, continuatam et habitualem cum eadem persona. Ita, v. gr., Lacroix, *Theol. Mor.*, l. III, p. 19, n. 915; Ferraris, *Prompta Bibliotheca,* V° Fornicatio, n. 7; Tamburini, *Explic. Decalogi*, l. VII, cap. 1, § 2; Roncaglia, *Univ. Theol. Mor.*, tract. XII, qu. Unica, cap. 2; Gury. Ballerini, 1 n. 421.

Ideo jam propius declaremus notionem commercii *habitualis* cum determinata persona.

Generatim autem *ad habitum* requiritur: 1/ quædam frequentia lapsuum, 2/ aliqua temporis duratio, 3/ quædam ininterrupta continuatio 4/ ita ut vitium sit et inclinatio ad peccatum.

Ratione 2i, nondum censetur habitum contraxisse blasphemiæ, qui per unius hebdomadæ spatium blasphemavit etsi quotidie.

Ratione 3i non diceretur habituatus, qui per tres hebdomadas successive, singulo octiduo, pollutionem provocavit, dein, postquam se continuerit per tres quatuorve menses, rursus bis terve est relapsus.

Quanta nunc postuletur actuum frequentia, accurate definire frustra quis tentaret; id prudenti judicio relinquitur confessarii qui statuat juxta varia adjuncta. Adjumento esse queunt principia quæ juxta S. Alph. tradit Aertuys, in *Theologia Morali* l. VI, n. 311, quæ juvat hic referre : « Quot actus ad pravum habitum constituendum sufficiant, pendet a difficultate vel facilitate, qua homines diversa peccata admittere consueverunt; quo facilius aliquod peccatum committi solet, eo plures actus intra certum tempus requiruntur. Porro facilius committuntur peccata cordis et oris quam operis, facilius opera non consummata quam consummata; inter hæc facilius admittuntur ea quæ solitarie quam ea quæ cum alio patrantur.

Hinc a/ in peccatis *operis,* quinque lapsus in mense sufficere possunt, modo inter ipsos aliquod intervallum intercedat, e. g. si quis singulis septimanis peccatum committat. (Ita pro pollutione). In peccatis vero luxuriæ quæ complicem habent, ut in fornicatione, sodomia, bestialitate, multo minor numerus sufficere potest, puta semel in mense per annum (uti expresse docet S. Doctor, *Praxis Confessarii*, n. 70.)

b/ In peccatis *oris* vel *cordis*, multo major numerus requiritur v. gr. bis terve in hebdomada.

Quæ præcedunt jam abundè elementa ministrant solutionis ad 1$^{m}$ punctum nostri casus propositi. Modo nempe jam per notabile tempus duraverit illa adulterina Caii cum ancilla conversatio sane obviam habetur *habituale* commercium carnale. Agitur enim de peccato operis, cum complice consummato, non tantum semel in mense sed singulis ferme octiduis. Quod *habituale* commercium vidimus sufficere ut jure præsumatur adesse animum quasi maritalem adeoque verum concubinatum, donec constet de contrario. Nec refert quod nemo existat facinoris conscius, cum secus ac antea, jam non requiratur adulterium publicum. Quo posito, gressum facimus

Ad II: an, qua ratione et quare Caius possit absolvi a vicepastore omni facultate in reservatos destituto?

Et respondemus: A/ Vicepastor non valet (1) Caium absolvere *directe* ab adulterio commisso. Ex ipsa namque definitione reservationis, p. 23, denegatur ipsi jurisdictio in illud peccatum, ita ut de eo cognoscere non valeat nec illud judicialiter absolvere, solo excepto mortis articulo, in quo nulla datur reservatio juxta Trid., S. XIV, cap. 7.

Ad B/ Si Caius non valet directe absolvi ab adulterio juxta modo dicta, valet et potest vicepastor absolvere ipsum, cæteroquin rite dispositum (2), directe a peccatis non reservatis, et *indirecte* a casu reservato; idque propter grave periculum infamiæ coram cuncta familia incurrendæ, si non absolvatur nec communicet. (3) Nimirum ex ipsa rursus definitione reservationis eruitur remanere communi confessario jurisdictionem in peccata non reservata. Hæc quidem jurisdictio remanens communiter non proficit confessario ad absolvendum pœnitentem habentem casum reservatum, cum unum peccatum lethale sine alio *regulariter* nequeat absolvi (4); confessio namque, ut sit legitima, debet esse materiali-

---

(1) Vicepastor *non valet*... scil. *antecedenter* non habet jurisdictionem in illud peccatum, et si nihilominus valida est absolutio, modo pœnitens sit bonæ fidei, hoc est, quia *in ipso actu confessionis incæptæ*, benigne *supplet* defectui Reverendissimus Episcopus, in gratiam pœnitentis, uti docet *Libellus* p. 26.

(2) Abstrahimus hic ab applicandis principiis circa occasionarios et consuetudinarios, de quibus ex professo alibi agendum.

(3) Difficulter enim omnino frustraret attentionem et suspicionem secum comitantium, cum omnes uno animo accedant simul confessuri et pariter communicaturi, eo vel magis quod supponitur fieri accessum extra omnem frequentiam communicantium, simplici nempe die feriali Neque posset parochum adire, puta non succursalistam adeoque facultatem habentem, quin et gravius ipsi occurrat infamiæ periculum. Medium vero hujus infamiæ vitandæ, quod a nomullis conferentiis proponitur, quatenus accederet Caius ad scamnum communionis, et vicepastor, illo præmonito, simularet S. Hostiam ipsi porrigere, medium, inquam, illud valde dubiæ esset efficaciæ et ad minus extraordinarium nec adeo imponendum.

(4) Dicitur: « absolvi » quia absolute verum est unum peccatum mortale sine alio *remitti* non posse.

ter integra, talis nempe ut singula peccata mortalia numero et specie distincta sacerdoti, jurisdictione in illa pollenti, rite subjiciantur. Attamen *extraregulariter* potest esse materialiter manca modo formaliter sit integra: excusantibus scilicet a completa delictorum expositione, bona fide vel urgente necessitate, qualem omnes habent gravis infamiæ discrimen.

Occurrente igitur gravis infamiæ coram adstantibus periculo, secus non vitando, pœnitens potest reticere peccatum quodcumque utut grave et lethale, et legitime absolvetur a reliquis, dummodo debite sit dispositus et nominatim attritionem tam de reticito quam de aliis habeat; eo ipso sacramentum validè constituetur et gratia sacramentalis infundetur, qua tolletur et macula peccati omissi, utpote quæ cum gratia consistere nequit.

Ita docent AA. de ægroto qui deseri non potest ab assistentibus. cfr. Lahousse, *De Pœnitentia* n. 107.

Applicando dictum principium jam illico vides quod, si eadem urget necessitas ut pœnitens, habens reservatum et non reservata, *statim* absolvatur a *communi* confessario, meritó omittet peccatum reservatum, a quo nequit directe absolvi ob defectum penes ministrum jurisdictionis in illud. cfr. Lahousse n. 107[bis]. Quodsi exponatur illud reservatum simul cum reliquis non reservatis, eodem plane jure potest a confessario haberi tanquam non confessum; peccatum enim aliquod æquivalenter non subjicitur judicio sacramentali, quando subjicitur judici de illo cognoscere non valenti.

Absque dubio ergo et stricte inhærendo principiis, absolvere valet et potest vicepastor, de quo quæritur, præfatum Caium aliunde dispositum, *directe a non reservatis et indirecte a casu reservato adulterii concubinarii*, salvo jure ipsi imponendo ut illum postea, in sequenti confessione, exponat coram confessario facultatem habente; omnia enim et singula peccata mortalia post Baptismum commissa oportet ut clavibus subjiciantur ab hisque directe solvantur.

A. D. S.

V

Q. *An et quare simplex sacerdos* valide *absolvit a Reservatis* in articulo mortis?

R. I/ Valide absolvit a casibus sive censuris reservatis quilibet sacerdos approbatus, etiam præsente speciali facultate in reservatos instructo.

Ratio est quia (juxta Trid. S. XIV cap. 7, *de Pœnitentia*) *nulla datur reservatio in articulo mortis* adeoque *ratione reservationis* nulla requiritur peculiaris potestas.

Hoc unum advertendum quoad absolutos a *censuris, speciali modo* S. Pontifici reservatis, per confessarium non habentem facultatem, (1) firmam manere obligationem standi mandatis Ecclesiæ, (2) si convaluerint. Cfr. Const. *Apost. Sedis* et Decr. S. O. C. 17 Junii 1891.

Hæc est sententia communis, quam sequitur etiam S. Alph., VI, 563, salva restrictione quam ponit pro censuris (specialiter) reservatis, quas docet absolvendas potius ab habente facultatem in illas, ut onus vitetur recurrendi coram superiore. Cfr. Lahousse, *De Pœnitentia* n. 157 et *Nouv. Rev. theol.* XXX p. 286.

II/ *Simplex* sacerdos non approbatus pari modo valide absolvit in articulo mortis *etiam præsente confessario approbato.*

(1) In diœcesi Brugensi delegantur omnes confessarii in diœcesi admissi ad absolvendum « a casibus quibuslibet Episcopo vel Rom. Pontifici reservatis et a censuris adnexis, servatis servandis et semper exceptis absolutione complicis et falsa denuntiatione confessarii... a/ per universam diœcesim, in favorem personæ alicujus laicæ graviter decumbentis et alteri confiteri renuentis; b/ pro territorio in quo jurisdictionem exercent, in gratiam ægrotorum confitentium in ordine ad suscipiendum viaticum vel extremam unctionem ».

In quantum ergo utuntur data facultate, dictum onus non habent imponendum nisi pro sola absolutione complicis.

(2) « Obligationem standi mandatis Ecclesiæ importare onus, sive per se sive per confessarium recurrendi ad S. Pontificem, ejusque mandatis obediendi, vel novam absolutionem petendi ab habente facultatem absolvendi a censuris S. Pontifici speciali modo reservatis ». Decr. 19 Aug. 1891 apud *Nouv. Rev. theol.* XXIV p. 166.

Communiter subscribunt AA. priori parti assertionis, sed plures, quos citat et sequitur S. Alph., n. 562, simplici sacerdoti denegant facultatem absolvendi, quando physice et moraliter præsens est approbatus vel de facili advocari potest. (1)

Nostræ vero solutionis fundamentum præbent verba Tridentina l. c. Postquam enim docuit « magnopere ad christiani populi disciplinam pertinere... ut atrociora quædam et graviora crimina non a quibusvis sed a summis dumtaxat sacerdotibus absolverentur », subjungit: « Verumtamen pie admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis: atque ideo *omnes sacerdotes* quoslibet pœnitentes a quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt ».

*Textus* ergo nobis aperte favet, et donec contrarium probetur, absque ulla restrictione dicendum est quosvis sacerdotes quoslibet pœnitentes posse absolvere, cum ex ipsa verborum universalitate limitatio omnis excludatur. Nec ulla datur limitationis afferendæ mentio vel vestigium ullum in disputationibus textus compositioni præviis. Cfr. Pallavicini, *Vera Conc. Trid. Historia* P. II, cap. 12; Theiner, *Acta Genuina Conc. Trid.* tom I, p. 533-600.

Adversarii autem 1°/ textui opponunt *contextum* et capitis inscriptionem, ex quibus volunt sacerdotes esse intelligendos *aliunde jam habituali jurisdictione instructos*. (2) Insistunt nempe in illatione inducta per vocem *ideo:* nimirum, aiunt, esset illogicum ex sola ablatione

---

(1) Dicitur *physice et moraliter præsens*, quia juxta S. Alph. n. 563 censeri potest æquivalenter absens sacerdos approbatus qui adest quidem sed a/ non vult confessionem excipere, b/ excommunicatus est vel suspensus, c/ complex est in peccato turpi, d/ non potest excipere confessionem nisi cum magno incommodo pœnitentis vel e/ supervenit tantum incœpta jam confessione.

(2) Non dicimus *approbatos*, cum approbatio non sit introducta nisi in Sess. XXIII cap. 15.

reservationis inferre jurisdictionem sacerdotis potestate carentis etiam in non reservatos; sola inde deducitur facultas absolvendi a reservatis penes communi jurisdictione jam pollentem.

At reponimus tempore Concilii Tridentini jam in jure acceptum fuisse nulli omnino sacerdoti jurisdictionem deesse in articulo mortis, ita ut conclusio nostra illimitata logice sequatur ex præmissis. (nulla reservatio — in articulo mortis).

Revera AA. Concilio antiquiores indubitanter asserunt omnem presbyterum esse ad instar sacerdotis proprii respectu personæ in mortis articulo constitutæ. Cfr. Sylvestrina P. I, V° *Confessor* sub I n. 2; S. Thom. in IV Sent., dist. XIX qu. I art. 3ⁱᵒ.

Cæterum ipsi nobis contradicentes provocant ad eumdem locum Tridentini ut vindicent valorem absolutionis a simplici sacerdote impertitæ, absente approbato.

Instant et dicunt ante Trid. valide non absolvisse simplices sacerdotes nisi quando copia non erat confessarii approbati, in cujus instantiæ patrocinium affert de Lugo, *De Pœnitentia* disp. XVIII n. 27 et seq. plures textus antiqui juris.

Ex quo concludunt non esse extendendam facultatem simplici sacerdoti a Trid. concessam ultra casum absentis approbati, cum Concilium non intenderit condere jus novum sed tantùm confirmare quod in Ecclesia Dei semper custoditum fuit.

Atvero textus allati vel loquuntur de reconciliatione publica in primæva Ecclesia, vel de absolutione a reservatis, quæ prohibebatur confessario inferiori, præsente superiore. Si ergo quid probant, adducantur contra 1ᵐ assertum supra communiter admissum et non contra 2ᵐ, de quo nunc quæritur.

2°/ Arguunt ex fine « ne quis pereat », quem dicunt plane cessare quando adest approbatus.

Ipse vero Lugo fatetur infirmum esse hoc argumentum et nequaquam sufficere « ad separandam universa-

litatem verborum et concessionis absolutæ » a Tridentino factæ. Et revera præterquam quod concessio non est necessario restringenda ad latitudinem rationis ob quam datur, illa ipsa ratione nitimur nos ad facultatem extendendam illimitate.

Restrictio namque quam intendunt adversarii non raro ausam præberet auxietatibus et nimiæ dilationi in expectando confessario approbato, adeo ut verteretur in detrimentum animarum. Imo, ratione illius, finis Concilii valde periclitaretur in casu quo simplex sacerdos, illegitime præveniret approbatum præsentem in excipienda confessione moribundi bonæ fidei.

Tandem retorquetur argumentum in ipsos AA. qui nobiscum docent confessarium approbatum valide absolvere a reservatis, præsente specialiter delegato.

Neque dicatur ab ipso Tridentino Sess. XXIII, cap. 15 approbationem absolute prærequiri confessionis exceptioni, cum hæc disciplina sit interpretanda salvo jure præstatuto nisi formaliter ipsi derogetur.

Cæterum in Bulla Innocentii XI, *Cum sicut non*, ubi approbationis necessitas urgetur, expressis verbis excipitur mortis articulus.

Sola igitur manet Auctoritas Rit. Rom., Tit. III, cap. 1, et Catechismi ad parochos, P. II, cap. V, n. 55, sane non exigua, sed summa auctoritate Tridentinæ legis vincenda. Cæterum in neutro libro explicite docetur non posse absolvere simplicem sacerdotem præsente approbato; et, si innuitur requiri absentiam approbati tanquam conditionem sine qua non, nihil impedire videtur quominus ipsam intelligamus postulari ad liceitatem vel convenientiam non autem ad valorem.

Firma ergo videtur permanere nostra solutio, quæ non parum confirmatur ex analogia cum disciplina Ecclesiæ in casu complicis, vi cujus confessarius absolvens complicem periclitantem, quando facile alterius sacerdotis opera requiri potest, excommunicationem quidem incurrit, eamque specialissime Papæ reserva-

tam, valide tamen absolvit modó pœnitens sit bonæ fidei. Pro summa nempe sua in moribundos sollicitudine non vult pia Mater Ecclesia « in formidando mortis articulo, sacerdoti, quantumvis indigno, jurisdictionem auferre, ne hac occasione aliquis pereat. » Bened. XIV, *Apostolici Muneris*.

Accedit recens responsum C. S. O. 29 Julii 1891: « Non sunt inquietandi qui tenent validam esse absolutionem, in articulo mortis concessam a sacerdote non adprobato, etiam quando facile advocari vel adesse potuisset sacerdos adprobatus.... cfr. *Anal. Eccl.* 1898 p. 48, ubi refertur solutio in eumdem sensum data in Conferentia Romana anni 1897 exeuntis.

*Nota* 1° Qui persistunt in tenendo sententiam contrariam, noluntque admittere a Tridentino *antecedenter* concedi jurisdictionem simplici sacerdoti quando adest approbatus, agnoscant saltem defectui, si detur, *suppleturam esse* Ecclesiam *in ipso actu confessionis*, si contingat presbyterum non approbatum locum usurpare approbati præsentis in excipienda confessione pœnitentis moribundi bona fide ipsi confitentis.

2°. Articulum mortis hic intellige de *periculo probabili* mortis, *undecumque exoriente*, etiamsi a parte rei non adsit verum periculum. Cfr. *Nouv. Rev. théol.* III p. 603 et seq; Bucceroni, *Comment. in Censuras*, p. 208 et 209.

A. D. S.

## VI

Q. *An et quænam ignorantia ab incurrenda censura excuset?*

R. Distinguendo:

I. Ignorantia quælibet *invincibilis*, sive *facti*, sive *juris* seu legis *ecclesiasticæ* præcipientis vel prohibentis, sive *censuræ* adjectæ (1), ab hac incurrenda excusat.

(1) Si autem solummodo ignoretur censuræ *reservatio*, hæc ignorantia neque a censura, neque a reservatione excusat. Cfr. S. Alp., L. VI, n. 580; Lehmkuhl, T. II, n. 866; *supra*, Resp. ad quæst. III.

Ratio est quod deficiat culpa gravis vel saltem contumacia ad censuram requisita.

Idem ac ignorantia operatur hic oblivio, inconsideratio, et inadvertentia, quæ actualem quamdam ignorantiam inducunt.

II. Ignorantia *vincibilis*, leviter culpabilis, vel etiam graviter culpabilis, si non sit *crassa* aut *supina*, a censura etiam incurrenda excusat. Hoc habetur ex cap. 2. *De constitutionibus*, in 6°, ubi dicitur: « Ut animarum periculis obvietur, sententiis per statuta quorumcumque Ordinariorum prolatis ligari nolumus ignorantes: dum tamen eorum ignorantia *crassa* non fuerit aut *supina*. » (1)

An autem revera detur ignorantia *graviter culpabilis* quæ tamen *crassa aut supina non sit*, disputatur. Sat communiter negant: plures tamen affirmant, quia ad ignorantiam crassam *summa* quædam negligentia requiritur, et dari potest negligentia graviter culpabilis, licet non sit summa. Opponitur quidem supponendum non esse R. Pontificem canone citato introduxisse in argumentum practicum distinctionem quæ potius mera subtilitas videtur, quum nemo determinare possit quo gradu distet ignorantia graviter culpabilis ab ea quæ crassa aut supina vocatur. Contra alii reponunt, in cap. *Ut animarum* decerni ignorantiam (nisi sit crassa aut supina) excusare. Atqui ibi non debet intelligi ignorantia leviter culpabilis: quippe gravem culpam requiri jam constabat. Ergo supponitur graviter culpabilis, quæ non sit crassa aut supina. Præterea, gravis erat ratio, cur ad incurrendas censuras non qualiscumque culpa gravis ignorantiæ sufficeret, sed magnæ gravitatis culpa requireretur. Etenim cum ad hunc effectum *grave*

---

(1) Hanc decisionem, cum favorabilis est multumque rationabilis, DD. merito tenent, non solum in statutis Ordinariorum, sed etiam in constitutionibus legibusque pontificiis, locum habere. Reiff., Tit. XXXIX, n. 30.

peccatum requiratur et sufficiat, sane gravius puniretur ignorans et indirecte peccans contra legem, quam peccans scienter et directe : culpa enim ignorantis semper levior est culpa peccantis scienter, et tamen eadem foret utriusque peccati pœna.

Quidquid sit, sententiam, quæ ad ignorantiam *crassam* requirit negligentiam *summam* seu cum gravi excessu, in praxi applicare licet, cum « *in obscuris minimum est sequendum* » et « *in pœnis benignior est interpretatio facienda* ». Reg. juris 30 et 49, in 6°.

III. Ignorantia *crassa* aut *supina*, et a fortiori ignorantia *affectata*, *regulariter* ab incurrenda censura non excusat. Taliter enim ignorans graviter delinquit, et ut contumax a legislatore habetur, prout constat ex cap. cit.

Dicitur *regulariter* : quando enim in lege vel decreto additur certus modus violationis, contra quam pœna statuitur, quando videlicet censura fertur in eos qui *scienter*, *consulto*, *temere*, aliquid contra legem commiserint, vel committere *præsumpserint;* a censura certo excusat ignorantia crassa aut supina, et, probabiliter, etiam affectata. Ratio est quod hujusmodi formulæ, utpote in re odiosa, stricte sunt accipiendæ, et ideo postulant delictum quod non in causa tantum, sed in se seu directe et ex certa scientia voluntarium est. Et sane, ex *Instructione S. Officii* 1 Februarii 1871 (*Nouv. rev. théol.*, T. VII, p. 27 ss.), censuræ latæ in eos qui « *ausu temerario* » aliquid fecerint, vel facere *præsumpserint*, ab eo tantum incurruntur qui non coactus, *prudens ac sciens* hoc fecerit. Ubi ergo censuræ cum prædictis feruntur formulis, requiritur *scientia*, vel *temeritas* qua quis, non obstante *notitia* legis sibi propositæ, hanc violare audet, et qua sibi *notam* pœnam legi adjectam contemnit. Qui autem cum ignorantia *qualicumque* agit, *scienter* profecto non agit.

Communior quidem sententia docet a censura non excusare ignorantiam *affectatam,* quum hæc formalem

dolum includat et scientiæ acquivaleat. Verum, alii haud improbabiliter observant ignorantiam affectatam, etiamsi quoad culpam et malitiam acquivalentem dolum includeret, non esse tamen *formalem* scientiam qualis requiri videtur in *pœnis* imponendis *scienter* agentibus; ideoque non constare aiunt ignorantiam affectatam in jure scientiæ acquiparari quoad effectum inducendæ *pœnæ*. Cæterum etiam ignorantia affectata, saltem si non agatur de ea quæ ex puro contemptu legis et legislatoris proveniat, ipsum reatum videtur imminuere; et qui ignorantiam affectat ut pro libitu et liberius agat, aliqualem tamen legis reverentiam ostendit; ut enim arguit De Lugo, « pejus est violare præceptum notum quam nolle illud cognoscere ut sine remorsu violetur: plus enim reverentiæ et timoris ostenditur in secundo casu quam in primo » (*De pœnit.*, Disp. XVI, n. 183). Cfr. S. Alp., L. VII, n. 43 ss.; Bucceroni, *Theol. mor.*, T. II, n. 1094, p. 345 (edit. 2ª); Lehmkuhl, *Theol. mor.*, T. II, n. 865 coll. n. 924; Ballerini-Palmieri, T. VII, n. 145 ss. (edit. 1ª); Bouquillon, *Theol. mor. fund.*, (edit. 2ª), n. 151 ss.; Van den Berghe, *De legibus*, n. 137 ss.; Theol. Mechl., *Theol. mor. gen.*, n. 17 et n. 69; et *De censuris*, n. 5.

*Nota.* 1º Hucusque dicta valent pro foro *interno*, in quo culpa, non juridica, sed theologica seu peccatum attenditur. In foro autem externo, in quo culpa juridica potissime consideratur, requiritur ignorantiæ probatio; et quum ignorantia juris vix probari possit, non hæc, sed sola facti ignorantia excusationis loco admittitur. Reg. 13 juris in 6.

2º De obligatione admonendi illos qui, ob ignorantiam, a censura excusantur, quam secus incurrissent, vide cit. *Instruct. S. Officii* 1 Febr. 1871 et Tract. *De Casibus reservatis* in Diœc. Brug., p. 18.

C. V. C.

# Evangelia Dominicarum

## Dom. IV post Epiph.

*Tempestas sedata.* Matth. VIII, 23-27. Cf. Marc. IV, 35-40; Luc. VIII, 23-27.

***

Te dien tijde 23 ging Jesus in het scheepje, en zijne leerlingen volgden hem. 24 En zie, er ontstond een groote storm op de zee, zoodat het scheepje overdekt wierd van de golven; maar hij sliep. 25 En zijne leerlingen kwamen tot hem en wekten hem, zeggende: Heere! behoed ons, wij vergaan! 26 En Jesus zei tot hen: Waarom zijt gij benauwd, gij kleengeloovigen? Toen stond hij op, en gaf bevel aan de winden en de zee, en er kwam eene groote stilte, 27 En de menschen waren verwonderd en zeiden: Wat voôr een is deze, dat de winden en de zee hem gehoorzamen?

***

### Notationes

24. *Ecce motus magnus factus est in mari ita ut navicula operiretur fluctibus, ipse vero dormiebat.* « Obdormivit Dominus, partim quidem, ut ostenderet naturæ humanæ susceptæ veritatem, dum corpus diurnis fessum laboribus, vespertino tempore somno reficit; partim verò, et potissimùm, ut exorta tempestate, ipso dormiente, major esset timoris, et invocandi opem ejus occasio. Si enim ipso vigilante tempestas hæc oborta fuisset, aut non timuissent discipuli, aut credidissent illo invito eam contigisse. Dispensatoriè autem per immissam tempestatem, discipuli in hunc timorem permissi sunt

incidere, per quem ad invocandam Domini opem, coacti sunt confugere, tum ut imperfectionem fidei suæ agnoscerent, tum ut a magno illo timore, Domini potentia subitò ac mirabiliter liberati, majorem de eo fidem et existimationem conciperent. Itaque voluit Dominus et ipsos discipulos sibiipsis, et se illis magis innotescere.

Quod verò ad mysticum attinet sensum, hæc tempestas typus quidam erat tentationum futurarum, ad quas suos discipulos athletas orbis futuros exercere jam Dominus voluit. Futurum enim erat, ut cùm discipuli Christum in mari hujus mundi essent transvecturi, (quod fecerunt cùm provehebant sermonem Evangelicum) multi gravesque tumultus excitarentur contra eos. Adversus quos tumultus ac tempestates suos Dominus confirmabat, docens nullam tempestatem aut oppugnationem quantumvis atrocem, metuendam iis qui toto pectore fiduciam haberent in ipsum: simulque ostendens omnes eos, qui se consecrarent illi, non fore ab omni tentatione et periculo liberos, quin potius pericula illos manere quamdiu in pelago hujus mundi, cum ipso in navi, quæ est Ecclesia, navigant, et necdum in littus regni cœlorum pervenerunt.

Operæ pretium est autem hìc videre quo pacto Deus suos soleat tentare, aut tentari permittere. Nam tentationis, quæ hîc sanctos manet, natura hoc loco graphice est depicta. Tempestatem enim immisit sævam, neque hoc contentus, operiri etiam fluctibus navim, ac impleri aqua sinit; ad hæc, summè periclitantes visus est prorsus negligere. Illis enim jam extrema expectantibus, securus dormit stratus in puppi. Sic sane probantur sancti, ut non solùm supra quàm videantur sibi ferre posse affligantur, (nam Paulus Corinthiis scribens: *Nolo*, inquit, *vos ignorare fratres, quoniam gravati sumus supra virtutem.* II Cor. I.) sed simul ita Deus se erga illos exhibet, etiam cùm actum de eis jam videtur, ut nullam eorum rationem habere existimetur. At non sinit tamen spiritus sanctos despondere animum, utcumque

omnia videantur deplorata. Sicut enim hic discipuli, etsi nihil certius morte expectarent, nequaquam tamen omnem spem prorsus abjecerunt, sed Dominum excitarunt, imploraveruntque opem, quo facto, mox tempestas mirabiliter sedata est: ita et omnibus sanctis usuvenit, nobisque sic faciendum est, ut quoties periclitamur, et Christus nobis dormire videtur, vellicemus eum piis precibus, ac expergefaciamus eum assidua interpellatione, et illico tempestas vertetur in tranquillitatem. Contingit autem nos periclitari, Christumque nobis dormire, sive cùm pravis carnis concupiscentiis, aut diaboli suggestionibus ad peccatum sollicitamur, Christo per fidem in cordibus nostris habitante, non statim eas suggestiones expellente, sed sinente aliquamdiu nos illis oppugnari: sive cùm externis malis ita affligimur, ut nulla salutis spes videatur, nec divini adjutorii consolatio sentiatur. Cæterùm ut hic discipuli tentati sunt ad hoc ut et seipsos, et Dominum melius agnoscerent, ita in hoc sancti tentantur, et tentari permittuntur a Deo, ut Deus et ipsimet sibi melius innotescerent, ut et de seipsis sentiant modestius, et de Dei erga se declarata bonitate augustius.

26. *Quid timidi estis, modicæ fidei?...* Priùs certe conveniebat ut tolleret animi eorum turbationem, quam turbationem maris, quòd fidei imperfectio obesse posset faciendo miraculo. Semper enim fere fidem Dominus antequam miraculum operetur, exigit. Sic et in consolatione sanctorum, in tentationibus ipsorum, priùs Dominus animos eorum suo afflatu et inspiratione erigit, deinde a malis, si expedit, liberat. Increpatautem Dominus discipulos, non quòd illum excitaverunt, opemque ejus imploraverunt, id enim erat fidei atque fiduciæ cujusdam argumentum: sed quòd tam anxii trepidarunt, consternatique penitus, ceu actum de eis fuisset, clamaverunt. Diffidentiæ enim erat quod dixerunt, *perimus:* nimiam consternationem indicabat, quod cum geminatione clamaverunt: *Præceptor, præceptor,* ut

est apud Lucam Græcis. Unde dicit, *quid timidi estis?* et additur in Græcis apud Marcum ἰσοῦ, hoc est, sic vel adeo, ut intelligatur non simpliciter redarguisse omnem illorum timorem, cum fieri facile non posset, quin in tali rerum statu, naturalis aliquis timor animum hominis, etiam in fide perfecti, invadat; sed timorem illum magnum quo consternati erant. Hoc enim erat argumentum infirmitatis fidei eorum, nempe quòd non crederent eum Deum esse, qui etiamsi dormiret, curam illorum haberet: aut quòd non satis confiderent, se per illum ab omnibus periculis et malis fore liberos: quemadmodum tamen jam confidere debuissent propter illius promissiones, et conspectam in edendis miraculis potentiam.

*Tunc surgens*... Pro eo quod in Luca est, *increpavit*, in Marco *commminatus est*, in Matthæo *imperavit*, Græcis unum idemque verbum est, nempe ἐπιτιμᾶν, quod quum proprie significet increpare, hic tamen aliisque multis Scripturæ locis, accipitur pro præcipere, veluti cum comminatione et ira... Creaturis autem his Dominus imperavit, non quòd sensilis essent, quemadmodum qui jam hæreticorum crediderunt, omnia esse quædam animantia, sed ad ostendendum vocem suam, etiam esse efficacem in has creaturas, easque se suæ voluntati et imperio habere subjectas, quod solius est creatoris, et Dei... Porrò quod Dominus non solùm dicit: *Tace*, sed addit etiam, *obmutesce*, augmentum illud, etiam celeritatem indicat, veluti dicas: Mox obmutesce. Et mox quidem cessavit ventus, nec solùm facta est tranquillitas, sed magna etiam tranquillitas. Ubi duo notanda occurrunt. Et primùm, quod omnis confestim tempestas soluta est, et ne vestigium quidem turbationis remanserit, cùm naturale sit ut ductibus, et tempestate cessantibus, usque ad multum tempus aquæ concutiantur. Secundò, quod, cùm prius dictum sit, facta est procella magna venti, nunc dicitur, facta est tranquillitas magna. Nam pro modo afflictionis, solet esse et consolationis

modus, ut est Psalm. 93. et 2. Cor. 1. David enim sic habet: *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* Paulus verò sic: *Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita et per Christum abundat consolatio nostra.*

27. *Porro homines mirati sunt...* Matthæus homines miratos dicit, intelligens per *homines*, secundùm Chrysostomum, Hieronymum, et Hilarium, turbas. Nam præter discipulos etiam alii aderant in aliis navibus; quamvis recte accipiatur Matthæus per homines discipulos simul cum reliquis comprehendisse. Neque enim discipuli perfectam adhuc de Christo habebant fidem et existimationem. Videbant enim eum uti navigio ad transfretationem ac dormire, quæ verum hominem arguebant: videbant rursum cum potestate imperantem his rebus, quæ nulli cedunt, easque mox obsequentes habere; unde plus quam hominem esse colligebant, proinde et magno timore continebantur, metuentes s. ne quem pro homine coluerunt, non satis digne de eo sentirent, nec satis digne venerarentur, et admirantes dixerunt: *Qualis est hic?* quasi dicant, oportet esse longe alium, longeque majorem esse, quàm eum hactenus habuimus, qui non solùm morbis, et dæmonibus, sed etiam ventis, et mari, rebus scilicet quibus nemo efficaciter imperare valet, quarumque vim nemo cohibere potest, imperat, et ad solum ejus imperium obediunt, oblitæ suæ naturæ. Et meritò sanè hoc miraculum in majorem eos extulit timorem simul et admirationem, quàm præcedentia. Primùm, quia nullus unquam tale quid operatus fuerat. Neque enim virgam extendit, sicut Moyses: neque se aquis admovit, aut preces ad Deum fudit ut alii: sed cum potestate imperabat, sicut dominus servis, et creator creaturis. Deinde quia in Scripturis pro voluntate commovere, et rursum compescere mare, Deo quasi proprium, et summæ potestatis ejus declarativum tribuitur, et a Deo sibi usurpatur...

Hic autem animadvertendum, quis fuerit fructus

miraculorum Christi. Per ea enim, ad potentiæ ejus admirationem promoventur homines, ut videant quam tutò se illi committant, qui omnium habet potentiam, quantoque timore, et reverentia, ut Deum ipsum suscipere, et adorare debeant » Jans. Gand.

## Conclusio

1° « Navicula illa, ait Tert. *De bapt.* I, 12, figuram Ecclesiæ præferebat, quod in mari, id est sæculo fluctibus, id est persecutionibus et tentationibus inquietatur, Domino per patientiam velut dormiente. » Deinde extra Ecclesiam, sicut extra navem illam, non datur salus. « Opus est, ait s. Aug. (*Serm.* 75, ed. Migne), ut in navi simus: nam si in navi pericula sunt, sine navi certus interitus. » Unde Ven. Beda (*in Mc.* 6, 48): « Labor discipulorum, ait, in remigando, et contrarius iis ventus, labores sanctæ Ecclesiæ varios designat: quæ inter undas sæculi adversantis, et immundorum flatus spirituum, ad quietem patriæ cœlestis, quasi ad fidam littoris stationem, pervenire conatur. » Dominus autem permittit tempestatem, a/ tum ut christiani ad Deum enixis precibus recurrant; quum b/ ut divina potentia in gubernatione Ecclesiæ demonstretur, atque ita fiducia nostra accrescat. Jesus interea dormit, suorum videtur oblivisci, per aliquod tempus differt opem: tunc precantur fideles, clamant, instant, quasi expostulant, donec tandem surgat Deus et periculum dispellat; quod facillime fit, quasi uno verbo: *Tace!* Nam omnia obediunt ei, res irrationales, haud secus ac Angeli hominesque; quæcumque vult facit in mundo, dat victoriam cui vult etc.

2° Historiam illam etiam accommodare possumus singulis justis, qui, quum Ecclesiæ arctissime conjungantur, tamquam membra viva unius ejusdemque corporis, eadem subeunt pericula, quando tentationibus rebusque adversis jactantur: ipsi etiam ad Christum

fervida prece recurrere debent; quod si faciant, surget Deus potentissimumque gratiæ auxilium, quo omne dispelletur periculum, largietur. S. Chrys. : « Exercitationis causa, ait, hæc permittebantur, et figuræ erant *tentationum* quæ ipsos erant invasuræ. » Confer etiam s. Augustinum, qui (*Serm.* 63, ed. Migne) ista in specie ad tentationem iracundiæ apte refert: « Audisti convicium? inquit, ventus est; iratus es? fluctus est. Vento igitur flante, fluctu surgente, periclitatur navis, periclitatur cor tuum, fluctuat cor tuum. Audito convicio vindicari desideras: et ecce vindicatus es, et malo alieno cedens, fecisti naufragium. Et quare hoc? Quia dormit in te Christus. Quid est, dormit in te Christus? Oblitus es Christum. Excita ergo Christum, recordare Christum, evigilet in te Christus: considera illum. Quid volebas? Vindicari. Excidit tibi quia ipse cum crucifigeretur dixit: *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* » Addit exemplum illud imitandum esse; compescatur iracundia, et fiet in corde tranquillitas magna: ad vocem Christi cessabit tentatio. « Quod autem dixi, pergit s. Aug., ad iracundiam, hoc tenete regulariter in omnibus tentationibus vestris. » Van Steenkiste. — Quotiescunque igitur periclitamur, nostrum fuerit piis precibus inclamare Christum, nec cessandum si non statim audit inclamatus, sed stimulandus et vellicandus, donec expergefiat, ut dicamus cum Psalmista (Ps. XLIII, 23-26): *Exurge, quare obdormis Domine? exurge, et ne repellas in finem. Quare faciem tuam avertis, oblivisceris inopiæ nostræ et tribulationis nostræ?.... Exurge Domine, adjuva nos: et redime nos propter nomen tuum.*

G. V. D. P.

# Dissertation

## Du cautionnement des trésoriers des fabriques d'église.

—

Les fabriques d'église sont des établissements publics doués de la personnification civile ; et les trésoriers sont réputés *comptables publics* pour tous les actes ou faits se rapportant à leur gestion financière (art. 10 de la loi du 4 Mars 1870). C'est en cette qualité qu'ils sont soumis, comme tous les titulaires d'un emploi de comptable de deniers publics (art. 5 de la loi du 15 Mai 1846), à l'obligation de fournir un cautionnement pour servir de garantie de leur gestion (art. 10 de la loi du 4 Mars 1870).

C'est là une obligation stricte et rigoureuse, à laquelle les comptables ne peuvent se soustraire et dont les établissements publics ne peuvent se dispenser d'exiger le fidèle accomplissement. La négligence des administrations en cette matiere peut entrainer des conséquences funestes tant pour les établissements dont ils gèrent le patrimoine, que pour leurs membres qui, dans certains cas, sont personnellement responsables des pertes subies par les dits établissements. « Dans une matiere aussi grave que délicate, où il s'agit de la gestion des deniers publics, les administrations ne sauraient assez se pénétrer de l'importance de la mission de controle et de surveillance qui leur est imposée par la loi et de la nécessité de prendre des mesures pour que cette mission soit rendue effective et efficace. Si la responsabilité morale et publique n'était pas suffisante pour engager les administrations à s'acquitter avec zèle et dévouement de cette partie importante de leurs attributions, il ne serait pas superflu de leur rappeler... la responsabilité personnelle que leurs membres peuvent encourir de ce chef, en vertu de la loi ». Circulaire du Gouverneur de la Flandre Occidentale, en date du

23 Juin 1888 (*Mémorial administratif, partie générale*, p. 378 ss.). Il importe donc que les administrations des communes et des établissements publics veillent constamment « à ce que les cautionnements de leurs receveurs respectifs soient régulièrement constitués et à ce qu'ils soient en rapport avec l'importance des recettes... Dans le cas contraire, des mesures devront être prises immédiatement pour régulariser la situation et sauvegarder pleinement les intérêts des administrations intéressées ». Circulaire citée. Cf. Circulaire du Gouv. en date du 23 Sept. 1898.

Pour faciliter aux administrations fabriciennes l'observation des prescriptions légales relatives au cautionnement à fournir par leurs trésoriers, nous donnerons une étude complète sur cet important objet. Nous traiterons successivement du taux et de la nature du cautionnement, de la manière de le constituer, des effets du cautionnement, et des formalités à observer pour en obtenir le remboursement. (1)

## I. Taux et nature du cautionnement.

Aux termes de l'article 10 de la loi du 4 Mars 1870, « Le trésorier est tenu de fournir, pour servir de garantie de sa gestion, un cautionnement dont le montant et la nature seront réglés par le conseil de fabrique sur les bases et suivant le mode déterminés par les articles 115 à 120 de la loi communale du 30 Mars 1836 ». (2)

(1) Sur cette matière, consultez surtout Delsaux, *Législation des cautionnements*. — Voyez aussi De Brabandere, *Comp. jur. can.*, 6me édit., T. II, nº 1140 ss.; de Corswarem, *Uitlegging der wetten over de kerkfabrieken*, nº 139 vg.; *Het Vlaamsch Bestuur*, I, 18 vg., II, 375; Giron, *Le droit administratif*, nº 744, et *Dictionnaire*, Vº Cautionnement des receveurs communaux; *Les Pandectes belges*, Vº Cautionnement des fonctionnaires; Bernimolin, *Les institutions provinciales et communales de la Belgique*, T. II, pp. 132, 150, 450; Orban, *Le droit administratif notarial*, nº 673 ss.; Wiliquet, *La loi communale*, nº 1481 ss.; *Instruction générale* du Brabant.

(2) Tout ce que nous dirons du cautionnement s'applique donc également, *mutatis mutandis*, aux receveurs communaux et aux trésoriers des fabriques d'église.

A. Taux du cautionnement.

Le montant du cautionnement des receveurs communaux et des trésoriers de fabrique est proportionné à l'importance de la recette. Il « ne pourra être au-dessous du minimum ci-après, savoir : 600 francs, lorsque les recettes s'élèvent à 2,000 francs et n'excèdent pas 6,000 francs ; 800 francs, quand les recettes s'élèvent de 6,000 à 10,000 francs ; 1,600 francs, lorsque les recettes sont de 10,000 à 20,000 francs ; un douxième du montant des recettes, lorsque celles-ci surpassent 20,000 francs et ne vont pas au-delà de 1,200,000 francs. Le maximum du cautionnement est fixé à 100,000 francs ». Art. 115 de la loi communale ;

C'est la *moyenne* des recettes *ordinaires* des cinq dernières années qui auront précédé la nomination du receveur ou trésorier qui doit être prise pour base du taux du cautionnement à fixer. Art. 116, § 2 de la loi communale.

On ne peut comprendre, dans le calcul de la moyenne des recettes, les emprunts ni les capitaux provenant de remboursements et de ventes d'immeubles, pas plus que le produit d'une vente extraordinaire d'arbres, qui est une recette occasionnelle, ni les subsides extraordinaires de l'État ou de la province, ni les excédants des budgets antérieurs. Wiliquet, *ouv. cité*, n° 1484 ; Giron, *ll. cc.* ; Bernimolin, *ouv. cité*, T. II, p. 132 ; *Rev. de l'adm.*, 1882, p. 83.

L'article 115 de la loi communale se borne à fixer le *minimum* du cautionnement. Le soin d'en régler le montant est abandonné au conseil de fabrique, sous l'approbation de la Députation permanente, qui est dès lors compétente pour en fixer le *quantum*.

La Députation permanente du conseil provincial de la Flandre Occidentale « a admis en principe que ce montant ne peut être au-dessous du *tiers* de la moyenne des recettes ordinaires des cinq dernières années dont les comptes sont apurés. Cette décision est mentionnée

dans la circulaire d'un de mes prédécesseurs, en date du 9 Mai 1863 (*Mémorial administratif*, 1re partie, p. 760). Elle se trouve en outre développée et expliquée dans sa circulaire du 8 Septembre suivant (*Mémorial administratif*, 2e partie, p. 446). (1)

« En règle générale et à moins de circonstances exceptionnelles, cette base est strictement appliquée et il y a lieu pour les administrations d'en tenir compte dès le principe ». Circulaire du Gouverneur de la Flandre Occidentale du 23 Juin 1888.

La même circulaire rappelle que « lorsqu'un cautionnement est versé en *numéraire* (voir *ci-dessous*), on aura soin de se conformer à l'article 3 de l'arrêté royal du 10 Mars 1866 et à la circulaire du Ministre des finances, du 7 Septembre 1867, qui prescrivent de fixer ces cautionnements en chiffres ronds de 100 francs, toute fraction inférieure à 100 fr. étant négligée ».

Lorsque le cautionnement est fourni au moyen d'une *inscription hypothécaire*, l'hypothèque doit laisser une marge disponible suffisante à l'effet de couvrir éventuellement les frais de la réalisation.

Il est de règle que les *propriétés bâties* ne sont acceptées pour servir de cautionnement que pour les deux tiers, et les *biens-fonds* pour les trois quarts de leur valeur estimative. Art. 7 de l'arrêté royal du 28 Septembre 1816; circulaire du Gouverneur du Brabant du 24 Mai 1886; Hellebaut, *Commentaire de la loi communale*, p. 721.

B. Nature du cautionnement.

La loi n'a pas spécifié la nature du cautionnement, et il appartient à l'administration dont le comptable

(1) Cette base fixée par la Députation permanente est applicable à tous les cautionnements. Lors donc que les recettes n'atteignent pas 2000 frs, le cautionnement pourra, s'il ne consiste pas en une simple caution personnelle, être fixé au *tiers* de la moyenne des recettes ordinaires.

La Députation permanente du Hainaut veut qu'il soit fixé à *la moitié* de cette moyenne. Décision du 2 Août 1889 (*Mémorial administratif*, nº 58).

relève, de décider à cet égard, sauf approbation de la Députation permanente. Art. 10 de la loi du 4 Mars 1870 combiné avec l'article 116 de la loi communale.

Le cautionnement peut être fourni indifféremment, au choix de l'administration fabricienne (ou communale), soit en *immeubles*, soit en *numéraire*, soit en *fonds publics* belges ou en obligations de 4 ou 4 1/2 p. c. de la Société du Crédit communal. Circulaires ministérielles du 24 Décembre 1864 et du 30 Novembre 1882.

Ce cautionnement peut être fourni soit par le comptable lui-même, soit par un tiers (personne privée ou société financière), bailleur de fonds, au nom du comptable.

« Dans les communes (ou paroisses) où la moyenne des recettes ne s'élève pas à 2,000 francs, le cautionnement du receveur (ou trésorier) pourra consister en une simple caution personnelle approuvée par la Députation permanente ». Art. 116, § 3, de la loi communale. (1)

*Conclusion pratique.* Chaque fois qu'il y a un nouveau trésorier, immédiatement après sa nomination (2), le conseil de fabrique règle le montant et la nature du cautionnement à fournir, sur les bases et suivant le mode ci-dessus indiqués, sous la réserve de l'approbation de la Députation permanente. La délibération prise à cet égard est envoyée au conseil communal pour avis, et transmise ensuite par la voie hiérarchique à l'administration provinciale. Elle doit être en double expédition (3), et accompagnée d'un état indiquant la

(1) La nature et l'étendue de la caution personnelle sont déterminées par les articles [illegible] et suivants [illegible] Nous appelons spécialement l'attention des établissements intéressés sur les articles [illegible] et [illegible].

(2) Il est de principe que le cautionnement doit fourni avant l'entrée en fonctions du comptable. Art. [illegible] de la loi du [illegible] Mars [illegible].

(3) Aux termes de la [illegible] du 5 Mai [illegible] les délibérations émanant de l'administration [illegible] [illegible] expédition.

situation financière de la fabrique pendant les cinq dernières années.

La Députation permante ne peut qu'approuver ou improuver la délibération du conseil de fabrique; elle n'a pas le droit de modifier cette délibération et de substituer son initiative à celle de l'administration fabricienne, en règlant elle-même le montant et la nature du cautionnement.

En cas de refus d'approbation, si le conseil persiste, il s'élève un conflit que la loi n'autorise pas à trancher par recours au Roi. La fabrique ne pourrait que signaler les faits au Ministre de la justice en le priant d'intervenir officieusement. Giron, *Dictionnaire*, V° cit., n° 1; *Revue communale*, an. 1891, p. 205; Wiliquet, *ouv. cité*, n° 1487.

*(A suivre.)*

---

En matière de cautionnements, *la loi* ne prévoit pas l'intervention de l'Évêque; cependant, en pratique, comme l'avis de l'Évêque est généralement demandé même lorsque la loi ne le prescrit pas formellement, il est d'usage, dans plusieurs provinces, de réclamer quatre expéditions pour toutes les affaires se rapportant à l'administration des fabriques d'église. Un des doubles est conservé dans les archives de l'Évêché.

# Ex S. Congr. Rituum

## CONGREGATIONIS SS^mi REDEMPTORIS

Decreto S. C. R. diei 11 Febr. 1898 decisum fuit servari non posse consuetudinem communiter recitandi in congressibus Archiconfraternitatis a S. Familia nuncupatæ quasdam litanias gesta et exempla S. Familiæ referentes : quare R^mus Procurator generalis Congregationis SS^mi Redemptoris S. Rituum Congregationi obtulit sequentem precum formulam cum adjecto postulato ut infra :

### Prière a la Sainte Famille.

Jésus, Marie, Joseph, noms à jamais bénis du Père, de la Mère, et de l'Enfant qui composent la famille que la langue de tous les siècles appelle la Sainte Famille, très dignes objets de notre culte et de notre amour, image de l'auguste Trinité sur la terre, nouvel époux, nouvelle épouse, nouvel enfant, qui êtes les restaurateurs de la famille dégradée avant le christianisme, nous avons recours à vous. — ℟. Nous avons tous recours à vous, Jésus, Marie, Joseph, nous avons tous recours à vous.

Sainte Famille, dont la chaste alliance fut préparée par une jeunesse innocente et vertueuse, qui fûtes éprouvée par les plus grandes contradictions, affligée dans votre voyage à Bethléhem, rebutée de tous et obligée de vous réfugier dans une étable, nous avons recours à vous. — ℟. Nous avons tous recours à vous, etc.

Sainte Famille, saluée par les concerts des Anges, visitée par de pauvres bergers, vénérée par les Rois Mages, préconisée par le saint vieillard Siméon, nous avons recours à vous. — ℟ Nous avons tous recours à vous, etc.

Sainte Famille, persécutée et exilée dans une terre étrangère, cachée et inconnue à Nazareth, très fidèle à la loi du Seigneur, modèle de la famille chrétienne où régne la paix et la concorde, nous avons recours à vous. — ℟. Nous avons tous recours à vous, etc.

Sainte Famille, dont le chef est un modèle de vigilance

paternelle, dont l'épouse est un modèle de sollicitude maternelle, dont l'enfant est un modèle d'obéissance et de piété filiale, nous avons recours à vous — ℣. Nous avons tous recours à vous, etc.

Sainte Famille, qui avez mené une vie pauvre, laborieuse et pénitente, qui avez gagné votre pain à la sueur de votre front, pauvre des biens de la terre, mais riche des biens du Ciel, méprisée des hommes, mais grande aux yeux de Dieu, nous avons recours à vous. — ℣. Nous avons tous recours à vous, etc.

Sainte Famille, notre soutien pendant la vie et notre espérance à l'heure de la mort, Patronne et Protectrice de notre Archiconfrérie, nous avons recours à vous. — ℣. Nous avons tous recours à vous, etc.

*(Tous ensemble)* Jésus, Marie, Joseph, éclairez-nous, secourez-nous, sauvez-nous. Ainsi soit-il.

## *Oraison.*

Dieu de bonté et de miséricorde, qui avez daigné nous appeler à cette pieuse confrérie de la Sainte Famille, accordez-nous la grâce d'hononer toujours et d'imiter Jésus, Marie, Joseph, afin qu'après leur avoir été agréables sur la terre, nous puissions jouir de leur présence dans le Ciel. Par Jésus Christ Notre Seigneur, Ainsi soit-il.

## Congregationis SSmi Redemptoris.

Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito etiam voto Commissionis Liturgicæ, ad dubium a Rmo Procuratore Generali Congregationis SSmi Redemptoris propositum :

Utrum suprascriptis precibus in honorem Sanctæ Familiæ, nempe Jesu, Mariæ, Joseph, exaratis, obstent Decreta ab ipsa Sacra Congregatione edita circa publicam litaniarum recitationem (1) ; respondendum censuit :

*Negative, seu non obstare et ad Rmos locorum Ordinarios pro adprobatione.*

Atque ita rescripsit. Die 18 Martii 1898.

D. Panici, *S. R. C. Secret.*

---

(1) Cfr. *Collat. Brug.* T. I, p. 31 sqq. — T. II, p. 104 sq. — T. III, p. 243 sq.

Nobis transmissa fuit suprascriptarum precum sequens versio flandrica, lectoribus nostris communicanda, in utilitatem sacerdotum qui sodalitatibus S. Familiæ præsunt:

## GEBEDEN TOT DE H. FAMILIE.

*Jesus, Maria, Jozef, voor altijd gezegende namen van den Vader, van de Moeder en van het Kind, welke de familie uitmaken die door de taal van alle eeuwen H. Familie genoemd wordt, zeer waardige voorwerpen van onzen eeredienst en onze liefde, afbeeldsel van de verhevene Drievuldigheid op aarde, nieuwe Bruidegom, nieuwe Bruid, nieuw Kind, die de familie welke vóór het christendom vervallen was, hersteld hebt, wij nemen onze toevlucht tot U.*

℣. *Wij nemen allen onze toevlucht tot U, Jezus, Maria, Jozef, wij nemen allen onze toevlucht tot U.*

*H. Familie, wier zuivere verbintenis voorbereid werd door eene onschuldige en deugdzame jeugd, beproefd door de grootste wederwaardigheden, bedroefd op uwe reis naar Bethleem, van iedereen verstooten en genoodzaakt in eenen stal te gaan herbergen, wij nemen onze toevlucht tot U.*

℣. *Wij nemen allen onze toevlucht tot U, Jezus, Maria, Jozef, wij nemen allen onze toevlucht tot U.*

*H. Familie, begroet door het gezang der Engelen, bezocht door arme Herders, vereerd door de Drie Koningen, hoog geprezen door den heiligen grijsaard Simeon, wij nemen onze toevlucht tot U.*

℣. *Wij nemen allen onze toevlucht tot U, Jezus, Maria, Jozef, wij nemen allen onze toevlucht tot U.*

*H. Familie, vervolgd en naar een vreemd land verbannen, verborgen en onbekend te Nazareth, zeer getrouw aan de wet des Heeren, voorbeeld van de christelijke familie. H. Familie, waarin vrede en eendracht heerschen, wij nemen onze toevlucht tot U.*

℣. *Wij nemen allen onze toevlucht tot U, Jezus, Maria, Jozef, wij nemen allen onze toevlucht tot U.*

*H. Familie, waarvan het Hoofd een voorbeeld is van vaderlijke waakzaamheid, waarvan de Bruid een voorbeeld is van moederlijke zorgvuldigheid, waarvan het Kind een voorbeeld is van gehoorzaamheid en kinderlijke liefde, wij nemen onze toevlucht tot U.*

℣. *Wij nemen allen onze toevlucht tot U, Jezus, Maria, Jozef, wij nemen allen onze toevlucht tot U.*

*H. Familie, die een arm, werkzaam en boetvaardig leven hebt*

*geleid, die uw brood hebt gewonnen in het zweet uws aanschijns, arm aan aardsche, maar rijk aan hemelsche goederen, versmaad van de menschen, maar groot in de oogen van God, wij nemen onze toevlucht tot U.*

℟. *Wij nemen allen onze toevlucht tot U, Jezus, Maria, Jozef, wij nemen allen onze toevlucht tot U.*

*H. Familie, onze steun gedurende het leven en onze hoop in het uur van de dood, Patrones en Beschermster van onze Aartsbroederschap, wij nemen onzen toevlucht tot U.*

℟. *Wij nemen allen onze toevlucht tot U, Jezus, Maria, Jozef, wij nemen allen onze toevlucht tot U.*

(Allen te zamen): *Jezus, Maria, Jozef, verlicht ons, helpt ons, redt ons. Amen.*

GEBED.

*God van goedheid en barmhartigheid, die u gewaardigd hebt ons te roepen tot deze godvruchtige vergadering van de H. Familie, verleen ons de gratie Jezus, Maria en Jozef altijd te vereeren en na te volgen, opdat wij, na hun aangenaam geweest te zijn op de aarde, hunne tegenwoordigheid mogen genieten in den Hemel. Door Jezus Christus onzen Heer. Amen.*

*Vidimus et approbavimus.*
*Leodii, 8 Julii 1898.*
M. RUTTEN, VIC.-GEN.

# Ex S. Congregatione Indicis

**DUBIUM propositum circa Constitutionem** « *Officiorum ac munerum* ».

An Ordinarii, qui, peracto examine alicujus libri præviæ eorum censuræ submissi, licentiam denegent eundem publicandi, teneantur auctori rationes denegatæ licentiæ indicare?

Eadem Sacra Congregatio sub die 1 Septembris 1898 respondere mandavit: *Affirmative, si liber videatur correctionis seu expurgationis esse capax.*

Datum Romæ ex Secretaria ejusdem S. Indicis Cognis die 3 Septembris 1898.

F. MARCOLINUS CICOGNANI O. P. *a Secretis.*

# Jurisprudence administrative

## Observations sur l'arrêté royal du 28 Octobre 1898

(*Collationes*, T. III, p. 642 ss.)

I. Cet arrêté accueille le recours formé par le conseil communal de Watou contre l'inscription de certains crédits au budget de la fabrique de l'église de Saint-Jean-aux-Joncs, en cette localité.

Cette décision consacre un revirement important dans la jurisprudence administrative.

Aux termes de l'article 4 de la loi du 4 Mars 1870 : « En cas de réclamation, soit de la part de l'Evêque ou du Gouverneur, soit de la part des *administrations intéressées*, (contre le budget de la fabrique approuvé par la Députation permanente), il est statué par arrêté royal motivé ».

D'après une opinion très fondée et assez généralement admise (1), l'expression « *administrations intéressées* » comprend non seulement la *fabrique*, mais aussi la *commune*. En effet, l'article 3, § 4 de la même loi porte : « Trois des doubles, mentionnant la décision de la Députation, sont immédiatement renvoyés, l'un à l'Evêque et les deux autres aux *administrations communale et fabricienne respectivement intéressées* ». Lorsque, immédiatement après, l'article 4 parle des administrations intéressées, il n'est pas douteux qu'il s'agit là des mêmes administrations, à savoir la commune et la fabrique. Si le législateur avait voulu admettre la commune à

(1) Voir Versluysen, *Handboeken der kerkfabrieken*, p. 48 ; *Le mém. belge*, an. 1875, p. 71 et 72 ; Brixhe, 2me édit., V° *Budget*, n. 9 ; Moulart, *Des fabriques d'églises*, 8me édit., p. 622 ; De Brabandere, *Compendium juris canonici*, n. 1094, et dans la 5me édit., n. 1093 ; *Revue communale*, an. 1887, p. 63.

l'article 3 et l'exclure à l'article 4, il se serait exprimé d'une autre manière. S'il s'est énoncé différemment à l'article 3 et à l'article 4, disant d'abord « *les administrations communale et fabricienne respectivement intéressées* », et puis « *les administrations intéressées*, c'est uniquement pour abréger et alléger le texte, pour éviter une inutile répétition.

Cependant, dans une dépêche du 28 Octobre 1881 (*Rec. des circ. du minist. de la just.*, 1881-1882, p. 353), le Ministre de l'intérieur, d'accord avec le Ministre de la justice, n'admit par cette manière de voir : « Les conseils communaux, dit-il, ne peuvent être considérés comme administrations intéressées; ils n'ont donc pas de recours à prendre contre les budgets des fabriques d'église : ils se bornent à donner leur avis. L'article 4 de la loi précitée du 4 Mars 1870 ne leur est pas applicable ». La circulaire du 15 Mai 1885 relative à la comptabilité des fabriques confirma cette interprétation nouvelle, qui fut également adoptée dans une dépêche ministérielle du 3 Février 1891. Aussi plusieurs jurisconsultes, notamment Giron (*Droit administ.*, n. 1107, et *Dictionnaire*, V° Frabrique d'église, n. 48) et Wiliquet (*Commentaire de la loi communale*, n. 939 en note) enseignent que les communes ne sont pas considérées comme parties intéressées, et que, partant, les conseils communaux n'ont pas qualité pour se pourvoir auprès du Roi contre les budgets des fabriques d'église. (1)

Cette jurisprudence, que Wiliquet n'hésite pas à appeler *constante*, vient donc d'être modifiée; et dans une dépêche, en date du 27 Octobre 1898, adressée au Gouverneur de la Flandre Occidentale, le Ministre de

(1) Nous mettant au point de vue *pratique*, nous avions, au n. 1093 de la 6me édition du *Compendium juris canonici* de Mgr De Brabandere, adopté la même interprétation, qui semblait définitivement consacrée par la pratique administrative. Le changement de jurisprudence que nous venons de signaler s'est opéré en temps utile pour nous permettre de redresser notre erreur dans les *errata et addenda*.

la justice estime que « contrairement au sens donné par quelques commentateurs et par la circulaire de M. le Ministre de l'Intérieur, du 28 Octobre 1881, aux mots « *administrations intéressées* » qui se trouvent dans le texte de l'article 4 de la loi du 4 Mars 1870,... ils désignent aussi bien la commune que la fabrique ».

C'est le cas de dire que la jurisprudence est essentiellement variable !

II. Le même arrêté, — tandis qu'il maintient, malgré le recours de la commune, la somme de 106 fr. inscrite sous l'article 32 (*Entretien et réparation de l'orgue*), parce qu'il s'agit « d'une dépense dans laquelle l'intervention de la commune est obligatoire en cas d'insuffisance des ressources de la fabrique », — supprime les crédits de 50 fr. chacun, admis par la Députation permanente respectivement aux articles 27 (*Entretien et réparation de l'église*) et 30 (*Entretien et réparation du presbytère*) des dépenses ordinaires du budget de la fabrique, par le motif « que la fabrique ne possédant pas de ressources suffisantes pour couvrir les frais des réparations à exécuter à l'église et au presbytère, il appartient à la commune, aux termes des articles 94 et suivants du décret du 30 Décembre 1809, de pourvoir à l'entretien de ces bâtiments ».

Qu'on veuille bien remarquer la portée de cette étrange décision: elle signifie que, dans toutes les localités (et elles sont nombreuses dans certaines provinces) où la commune est appelée à suppléer à l'insuffisance des revenus ordinaires de la fabrique, celle-ci ne pourra plus, au moins si la commune réclame, inscrire à son budget aucun crédit, même très modéré, destiné au payement des réparations d'entretien des édifices du culte. Les réparations même ordinaires, qui doivent être régulièrement faites dans l'intérêt de la conservation des bâtiments, devront être préalablement constatées conformément à l'art. 95 du décret, pour être ensuite exécutées par *la commune*.

Cette décision est manifestement contraire à l'intention du législateur, et repose sur une fausse interprétation des articles 94 et suivants du décret.

En effet, le législateur charge formellement *la fabrique* « de veiller à l'entretien des églises... et des presbytères » (art. 37, 4°). Il impose aux marguilliers, et spécialement au trésorier, à peine d'engager leur responsabilité personnelle, de faire deux fois l'an la visite des bâtiments avec des gens de l'art et « de veiller à ce que toutes les réparations soient bien et *promptement* faites ». A cet effet, il autorise *les marguilliers* à pourvoir sur le champ (sans même devoir consulter le conseil) et par économie, aux réparations locatives ou autres qui n'excèdent pas 50 fr. dans les paroisses au-dessous de mille âmes, et de 100 fr. dans les paroisses d'une plus grande population; et il permet *au conseil* d'ordonner, sans aucune formalité, toutes celles qui ne s'élèvent pas à plus de 100 ou de 200 fr., d'après la même base (art. 42 coll. art. 12). Il décrète, en conséquence, que parmi les articles de dépense du budget *annuel* de la fabrique, il soit porté une allocation destinée à couvrir « les frais de réparations *locatives* » (art. 46, 4°), c'est-à-dire, *d'entretien* (circ. min. just. du 4 Juin 1881 et 15 Mai 1885); et, en outre, il impose expressément à *la commune* « de suppléer à l'insuffisance des revenus de la fabrique pour les charges portées en l'article 37 » (art. 92), parmi lesquelles figurent les réparations des édifices du culte (art. 37, 4°, 93, 95 et 98).

Comment, dès lors, peut-on raisonnablement prétendre que le même législateur ait voulu qu'on supprimât dans le budget de la fabrique les crédits destinés aux réparations d'entretien, qu'il ait subordonné l'exécution de ces réparations aux longues formalités prescrites par l'art. 95, et qu'il ait enfin abandonné à la commune le soin d'y pourvoir elle-même toutes les fois que la fabrique ne parvient pas à équilibrer les recettes et les dépenses de son budget?

On invoque les articles 94 et suivants du décret. Mais il résulte déjà de ce que nous venons de dire que ces dispositions ne peuvent pas avoir la portée qu'on leur donne. L'article 94 porte, il est vrai, que « s'il s'agit de réparations des bâtiments, de quelque nature qu'elles soient, et que la dépense ordinaire arrêtée par le budget ne laisse pas de fonds disponibles ou n'en laisse pas de suffisants pour ces réparations, le bureau en fera son rapport au conseil et celui-ci prendra une délibération tendant à ce qu'il y soit pourvu par la commune » ; et, aux termes des articles 95 et 98, lorsque les réparations à faire auront été dûment constatées, elles devront être faites aux frais de la commune, et en conséquence il sera procédé, par le conseil communal en la forme accoutumée, à l'adjudication au rabais. Cependant, il appert du contexte et de l'ensemble des dispositions du décret que, malgré la généralité des termes de l'article 94 (s'il s'agit de réparations, *de quelque nature qu'elles soient*), cet article et les suivants ne s'appliquent pas aux réparations *locatives ou d'entretien*, qui font partie de la *dépense ordinaire* arrêtée par le budget annuel ; ils concernent les réparations importantes qui comportent les formalités de l'adjudication, les grosses réparations et reconstructions qui constituent une dépense *extraordinaire* à laquelle la fabrique ne doit affecter que l'excédant qui lui reste après avoir pourvu aux dépenses ordinaires énumérées dans l'article 46. Cfr. art. 36, 4°, 46, 92, 3°, 98 et 107 ss.

D'ailleurs, les articles 94 et suivants n'ont aucunement pour objet de déterminer les droits et devoirs respectifs de la fabrique et de la commune ; ce sont des dispositions réglementaires indiquant les formalités qui doivent être préalablement remplies, lorsque la commune est appelée à suppléer à l'insuffisance des ressources de la fabrique à l'effet de couvrir la dépense des réparations. Voir arr. roy. du 20 Février 1893 (*Monit.*, p. 615) et du 23 Janvier 1897 (*Monit.*, p. 417). Cfr. *Het*

*Vl. Bestuur*, VI, p. 67 ss., et *Revue catholique de droit*, I, p. 90.

Au reste, la commune n'aura le droit de procéder elle-même à l'adjudication et de diriger les travaux que dans le cas où elle fait *seule* les frais des réparations. Cfr. De Brabandere, *Comp. jur. can.*, 6me édit., n. 1082.

C. V. C.

# Jurisprudence des Cours et Tribunaux

## De l'obligation absolue des communes de fournir une indemnité de logement aux curés ou desservants

—

Arrêt de la Cour de Bruxelles, du 11 Mai 1898 (1) (*Pasic.*, II, p. 403).

—

Par arrêté royal du 29 Juillet 1879, la fabrique d'église de Saint-Augustin, à Anvers, a été autorisée à accepter la donation d'un immeuble qui servait d'habitation au curé. qui était le donataire.

Celui-ci, dans l'acte de donation, « émettait le vœu qu'après sa mort, la dite propriété serve à perpétuité d'habitation à MM. les curés de Saint-Augustin, lesquels ne seront tenus de payer de ce chef à la fabrique qu'un loyer de 600 francs ».

La ville d'Anvers a prétendu que cette donation imposait une charge à la fabrique; que, par suite, le budget de la

(1) Cet arrêt est confirmatif d'un jugement du tribunal d'Anvers du 8 Avril 1897.

ville ne pouvait plus être grevé de l'indemnité de logement due au desservant.

ARRÊT.

LA COUR; — Attendu que l'obligation de la commune de fournir une indemnité de logement au desservant est absolue; qu'elle est indépendante des biens et des ressources que possède la fabrique et des avantages dont peut jouir le desservant;

Attendu que la donation de la maison dont s'agit a été faite à la fabrique de l'église de Saint-Augustin, sans stipulation au profit de la ville, et que, seule, la fabrique a loué la dite maison à l'intimé moyennant un loyer de 600 francs;

Attendu que ces contrats sont donc étrangers à l'appelante, qui ne peut en souffrir ni en profiter; qu'ils n'exercent pas la moindre influence sur la nature et l'étendue de l'obligation de la ville, qui n'est pas de rembourser à l'intimé le loyer qu'il paye à la fabrique, mais de lui fournir une indemnité de logement en rapport avec le prix actuel des locations;

Par ces motifs, de l'avis conforme de M. le premier avocat général Raymond Janssens, entendu en audience publique, met l'appel à néant; condamne l'appelante aux dépens d'appel.

*Observation.* Cet arrêt confirme la doctrine que nous avons exposée dans les *Collationes*, T. III p. 213 ss. Cfr *Revue catholique de droit,* T. I, p. 188 et sv.

# Consultatio

Dum cantatur Responsorium *Libera me Domine* et aspergitur aut incensatur feretrum vel tumulus in Absolutione post missam defunctorum facienda, an Celebrans caput detectum habere debet?

*Resp.* S. C. R. decreto *in Senen.* 30 Junii 1883 ad dubium: « An tolerari possit consuetudo, qua sacerdos in exequiis defunctorum cooperit caput suum bireto,

quando imponit et benedicit incensum? » respondit: « Consuetudinem in casu non tolerandam sed omnino tollendam ». Quæ decisio omne dubium tollit pro impositione incensi ad Absolutionem. Sed si ulterius quæritur, utrum toto tempore Absolutionis Celebrans caput detectum habere debeat, respondendum est affirmative juxta doctrinam liturgicorum, qui explicite docent celebrantem et ministros detecto capite stare debere vel idem supponunt. Ita, v. gr., De Herdt (parte VI, n^is^ 250 et 252) et Ill. Vanderstappen (*de administratione Sacram.* parte I, Tit. VI, q. 259 et q. 262) docent quidem Celebrantem et Diaconum (non vero Subdiaconum) *capite tecto* ab altari ad tumulum procedere et iterum caput cooperire post Absolutionem, quando redeunt ad sacristiam, sed etiam tenent eos, statim ac unusquisque suo loco ante Absolutionem constiterit, caput bireto nudare et detecto capite stare debere sub tota Absolutione. Hoc autem deducitur ex regula generali, quam tradunt Auctores (Cfr. Ill. Vanderstappen *de celebr. missæ*, q. 101) biretum capiti imponi in accessu ad sacras functiones et in recessu, *non autem in actuali ministerio*, nisi quando sedetur, sanctissimo Sacramento non exposiio (1). Celebrans ergo (nisi sit Episcopus) sedere vel procedere de loco in locum quidem potest, nunquam vero stare vel cæremoniam specialem peragere capite cooperto; consequenter caput detectum habere debet non tantum dum imponit et benedicit incensumi sed etiam dum circuit tumulum ad hunc aspergendum vel incensandum et toto tempore Absolutionis.

H. V. D. W.

(1) Cfr. Collat. Brug. III, p. 529.

# Collationes Brugenses

## Quæstiones pro Conferentiis

### mensis Martii

—

I

Legitur in libro Judith IX, 2, 3: *Domine Deus patris mei Simeon, qui dedisti ei gladium in defensionem alienigenarum...* Quæritur 1° quid ibi veniat nomine *defensionis;* 2° an et qua ratione factum Simeonis laudabile fuerit atque à Juditha laudatum sit.

II

Expone Jo. I, 14: *Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.*

III

Explica et demonstra hanc propositionem: Gratia est omnino gratuita seu nulla opera ordinis naturalis possunt eam sive de condigno sive de congruo mereri.

IV

Qui mane communicavit ex devotione vel ad satisfaciendum præcepto paschali, an et quare potest vel debet eadem die viaticum suscipere, subito instante mortis periculo?

V

Qui non potest ad sacram synaxim accedere tempore paschali, an et quare 1/ debet communicare postea, 2/ satisfacit præveniendo?

VI

Quænam requiritur ratio ut parvuli plures simul baptizentur solemniter, et quomodo in casu procedendum?

# Responsa

## ad quæstiones in Conferentiis mensis Decembris 1898 propositas

—

I

Q. Explana Jo. I, 3: *Omnia per ipsum facta sunt: et sine ipso factum est nihil, quod factum est.*

R. *Omnia*, id est, quidquid extra Deum factorem exsistit in rerum natura, *ab angelo usque ad vermiculum*, ait S. Augustinus. Notam universalem *omnia* præclarè amplificat S. Paulus ad Coloss. I, 16, 17: « *In ipso condita sunt universa in cœlis, et in terra, visibilia, et invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates: omnia per ipsum, et in ipso creata sunt: et ipse est ante omnes, et omnia in ipso constant.* » Cf. ad Hebr. I, 2: « *Per quem fecit et sæcula.* »

*Per ipsum*, per Verbum, non tamquam ministrum, organum, instrumentum, ut somniabant Ariani, sed tamquam causam primam, creandi potentiam à Patre habentem et unà cum eo creantem. — Præpositionem διὰ, *per*, de causa *principali* nonnunquam adhiberi, constat ex variis S. Scripturæ locis. Cf. I Cor. I, 9; Hebr. II, 10. — Ad rem Corluy: « Dicitur δι' αὐτοῦ, *per ipsum*, quia Verbum non est, ut Pater, *principium sine principio*, sed creandi potentiam à Patre accepit. » — Egregiè Toletus: « Adverte unicam esse actionem, qua Pater et Filius creant, cum unica sit utriusque essentia, virtus, et potentia. Hoc tamen est discriminis, quòd licet unica sit essentia, et virtus in utroque, tamen Filius habet à Patre essentiam, et virtutem; ita quamvis unica est actio, qua uterque creat, tamen Filius habet à Patre quòd creet, sicut habet virtutem, et essentiam, qua creat. Creare ergo Patrem per Filium,

est, Patrem unà cum Filio creare, sed communicando Filio essentiam, et virtutem, quâ unà cum ipso Patre creat: et proinde quadam ratione assimilatur instrumento, nempe in hoc, quod sicut agens communicat virtutem instrumento, ut unà cum ipso operetur, ita Pater Filio virtutem communicat. At est maxima differentia; quia agens non communicat suam substantiam, nec suammet virtutem, quam habet, instrumento, et ob id instrumentum est inferius agente: at Pater communicat suammet substantiam, et virtutem Filio, qua uterque agit: et ideo non est minor Filius Patre, in quo decepti sunt Ariani. » Cf. Luc. Brug., a Lapide etc.

*Facta sunt*, ἐγένετο, *esse* consecuta sunt, « scilicet à Deo cujus erat Verbum, idque ex nihilo, si non immediate, certè materia mediante, quæ ex nihilo producta fuerit. Porro si omnia per Verbum facta sunt, ipsum igitur non est factum: nec enim magis factum esse potest per seipsum, quam seipso esse prius » Luc. Brug. — Verbum græcum, quo usus est Joannes, sicut et latinum, commune quidem est ad ea quæ ex aliquo, et ad ea quæ ex nihilo fiunt; verum hic doceri creationem mundi ex nihilo eruitur tum ex eo quod Joannes, quemadmodum Moyses (Gen. I, 1), solius *factoris*, et *factorum*, non vero *materiæ* meminerit, tum ex universali voce *omnia*: « Si enim, ait Toletus, materia fuisset, ex qua cætera fecit Deus, aut facta esset, aut non: si non, ergo non omnia facta sunt per ipsum; si facta est, profectò ex nihilo facta sunt. Non enim idcirco negandum est, ex nihilo fecisse Deum omnia, quamvis prius materiam fecerit, et ex hac postea reliqua, ut aliqui senserunt. » Idem demonstratur ex sqq.

*Et sine ipso factum est nihil* (οὐδὲ ἕν, neque unum, nulla res, nihil). *quod factum est*, i. e. nihil est eorum, quæ facta sunt, et extra Deum sunt, quod non sit factum à Deo per Verbum. « Ne putares commodam distributionem significatam vocula *omnia*, nimirum plurima aut pleraque omnia, quod dixerat affirmando ac numero

plurali, majoris confirmationis gratia repetit exponitque negando ac numero singulari: Nihil quod quidem factum sit, sine ipso factum est; nulla res facta est, quæ facta sit sine ipso, seu, quæ non facta sit per ipsum... Nihil ergo excipiendum docet Evangelista ex iis quæ facta sunt, quod non sit factum per Verbum Dei. » Luc. Brug.

Particulà *sine* significatur Filium fecisse omnia non solum, sed unà cum Patre. Namque, ut notat S. Hilarius *lib. 2 Trin.*, hac voculâ significatur quædam concomitantia, et associatio, ut inde intelligatur etiam alia persona socia, nempe Pater, quasi diceret: sine eo à Patre nihil est factum. Significatur enim persona, quæ fecit, et sine quâ non fecit.

Clausulà *quod factum est* innuitur aliquid esse quod factum non sit, nimirùm divinam naturam divinasque personas, ac nominatim Spiritum Sanctum.

Tandem « advertere oportet hæc verba *quod factum est* à multis Scriptoribus antiquis, præsertim primorum trium sæculorum, item in quibusdam e codicibus græcis vetustioribus et in latinis vetustissimis, jungi insequentibus *in ipso vita erat:* ita tamen ut ab aliis post *factum est*, ab aliis post *in ipso* comma ponatur. Vaticana Clementis VIII editio, re in incerto posita, sic habet:... *factum est nihil, quod factum est; in ipso vita erat...*

Lectionis hujus, *quod factum est in ipso vita erat*, sensum plerique hunc faciunt, quem S. Augustinus (In Jo. tr. I, 16, 17) fuse evolvit: Quidquid factum est, priusquam fieret, in Verbo vita erat. Quum enim in ipso sit ab æterno ratio rerum omnium quæ umquam futuræ sint, res omnes spiritualiter seu intellectualiter, puta secundum speciem suam exemplarem, in Verbo ab æterno subsistunt. Hæc quidem sententia in se vera est et præclara; at quomodo cum sequentibus cohæreat, non facile apparet. Quare priorem interpungendi rationem, quæ magnam aliàs auctoritatem habet, quæque sententiam planiorem et cohærentiam concinniorem

facit, adoptamus. » Liagre. Concinunt Luc. Brug., a Lapide, Toletus, Corluy etc.

G. V. D. P.

II

Q. *Expone sensum hujus propositionis: Homo lapsus sine speciali auxilio gratiæ laborat impotentia morali ad totam legem naturalem adimplendam.*

R. Quum in præcedentibus de physica gratiæ necessitate egerimus, nunc aliquid de morali ejusdem necessitate attingemus, et quoniam de observatione legis loquimur jam patet nos hîc solos adultos considerare.

*Homo lapsus* intelligitur generis humani individuum naturali generatione ab Adamo descendens. *Lapsus* dicitur homo quia Adam, caput generis humani ab illo ortum ducentis, legem Dei transgressus, non sibi solum sed et omnibus suis posteris, dona tum supernaturalia, tum præternaturalia amisit quæ Deus illi infuderat. Unde genus humanum a pristino statu delapsum est. Et sane omnis homo, nisi speciali Dei privilegio gaudeat, nascitur privatus gratia sanctificante ac aliis cum ea donis connexis, et ideo homo est natura filius iræ; præterea orbatus est immunitate a concupiscentia, ab ignorantia, a malis physicis. Quamquam hæc omnia dona naturæ erant indebita, tamen consequenter ad illorum amissionem obruitur homo nunc multis malis tum in ordine morali, tum in ordine physico: unde in miserrima versatur conditione. Tamen ablatione donorum non essentialiter corrupta est humana natura: ipsi enim « nec ablatum est aliquod principium ad bene operandum secundum se naturæ conveniens, nec adjunctum aliquod contrarium principium impeditivum bonarum actionum. (1) »

(1) Casajoana, *Disquisitiones scholastico-dogmaticæ*, Vol. IV, P. I, disq. IV, n. 49.

*Laborat impotentia morali* h. e. tot et tantæ occurrunt ad observandam legem naturalem difficultates ut de facto homo (sine speciali auxilio gratiæ) hanc legem non observet. Duplex nempe distinguitur impotentia: *moralis* scilicet et *physica*. *Physica* habetur quando facultas vel entitative improportionata est et incapax ad aliquem actum eliciendum, vel ad actum applicari nequit propter defectum alicujus conditionis physice requisitæ. Ita ex. gr. physica impotentia laborat phantasia ad intelligendum; item oculus ad videndum, quando non adest aliquod objectum sensibile sufficienter cum oculo conjunctum. Quod physice possibile est, fieri potest moraliter impossibile. Impotentia *moralis* habetur quando facultas, physice quidem capax aliquem actum eliciendi, tamen inspectis hominum moribus, de facto talem actum vel nunquam vel fere nunquam ponit. Et ratio hujus est quia actio aliqua nimis difficilis est: quod autem nimis difficile est homines vel nunquam vel fere nunquam faciunt. Porro non dari physicam in homine impotentiam ad legis naturalis observationem patet ex eo quod liberum hominis arbitrium essentialiter, seu vi ipsius naturæ obligatur ad singula legis naturalis præcepta, et consequenter iis proportionata est. Ex revelatione, non ex naturali luminis ratione, cognoscimus homines in statu naturæ lapsæ, ratione difficultatum quas legis naturalis observatio secum fert et præsertim ob difficultatem resistendi concupiscentiæ, illam legem transgressuros esse, nisi auxilio gratiæ sanentur ac roborentur. Hoc docet S. Paulus (Rom. VII, 14-25) quando describit infelicem illam luctationem qua homo sub lege constitutus (et idem propter paritatem rationis affirmandum est de gentibus quæ legem non habent), quamvis inefficacibus voluntatis actibus se bonum approbare manifestet, a carne ad malum tendente vincitur, et ita captivus est peccati, h. e. concupiscentiæ, cui inservit.

*Ad totam legem naturalem adimplendam,* h. e. ad

omnia præcepta collective sumpta et inspecta relate ad obligationem quæ per longum tempus protrahitur. Non enim datur impotentia moralis ad observanda singula præcepta distributive sumpta, nec ad adimplenda omnia per breve tempus. Agitur nunc de legis observatione quæ dicitur *quoad substantiam*, id est quantum exigit naturalis honestas, non autem *quoad modum* h. e. ita ut conducat ad salutem æternam consequendam. Præterea impotentia moralis quam adstruimus, est vitandi *peccata mortalia*, non venialia tantum: ita enim in documentis Ecclesiæ describuntur homines incapaces ad præcepta adimplenda ut concludendum sit talibus legis transgressionibus excludi homines ab æterna vita: quod de solis mortalibus valet peccatis. — Duratio per quam homo lapsus manere potest immunis a peccato mortali definiri nequit: pro diversitate adjunctorum alius diutius alio difficultates vincet: non tamen homo potest per longum tempus h. e. per annos, forsitan per menses, sine gratia vel speciali Dei adjutorio, observare totam legem naturalem. (1)

*Sine speciali auxilio gratiæ.* Quodnam ad moralem impotentiam, quam supra exposuimus, tollendam, requiritur auxilium? Si rei natura, scilicet legis naturalis observatio consideratur sola, sequitur nec gratiam sanctificantem, nec fidem, nec motionem entitative supernaturalem esse necessariam: agitur enim de re naturali ad quam vis naturæ sufficit. Præterea non repugnat dari gratiam mere sanantem, auxilium nempe intrinsece

(1) Quoad qualificationem doctrinæ, hæc accipe: « Videtur (hæc propositio) non esse simpliciter de fide, quia non invenio expressam et specificam Ecclesiæ definitionem hujus dogmatis sub his terminis propositi, scilicet de observatione omnium præceptorum legis naturæ, solum quoad vitanda peccata illis contraria..... Ideoque satis est dicere, doctrinam hanc esse conclusionem theologicam adeo certam ut contraria non solum jam temeraria sit, sed etiam errori proxima » Suarez *De Gratia*, l. 1, c. 26 n 12) « Cui judicio eo vel magis est subscribendum, quod jam habeamus unanimem Theologorum consensum » Ita Card. Mazzella, *De Gratia*, disp. II, n. 377.

naturale, (1) quo homo pro variis in quibus versatur difficultatibus roboretur a Deo. His omnibus rationibus non repugnat ut homo non quidem sine auxilio Dei, sed sine gratia supernaturali observet per longum tempus legem naturalem.

Attamen si inquiritur quid de lege ordinaria fiat in præsenti Providentiæ ordine, dicendum est requiri in primis *gratiam sanctificantem et virtutes infusas quæ ei sunt annexæ*, ut homo de facto observet per longum tempus legem naturalem. Ratio enim præcipua cur homo nunc morali necessitate in peccatum labatur est quia mens ejus jam non est subdita Deo, nec in Ipso constituit finem suæ voluntatis : homines enim peccato originali quo omnes (nisi speciali privilegio Dei gratia ipsis infundatur) inficiuntur, sunt habitualiter aversi a Deo fine suo ultimo ; et quamvis originale peccatum nullam physicam dispositionem amori Dei aut legis naturalis observationi contrariam inducat, tamen consequenter ad hoc peccatum, in tali statu versantur nunc homines in quo ipsis moraliter impossibile sit sese subjicere Deo usque ad contemptum suî, et non quærere bonum suum privatum ad quod habitualiter inclinantur per concupiscentiam (2) ; ideo adultus nondum baptizatus non potest, viribus solius naturæ relictus, saltem per longum tempus abstinere a peccato mortali actuali, et deinde quum jam tunc sit positive conversus

(1) « Ejusmodi speciale auxilium esset adjutorium Dei per intellectus illustrationem et voluntatis motionem, distinctum a donis creationis et providentiæ ordinariæ. Auxilium tale foret naturale quoad substantiam : sed quum naturæ non per se insitum sit, ex principiis ipsius non fluat, nec ab ea physice exigatur, a Deo vero concedatur propter merita Christi et ad finem supernaturalem dirigatur, *gratia quoad modum supernaturalis* appellari potest. » (Jungmann, *De Gratia*, n. 132).

(2) Non affirmatur ex sola consideratione peccati originalis *demonstrari* posse moralem impotentiam hominis ad abservandam legem naturalem, sed illius impotentiæ, prout hæc nobis ex revelationis documentis innotescit, rationem ultimam esse hanc a Deo aversionem, seu hoc quod homo non habitualiter convertitur ad finem suum ultimum.

ad malum finem, necesse est (necessitate morali) ut identidem cadat in nova peccata mortalia. « Cum enim homo non habet cor suum firmatum in Deo, ut pro nullo bono consequendo vel malo vitando ab eo separari vellet, occurrunt multa propter quæ consequenda vel vitanda homo recedit a Deo, contemnendo præcepta ipsius ; et ita peccat mortaliter, præcipue quia « in repentinis homo operatur secundum finem præconceptum, et secundum habitum præexistentem » (1) (1-2$^{æ}$, q. CIX, a. 8). Ergo impotentia moralis qua laborat homo ad observandam legem naturalem radicem habet in illa inordinatione qua mens humana non jam perfecte subditur Deo: jamvero in præsenti Providentiæ ordine, hæc inordinatio non tollitur nisi per gratiam habitualem et caritatem ei annexam: ergo ipsa gratia habitualis dicenda est id sine quo, de lege ordinaria, in præsenti Dei Providentia, non potest lex naturalis de integro observari. Hæc eadem conclusio sequi videtur ex definitione Ecclesiæ: « Arbitrium voluntatis in primo homine infirmatum, nisi per gratiam baptismi, non potest reparari..... » (Ex Conc. Araus. II, can. 13, apud Denzinger *Enchir.* n. 156.) Atqui gratia baptismi est gratia sanctificans cum donis ipsi annexis. Ergo. (2)

Præter gratiam sanctificantem et dona cum ipsa connexa *requiruntur etiam gratiæ actuales*. Etenim per gratiam sanctificantem non redditur in statu lapso, licet reparato, donum integritatis seu perfecta subjectio appetitus sensitivi ad rationem. Exsurgunt enim motus appetitus sensitivi ante et contra judicium rationis; præterea remanet in homine justificato quædam mentis ignorantia et obscuritas: ideo attrahitur voluntas ad consentiendum motibus appetitus sensitivi, et impedi-

(1) Ad uberiorem hujus veritatis explicationem, cf. S. Thomam, *de Veritate*, q. XXIV, a. 12.

(2) Hanc S. Thomæ sententiam communiorem esse inter theologos affirmat Casajoana, *Disquisitiones scholastico-dogmaticæ*, vol. IV, p. I, disq. IV, n. 61.

tur ratio quominus illa motiva consideret, quorum consideratio valeret ad hoc ut homo renuntiaret peccato committendo: quapropter requiruntur et inspirationes voluntatis et illustrationes intellectus, quæ gratiæ sunt actuales (Cf. 1-2ae, q. CIX, a. 9).

Tandem nota auxilium, quod requiritur ut homo lapsus possit totam legem naturalem adimplere, non eadem ratione apud omnes auctores vocari *speciale*: sed tale dici potest vel quia diversum est a communi Dei cooperatione in actionibus creaturarum, vel quia est auxilium supernaturale (sive quoad modum tantum, sive entitative) et proinde positive homini indebitum.

J. V. D. M.

III

Q. *An et cuinam confessario confiteri debet pœnitens 1/ peccatum certo reservatum sed dubie commissum vel certo commissum et dubie reservatum; 2/ simile peccatum jam tanquam dubium coram communi confessario in confessione expositum, postea vero factum certum? Proba responsum.*

R. ad I/ Peccatum certo reservatum sed dubie commissum, vel certo commissum et dubie reservatum,

a/ non debet exponi coram confessario *habente facultatem a reservatis*, quia in prima hypothesi habetur dubium, uti aiunt, facti, in secunda, dubium juris. Jamvero, quidquid sit de quæstione speculativa, « vult, et declarat Illustrissimus Præsul noster, quod nullum peccatum tanquam reservatum haberi debeat, nisi quod certum est, ea scilicet certitudine quæ excludit dubium juris et facti.... ». Supponimus autem adesse dubium non qualecumque, etiam « leviusculum, aut privatum alicujus particularis forte minus periti; sed fundatum, quod etiam apud eruditos casum dubium reddit ». cfr. *Libellum* p. 12.

b/ Imo peccatum *dubie commissum*, seu de quo non constat an sit commissum saltem qua formale vel mortale, *nullo modo* est clavibus subjiciendum (1), juxta sententiam, quam S. Alph., l. VI, n. 473 vocat communissimam. Non enim sunt confitenda nisi illa sola peccata, quorum habetur conscientia, quæ non consistit cum dubio positivo. Aliis verbis, si ommia et sola peccata declarantur, quæ cognoscuntur certo existentia et certo declaranda omissis dubiis quibusvis, formaliter integra est confessio et, quantum ad hoc, certo valida. Peccati reatus, in supposito quod reapse adsit, indirecte remittitur cum aliis, cæteris positis quæ requiruntur ad efficaciam sacramenti.

Eo ipso apparet frustra opponi notum principium: in dubio, ubi agitur de valore sacramenti, pars tutior est sequenda. cfr. *Collationes Brug*. II p. 415.

Nota tamen, quod, in articulo mortis, si contingat aliquem habere peccatum dubium, post quod nondum est absolutus vel contritus, teneretur ille, non quidem ad illud peccatum dubium in confessione exponendum, sed ad sacramentum Pœnitentiæ suscipiendum vel actum contritionis eliciendum; secus enim sese exponeret damnationis periculo. Cfr. S. Alph. l. c.

Ad II. Supponimus peccatum certo quidem reservatum sed dubie commissum, idque ceu dubium in confessione declaratum et a communi confessario absolutum, postea deprehendi certo fuisse commissum adeoque certo fuisse reservatum. Jamvero

a/ indubitanter jam est sublata reservatio nec urget recursus ad confessarium *delegatum*, cum expresse intendat Ill. Reservans a reservatione liberare pœnitentem in dicto casu versantem. Cfr. *Libellum* p. 13-14.

b/ Utrum vero illud ipsum peccatum teneatur denuo judicio subjicere *communis* confessarii, gravis est con-

(1) Hic agimus de sola obligatione confitendi illa peccata, non de opportunitate circa quam lege monita S. Alph. l. VI n. 476.

troversia, quæ potissimum recruduit Ballerini inter et vindices S. Alphonsi. Sanctus nempe Doctor illum teneri affirmat l. VI, n. 478 et ipsi præeunt ipsumque sequuntur plures theologi optimæ notæ, contra quos sententiam negativam nervose tuetur prælaudatus Ballerini (Ed. Palmieri), V, n. 382 et seq.

Hujus autem sententiam præferendam ducimus, cui profecto suppeditant argumenta valde suasoria, inter quæ:

*Arg. 1m:* a pari, quatenus, ex communissima sententiâ, ille qui, non valens adæquate determinare numerum peccatorum, indicavit numerum approximativum, dicendo v. gr. decies peccavi plus minusve, non debet declarare undecimum, si postea comperit se undecies peccasse: sufficit nimirum declaratio facta illius undecimi peccati, tanquam dubii. Cfr. Lugo, *De Pœnitentia*, disp. XVI, n. 78 et 79. Nec sufficienter apparet quo jure a S. Doctore paritas negetur.

*Arg. 2m:* Peccatum illud, tanquam dubium expositum, fatente ipso S. Alph., *directe* remittitur, quia absolvitur quale reapse existit, quasi sub implicita conditione, si nempe a parte rei adest. Non videntur autem peccata subjicienda clavibus nisi in ordine ad absolutionem obtinendam, cum tota confessionis obligatio fundetur in potestate solvendi et retinendi.

Objectiones late expositas et solutas videsis apud De Lugo, in eadem disp. XVI, n. 86 et seq.

Ad minus ergo probabile est sufficere confessionem jam factam atque ideo, juxta dicta sub I, non est imponenda obligatio illud peccatum dubium, et qua tale jam declaratum, iterata vice confitendi.

A. D. S.

IV

Q. *Quandonam valide et licite sacerdos absolvit complicem suum in peccato turpi?*

R. I. *In articulo seu probabili periculo mortis*, semper *valide* absolvit confessarius complicem suum in peccato turpi, idque directe ab ipso peccato complicitatis, in confessione exposito. Etiam *licite*, si alius sacerdos, etiam non approbatus, deficiat vel accedere nequeat sine gravis coram plebe infamiæ vel scandali periculo, non conficto nec adhibitis congruis mediis vitando; vel si præsens confessionem excipere nolit aut sine gravissimo incommodo non valeat, aut accesserit incœpta jam confessione. Vid. constitutiones Bened. XIV: « *Sacramentum Pœnitentiæ* » et « *Apostolici Muneris* »; et cfr. *Nouv. Rev. theol.* III p. 603-614; Bucceroni, *Comment. in Const.* « *Sacr. Pœn.* », n. 62 et seq.

Juxta plures AA. periculo mortis æquiparatur per epikeiam casus necessitatis extremæ, qualis obtineret apud pœnitentem qui, v. gr. in regione missionum, merito timeret ne unquam sibi copia sit confessarii, nisi complici confiteatur. Ita docent Bucceroni l. c. n. 68; Pennachi, *Comment in Const.* « *Apostol. Sedis* » p. 316 et seq. Lehmk. II, n. 937; *Anal. Eccl.* 1898 p. 475 et seq.; Genicot II, n. 354; Ballerini-Palm., V, n. 655 etsi sententiam non clare aperiat. Contradicunt Godschalk, *Const.* « *Apost. Sedis* « tit. I, art. 10; Theol. Mechl., *De Censuris* p. 153.

II. *Extra articulum mortis* (vel et æquivalentem necessitatem), utrum unquam possit valide aut licite absolvi pœnitens ab impudicitiæ socio, undequaque disputatur. Qua in quæstione, inter omnes salebrosa, en quæ, salvo meliori judicio, statuenda censemus:

A. Non admittimus confessario prohiberi, extra dictum periculum mortis, *qualemcumque* complicis confessionis exceptionem, illique in ipsam personam com-

plicis omnem prorsus auferri jurisdictionem, ita ut nihil omnino valeat in ipsam. Censemus nempe decretum Ben. XIV irritans et prohibens, *per se* spectare tantum confessionem et absolutionem complicis *confitentis peccatum complicitatis, nondum directe remissum.*

Dicitur 1°: « ... *confitentis peccatum complicitatis* », et quoad hoc assertio fundatur in ipso textu Bullæ, hujusque interpretatione data a S. Pœnitentiaria 15 Maii 1877. (1) In ipsa scilicet Constitutione Benedictina legitur: « ..... sublata propterea illi ipso jure quacumque auctoritate et jurisdictione ad qualemcumque personam *ab hujusmodi culpa absolvendam*..... »; ibidem § 5 « ..... confessarius, utpote qui *in hujusmodi peccati* et pœnitentis genere, jurisdictione, ut præfertur, careat, et absolvendi facultate a Nobis privatus existat... ».

In responso autem prælaudato S. Pœnitentiariæ habemus: « privationem jurisdictionis absolvendi complicem in peccato turpi..... *esse in ordine ad ipsum peccatum turpe in quo idem confessarius complex fuit* ». Præterea, quod probe notetur, in quæstione S. Pœni-

(1) Quæstioni: « An incurrat censuras in absolventes complicem in peccato turpi latas, qui complicem quidem absolvit, sed complicem qui complicitatis peccatum in confessione non declaravit? Ratio dubitandi esse videtur, quia talis sacerdos, etiamsi complex sacrilege hujus peccati confessionem omitteret, et ipse culpabiliter ab interrogando abstineret, non tamen absolvit ab hujusmodi complicitatis culpa, utpote non declarata nec subjecta clavibus.

*S. Pœnitentiaria* respondit: « Privationem jurisdictionis absolvendi complicem in peccato turpi et adnexam excommunicationem, quatenus confessarius illum absolverit, esse in ordine ad ipsum peccatum turpe, in quo idem confessarius complex fuit. Tenetur nihilominus confessarius sacerdoti, qui hac ratione complicem, non tamen a peccato complicitatis, absolvit, omni studio ob oculos ponere enormitatem delicti sui, et abominabilem abusum sacramenti Pœnitentiæ, nec aliter ei beneficium absolutionis impertiri, quam præmissa gravissima adhortatione ut officium confessarii dimittere studeat, necnon imposita obligatione ut a confessionibus complicis audiendis in posterum omnino abstineat, monita eadem persona complice, si denuo compareat, ut de peccato complicitatis, et cæteris invalide confessis (ob sacrilegam reticentiam prioris peccati) apud alium confessarium se accuset ».

tentiariæ proposita, dicitur: « Ratio dubitandi esse videtur quia talis sacerdos, (quando complex reticet peccatum complicitatis)..... *non absolvit ab hujusmodi complicitatis culpa*..... ». Quod in responso implicite admittit S. Pœnitentaria, imo expresse suum facit cum dicat: « ..... Tenetur tamen confessarius sacerdoti, qui hac ratione complicem, *non tamen a peccato complicitatis*, absolvit.... »

Non absque fundamento igitur opinamur a Benedicto XIV non retrahi jurisdictionem nec ejus exercitium per se interdici sacerdoti complici, in ordine ad absolvendum complicem *reticentem peccatum complicitatis*, cum tunc absolvat quidem complicem in peccato turpi sed non *ab hujusmodi culpa*, quemadmodum in tenore postulatur. Profecto, si sacrilege omittitur dictum crimen, invalida evadit absolutio, ast non propter defectum jurisdictionis ablatæ, sed ob indispositionem pœnitentis.

Etiam nos non latet correctio responsi, quo nitimur, per decisionem ejusdem S. Pœnitentiariæ 19 Februarii 1896, statuentis: « Excommunicationem reservatam in Bulla « Sacramentum Pœnitentiæ » non effugere confessarios absolventes vel fingentes absolvere cum complicem, qui peccatum quidem complicitatis, a quo nondum est absolutus, non confitetur, sed ideo ita se gerit, quia ad id confessarius pœnitentem induxit sive directe, sive indirecte ». Cfr. *Collat. Brug.* I, p. 210. Sed hoc non derogat principio statuto, juxta quod decretum Benedictinum *per se* non spectat nisi confessionem complicis, peccatum complicitatis declarantis. In casu enim pœnitens illud delictum exposuisset, sine malitiosa machinatione sacerdotis legem eludere conantis, cujus audacia est confringenda ne tota disciplina labefactetur suoque fine frustretur. Quinimo si decretum per se spectaret casum complicis illud peccatum omittentis, semper incurreretur pœna a confessario quotiescumque *scienter* absolvat pœnitentem peccatum complicitatis reticentem, etiamsi ad hoc ipsum non moverit; nec adeo intelligeretur restrictio inducta.

*Valide* proin absolvit sacerdos pœnitentem a peccatis in quibus non fuit complex, quando idem pœnitens *bona fide omittit peccatum complicitatis*, etiam nondum directe solutum; quod eo ipso indirecte remittitur. (1) Etiam *licite*, si confessarius non advertat, vel nesciat peccatum omissum nondum esse directe absolutum. Secus enim deberet ipsum monere de illo peccato confitendo et eo ipso decideremus in hypothesim de qua infra sub B/. Cfr. Baller-Palm. V, n. 648.

Quæ conclusio confirmatur ex eo quod finis legis magna ex parte hic deficit, nempe vitandum periculum novæ seductionis ad crimen, vel etiam minoris verecundiæ et contritionis habendæ in delicto confitendo coram complice. Bened. XIV, *De synodo diœcesana*, l. VII, cap. 14; *Nouv. Rev. theol.* III, p. 586.

Dicitur 2°: « ..... *nondum directe remissum* », quia cum communiori sententia admittimus per se stricte non prohiberi confessarium ab absolvendo turpis peccati socio, qui in confessione exponit culpam complicitatis tanquam materiam liberam, utpote jam directe a clavibus solutam. Semper tamen adest, summa indecentia; imo, quando aliquis semel attentavit absolutionem complicis et a S. Pœnitentiaria facultas conceditur ut ab excommunicatione liberetur, semper injungitur ut abstineat ab audiendis in posterum confessionibus personæ complicis. Huic sententiæ favent *Nouv. Rev. theol.* III, p. 598-601 collato tom. I, p. 439 cum AA. citatis et signanter S. Alph. VI, n. 555, quibus adde: D'Annibale, *Summula* (ed. 4ª) III, n. 324 in nota; Bucceroni l. c. n. 76; Aertnys, *Theol. Mor.* VI, n. 249, sub I ad 2m; Haine III, p. 332 (ed. 3ia); Genicot, II, n. 352 sub 5°; Theol. Mechl., *de Censuris* (ed. 2ª) p. 152; necnon et Palmieri, in

(1) Cfr. Salmant., Append. VI, n. 262; Bucceroni l. c., n. 71; Baller-Palm. V, n. 648; Lehmk., II, n. 936 in nota; Aertnys, l. VI, n. 250, sub 5°; Haine III, p. 333; Genicot II, n. 352, sub 4°.

annotatione ad Ballerini, V, n. 648 qui oppositam propugnat sententiam cum Pennachi, l. c. p. 324 et seq.

B/ Supponimus nunc in confessione *exponi peccatum complicitatis nondum directe remissum*. Jamvero

1°/ ultro concedimus et contendimus sacerdotem nunquam posse, extra articulum mortis, valide et licite complicem a dicto peccato absolvere *directe*.

An vero 2°/ unquam *indirecte* valeat ab illo absolvere, etiam ubi clavibus subjicitur, hoc pendet a quæstione multum agitata, utrum videlicet illa verba : « ... sublata jurisdictione ad qualemcumque personam *ab hujusmodi culpa absolvendam* » quæ jam vidimus tantum applicari casui complicis hujusmodi culpam declarantis, utrum, inquam, adeo stricte sint interpretanda ut retractio jurisdictionis *afficiat unice peccatum complicitatis*, *remanente potestate in alia*, an vero latiori sensu ita ut coram complice *dictum peccatum confitenti*, confessarius existat auctoritate destitutus *etiam in reliqua peccata*.

Si 1^m^, possumus (etsi casus complicis non sit casus reservatus) applicare principia, supra p. 30, applicata pro absolutione a casu reservato, a quo sacerdos non delegatus valet *indirecte*, (onere imposito illud coram alio confessario exponendi) absolvere, directe absolvendo ab aliis peccatis, simul expositis, quotiescumque nequit pœnitens dimitti non confessus et non absolutus absque periculo infamiæ vel scandali, imo quandocumque bona fide confitetur tali sacerdoti, putà nesciens illum esse suum complicem. Et fatendum quod hac ratione non absolvitur stricto sensu a peccato complicitatis, cum hoc potius, dicatur indirecte remitti quam absolvi.

Si 2^m^, nunquam valide absolvit extra periculum mortis, quantacumque sit bona fides pœnitentis, vel quomodocumque urgeat periculum infamiæ vel scandali, modo saltem non æquivaleat extremæ necessitati, juxta supra dicta.

Jamvero præplacet hæc 2^a^ severior interpretatio,

utpote conformior textui et fini legis inductæ. In ipso enim *textu* explicantur verba de quibus quæritur: « ..... adeo quidem ut absolutio, si quam impertierit, nulla atque irrita omnino sit, tanquam impertita a sacerdote, qui jurisdictione, ac facultate, ad valide absolvendum necessaria, privatus existit... ». Quo fit ut dictus confessarius revera non alius sistatur coram complice, peccatum illud confitente, ac simplex sacerdos non approbatus, adeoque nihil valeat in hujusmodi pœnitentem absolvendum non tantum a peccato in quo fuit complex sed et a reliquis.

Si autem urget periculum infamiæ vel scandali, adlaboret ut alio modo vitetur aut minuatur, putà excitando in pœnitente actum contritionis, qui sufficit, si recursus ad alium confessarium non pateat, ut sacram communionem recipiat quam citra gravem infamiam omittere nequit.

Insuper quod directe vel indirecte absolvatur complex, remanet in ipsa confessione vix non integrum motivum, supra memoratum, ab quod introducta est illa provida disciplina.

Tandem benignior videtur altera legis interpretatio, quàm ut consonet cum indole strictæ severitatis, quam præ se fert utraque Constitutio « *Sacram. Pœnit.* » et « *Apostolici Muneris* ».

Consentiunt cæteroquin AA. sat communiter. Ita *Nouv. Rev. theol.* III p. 615; Gury, *Casus conscientiæ* II n. 616 et seq; Vandervelden, *Principia theolog. mor.*, II n. 289; S. Alph. VI, n. 555; Godschalk, l. c.; Pennachi, l. c. p. 327 et seq.; Theol. Mechl., l. c. p. 153; Aertnys, l. c. n. 250.

Attamen donec clarius doceamur ab Ecclesia in hac materia tanti momenti, non illico improbabilis est reputanda sententia benignior, quam tenent AA. nonnulli, uti Salmant., l. c. n. 262; Bucceroni (1) l. c. n. 68 et 71;

(1) Illam opinionem videtur deseruisse sæpe laudatus Auctor in solutione casus practici, quam tradidit nuperrime in Conferentiis Romanis, apud *Analecta Eccl.*, 1898 p. 432.

Genicot, II n. 352 et in quam inclinat etiam Ballerini-Palm., V, n. 648 et 654; nec adeo culpandus videtur hucusque, qui juxta illam ab excommunicatione liberum judicaret sacerdotem, qui urgente necessitate, absolvit complicem in confessione exponentem peccatum complicitatis nondum directe remissum. Cfr. *Nouv. Rev. theol.*, III p. 615; D'Annibale, III n. 324 in nota; Lehmk., II (ed. 9ª) n. 936, in nota; Haine, III p. 332.

*Nota. Si dubium* sit utrum casus complicis vere adsit, dubiumque remaneat post interrogationes prudenter factas, valide et licite absolvit confessarius. Cfr. *Nouv. Rev. theol.* III, p. 588 et seq.; Bucceroni, l. c. n. 74; Pennachi, l. c. p. 333; Theol. Mechl., l. c. p. 154; Lahousse, l. c. n. 255 etc.

A. D. S.

V

Q. *Quibusnam et sub cujusnam pœnæ comminatione imponitur onus denuntiandi confessarium sollicitantem ad turpia?*

R. 1/ Onus denuntiandi confessarium sollicitantem incumbit, tum vi juris naturalis tum potissimum vi juris ecclesiastici, (diversa tamen ratione et extensione) omnibus et singulis personis, quæ moraliter certam notitiam habent sollicitationis ab alio factæ, undecumque eam acceperint, nisi adsit justa causa omittendi vel differendi denuntiationem.

Dicitur: 1/ « notitiam *moraliter certam* », ita ut propter dubium positivum sive facti sive juris ab obligatione excusentur.

2/ « *undecumque eam acceperint* », nimirum ad denuntiationem tenentur non tantum qui ipsi fuere sollicitati sed et qui sollicitationis testes existunt immediati vel et mediati, utpote qui ejus notitiam acceperunt a personis fide dignis (1), modo non sub sigillo confes-

(1) Cfr. decr. C. S. O. 10 Martii 1677, citatum apud Bucceroni l. c. n. 7 et decr. 11 Febr. 1661 sub 14°, a Benedicto XIV expresse approbatum.

sionali vel secreto commisso. Cfr. Bucceroni, *Comment in Const. Sacr. Pœnit.*, n. 35 et Anal. Eccl. 1898 p. 504.

3/ « sollicitationis *ab alio factæ...* ». Refertur namque apud *Nouv. Rev. theol.* VIII p. 359 decr. 17 Maii 1624 statuens: « confessarios sollicitantes non esse cogendos ad denuntiandum seipsos ». Attamen, qui sponte se reos confitentur, mitius tractari possunt.

4/ « nisi adsit *justa causa...* ». Causa excusans requiritur vere gravis, cum crimen sollicitationis reprimendum tantopere nocivum sit saluti animarum et sanctæ existimationi sacramenti Pœnitentiæ, et eo gravior postulatur ratio quo perniciosior et periculosior cognoscitur confessarius denuntiandus. Talis esset fundatus timor damni admodum notabilis in vita, fama vel re temporali, ad normam decreti C. S. O. 22 Januarii 1727, apud Bucceroni, l. c. n. 39.

Minime vero excusat « incommodum denuntiationi intrinsecum v. gr. verecundia pœnitentis nec denuntiati infamia ejusque ira et indignatio incurrenda » Lahousse, *De Pœnitentia* n. 268. Nec obstat denuntiationi faciendæ, quod ipse pœnitens prius sollicitaverit et ad consensum traxerit confessarium, uti expresse declaravit C. S. O. 25 Julii 1624 (*Nouv. Rev. theol.* VIII, p. 359), etsi illa circumstantia infamans a denuntiante non sit exprimenda. (ibidem).

Frustra etiam obtenditur quod « longum tempus post ipsam sollicitationem jam effluxerit » (1) vel quod juridice probari nequeat. (2) Item juxta decretum C. S. O. 11 Maii 1707 non eximitur ab onere denuntiandi puella, quæ sollicitationem ob simplicitatem non intellexit et postea illius malitiam est edocta.

Quæstio autem fit num cesset obligatio denuntiandi confessarium qui cognoscitur emendatus, judicatus jam et punitus.

(1) Cfr. Const. « *Sacram. Pœnit.* » § 2.

(2) Cfr. propositionem damnatam 5ᵐ Alex. VII apud Denziger, *Enchiridion* n. 976.

Jamvero *quoad emendatum*, præterquam quod de emendatione difficulter constabit adeoque raro applicari poterit opinio benignior, videtur tenenda sententia quæ docet remanere obligationem, *saltem juris ecclesiastici;* cui sententiæ patrocinatur S. Alph. VI, n. 686, Salmant, Ballerini-Palm. V, n. 1132; Anal. eccl., 1898 p. 504 et plures alii; cuique favent decretum Alex. VII 8 Julli 1660 et potissimum decretum C. S. O. 26 Julii 1628, quo definitum fuit mulierem sollicitatam teneri ad denuntiationem, etiamsi sciret sollicitantem *sponte comparuisse*. Ratio est quia « forum judiciale intendit bonum publicum (non vero solam delinquentis salutem), ac impedire ac punire delicta, et per delictorum punitionem incutere timorem, non modo delinquenti sed aliis omnibus. » *Analecta eccl.* l. c.

Si autem sollicitans sit *convictus et punitus*, ad minus ceu probabile habemus, rationem adesse sufficientem talem confessarium non denuntiandi, modò convictus sit et punitus propter illud præcise crimen, quod erat a pœnitente denuntiandum. Non valet igitur si convictus fuerit de sollicitatione alterius pœnitentis vel si novum admiserit post punitionem crimen erga eumdem pœnitentem. Cfr. Ball.-Palm. V, n. 1130 juxta Bonacina, contra Bucceroni, l. c. n. 43 frustra provocantem ad decr. 1661 ad 13m et ad decr. jam citatum 26 Julii 1628. Omnis obligatio denuntiandi cessat post mortem confessarii sollicitantis. (resp. S. Pœnitentiariæ 24 April 1884.)

II/ *Ad pœnam* quod spectat comminatam, legitur in Constitutione *Apostolicæ Sedis*, inter excommunicationes *nemini reservatas:* « Negligentes sive culpabiliter omittentes denuntiare infra mensem, Confessarios sive sacerdotes a quibus sollicitati fuerunt ad turpia, in quibuslibet casibus expressis a Prædecessoribus nostris Gregorio XV, Constit. *Universi*, 30 Aug. 1622, et Benedicto XIV, Constit. *Sacramentum Pœnitentiæ*, 1 Junii 1741. »

Non spectat ergo nisi ipsos pœnitentes sollicitatos,

non autem illos qui aliunde sollicitationis conscii, ad denuntiandum tenentur. Soli etiam intenduntur negligentes vel culpabiliter omittentes, ita ut censuræ minime subjaceant ignorantes obligationem ipsis incumbentem vel ipsam adimplere non valentes; quod cæterum est conforme principiis generalibus. Incurritur tantum *post mensem:* « Quia vero tempus non currit ignoranti, mensis computandus est ex quo scivit: 1° obligationem denuntiandi, 2°/ excommunicationem adnexam,.. 3°/ tempus obligationis præfixum,... Bucceroni l. c. n. 37.

*Nota.* De dicto onere denuntiandi per se monere debent confessarii illos pœnitentes quibus incumbit, idque vi officii sui, citra positivum præceptum Ecclesiæ, eo vel magis quod res est de bono publico. Insuper ad idem tenentur *vi præcepti ecclesiastici*, erga pœnitentes quos noverint *ab aliis sollicitatos* (1); nulla ratione habita bonæ fidei (Instr. C. S. O. 1867 sub 3°), etiamsi prævideatur monitio non profutura, excepto mortis articulo. Non tamen semper *illico* sunt monendi pœnitentes sed « juxta occurrentium casuum circumstantias ». Porro « sacerdotes, ad sacras audiendas confessiones constituti, qui de hac obligatione suos pœnitentes non admonent, debent puniri. » Instr. 1867 sub 4°.

A. D. S.

## VI

Q. *Quandonam licet administrare baptismum extra ecclesiam vel baptisterium?*

R. Rituale Romanum Tit. II, cap. I, n^is 28 et 29 hæc habet: « Licet, *urgente necessitate*, ubique baptizare nihil impediat; tamen proprius Baptismi administrandi

(1) Cfr. Const. Gregorii XV et Bened. XIV; ex quo sequitur Ecclesiam non cogere confessarium, qui sollicitavit, ad monendum pœnitentem *a se* sollicitatum sed ideo pœnitens non liberatur ab obligatione denuntiandi. cfr. propos. ab Alex. VII damnatam sub 7°.

locus est Ecclesia, in qua sit fons baptismalis, vel certe Baptisterium prope Ecclesiam. Itaque, *necessitate excepta*, in privatis locis nemo baptizari debet, *nisi forte sint Regum, aut magnorum Principum filii*, id ipsis ita deposcentibus, dummodo id fiat in eorum Capellis seu Oratoriis et in aqua baptismali de more benedicta ».

Locus igitur proprius baptismi administrandi est fons baptismalis in ecclesia, vel baptisterium (prouti aliquibus in locis existit) prope ecclesiam. In loco ergo privato, exceptis casibus infra explicandis, non potest baptisma conferri, nequidem, juxta decr. S. C. R. 14 Martii 1861, in sacristia, etiamsi vigeat consuetudo, *nisi adsit rationabilis causa ab Ordinario approbanda*.

Extra ecclesiam seu baptisterium administrare licet baptismum; 1° in casu necessitatis in quo, ut dicit Rituale, ubique baptizare nihil impedit. Intelligitur autem a/ necessitas stricta, periculum nempe in mora, quando timetur ne dilato baptismo, baptizandus morte præveniatur et tantæ necessitatis Sacramento fraudetur (1); séu uti habetur *Clement. unica de Baptismo,* quando « necessitas talis emerserit propter quam nequeat ad ecclesiam absque periculo propter hoc accessus haberi ». In tali casu baptismus ubique conferri potest privatim, prætermissis semper cæremoniis ablutioni præviis, juxta Rituale, l. c., cap. 2, n° 28 et decretum S. C. R. 23 Sept. 1823 quo declaratur: « in casu necessitatis juxta Ritualis præscriptum omnia esse omittenda, quæ baptismum præcedunt, quæque postmodum supplenda sunt in Ecclesia ad quam præsentandus est puer cum convalescit ». Quoad cæremonias ablutionem subsequentes, scilicet unctionem Chrismatis, traditionem vestis albæ et candelæ accensæ, eæ addi poterunt, si *sacerdos* baptizat et objecta præ manibus habentur. — b/ intelligi etiam potest, juxta decr. S. C. R. 10 Febr. 1871 *Vicariatus Apostolici de Dania*, necessitas occurrens « in

(1) Cfr. Collat. Brug. 1897, p. 355.

locis Missionum, ubi Catholici haud raro incolunt procul ab Ecclesiis vel Oratoriis publicis... et translatio infantium in tenera ætate per tantam locorum distantiam magnis periculis et incommodis obnoxia est », quo casu licet Missionario advocato baptismum administrare in privatis domibus, solemniter seu servato ritu Ecclesiæ consueto.

2º Extra ecclesiam baptizari possunt Regum aut Magnorum Principum filii, seu, ut habetur in *Clement.* cit., « Regum vel Principum quibus valeat in hoc casu differri, liberi », sub certis tamen conditionibus, scilicet, a/ requiritur ut licentia ab Ordinario sit impetrata, « id ipsis ita deposcentibus » ait Rituale; b/ ut baptismus conferatur « in eorum Capellis seu Oratoriis »; c/ ut fiat « in aqua baptismali de more benedicta » et juxta auctores, ut fiat cum omnibus cæremoniis quæ baptismum solemnem comitantur (1). « Nomine autem liberorum veniunt non solum filii, sed etiam nepotes et alii descendentes. Nomine vero principum probabilius videtur intelligi tantum filios principum absolutam potestatem habentium ». Ita S. Alphons. libro 6, nº 118, qui tamen putat quod, ubi introducta est consuetudo domi baptizandi filios magnatum, ipsa non facele sit improbanda. Quidquid autem sit de hac quæstione, cum requiratur licentia Ordinarii, ad ipsum semper recurrendum est ut possit (præter casum necessitatis) extra ecclesiam conferri baptismus.

3º Præter duas exceptiones supra expositas, Auctores tertiam addunt, scilicet casum dispensationis a lege datæ ab Ordinario, seu facultatis ab ipso obtentæ ut baptismus extra ecclesiam conferatur, quin adsit stricta necessitas vel agatur de filiis Principum. Dicendum est Episcopum quidem non posse dispensare in hac universali lege generaliter, v. gr. cum integra classe personarum, sed ipsum hoc posse in casibus particularibus,

(1) Cfr. De Herdt part. VI, nº 153.

quando sufficiens datur ratio. (1) Ita vidimus S. R. Congregationem decreto 14 Martii 1861 admittere baptismum aliquando in Sacristia conferri posse « si adsit rationabilis causa ab Episcopo approbanda. » Si autem hoc fieri licet in sacristia (extra baptisterium), concludi potest causas rationabiles existere posse sufficientes ut ordinarius collationem baptismi in aliis locis seu in domibus permittat. Hæc doctrina admittitur à Benedicto XIV *(Institut. eccles., Instit. 98)*, qui urget quidem vehementer legem generalem baptizandi in ecclesia et alienum esse dicit ab Ecclesiæ legibus privatim baptisma domi conferre, cum in ecclesiis sit ministrandum, sed simul concedit excusari illos qui propter speciales rationes facultatem obtinuerint ab ipso vel a Vicario Generali, domi conferendi Sacramentum et postea cæremonias supplendi in ecclesia (2). Sacra etiam Congr. Concilii facultatem agnoscit Episcopis permittendi certis in casibus baptismum in domibus privatis. Episcopus Castrimaris exposuerat se invenisse in diœcesi sua, consuetudinem Neapoli etiam vigentem, concedendi ut pueri domi baptizentur *cum omnibus ritibus,* prout fit in ecclesiis, interdum ob sufficientes rationes, interdum etiam ob dignitatem tantum familiarum. Addiderat se consuetudinem ad normam Ritualis Romani revocasse, baptismum domi tunc tantum indulgendo, cum periculum mortis infantis immineat, sine tamen ritibus qui in ecclesia complendi sunt. Cum autem hæc agendi ratio ægre feratur et existimet Episcopus ritus omissos in baptismo domi collato haud postea in ecclesia compleri, petit quid sit agendum. Respondetur autem a S. C. C. 20 Jan. 1894: « Servetur Rituale Romanum; *salvis exceptionibus, quas ex rationalibus causis Episcopus concedere pro suo prudenti arbitrio censuerit* » (3). —

(1) Revue Théol. 1856, p. 276; Nouv. Revue Théol. 1897, p. 589; Gury, *Casus Conscient.* II, n° 222.

(2) Cfr. Nouv. Revue Théol. 1878, p 167 seqq ; item 1879, p. 419

(3) Vide Nouv. Revue Théol. 1894, p. 248 et p. 386.

Hanc facultatem agnoscunt vel supponunt plura statuta Diœcesana vel antiqua Ritualia; ita in statutis Diœcesis Mechliniensis (n. 219) legitur: « Sub gravi prohibemus, ne baptisma administretur extra Ecclesiam, in qua sit fons baptismalis, vel certe extra baptisterium prope Ecclesiam, nisi necessitas adsit, vel *justa causa ab Episcopo recognoscenda* ».

Nunquam ergo licet baptismum administrare extra ecclesiam vel baptisterium, nisi casu necessitatis occurrente, vel obtenta ab Ordinario facultate, quæ ex lege conceditur pro filius Regum et Principum, concurrentibus gravibus causis concedi potest pro cæteris.

H. V. D. W.

# Evangelia Dominicarum

## Dom. I post Pentec.

—

*Nolite judicare.* Luc. VI, 36-42. Cf. Matth. VII, 1-5.

***

Te dien tijde zei Jesus tot zijne leerlingen: 36 Weest bermhertig, gelijk uw Vader bermhertig is. 37 Oordeelt niet, en gij zult niet geoordeeld worden; veroordeelt niet, en gij zult niet veroordeeld worden; spreekt vrij, en gij zult vrijgesproken worden. 38 Geeft, en u zal gegeven worden: eene goede en nèergedrukte en geschudde en overloopende maat zal men in uwen schoot geven; want met dezelfde maat, waarmede gij gemeten zult hebben, zal ulieden wedergemeten worden.

39 En hij zei tot hen ook eene gelijkenis: Kan een blinde wel eenen blinde leiden? Vallen zij niet beiden in den kuil? 40 Een leerling is boven den meester niet; maar volmaakt zal alle *leerling* zijn, indien hij is gelijk

zijn meester. 41 En wat ziet gij den splinter in uw broeders oog, en bemerkt gij niet de balk in uw eigen oog? 42 Of hoe kunt gij tot uwen broeder zeggen: Broeder! laat mij den splinter uit uw oog trekken, daar gij zelf de balk, die in uw oog is, niet en ziet? Gij huichelaar! trekt eerst de balk uit uw eigen oog, en dan moogt gij toezien, om den splinter te trekken uit uw broeders oog.

*
* *

## Notationes

36. *Estote misericordes* « id est benigni, benefici, commodi, humani, ad gratificandum faciles, sc. erga omnes, amicos et inimicos, bonos et malos, divites et inopes... *Sicut et Pater vester misericors est,* benignus seu beneficus, sc. erga omnes » Luc. Brug.

« Sciendum ergo omnes sub peccati reatu obligari ad dilectionem inimicorum, quod attinet ad communia dilectionis indicia: quod vero ad specialia indicia pertinet, etiam obligari, cum necessitas vel promovendæ gloriæ Dei, vel juvandi eos occurrit: extra vero hujusmodi necessitatis causam, consilii est, et eximiæ perfectionis Evangelicæ, specialia eis dilectionis indicia et beneficia exhibere. Qui autem ex animo omnium quærit salutem omnibusque prodesse cupit, quique etiam suæ saluti secure cupit prospicere, is apud se non anxie pensabit, num necessitas exigat benefacere amico, an utilitas tantum suadeat, sed quantum in se est, pro viribus, omni oblata occasione, quibuslibet prodesse studebit, certus hac ratione se Deo fieri simillimum, illumque se sibi demereri, quantumvis ingrati vel impotentes ad remunerandum sint homines quibus benefacit. » Jans. Gand.

37. *Nolite judicare...* « Prohibetur judicium proximi malignum et temerarium, quod scilicet ex curiositate noxia, aut invidentia, et odio ac perversitate animi ex

alieni ignominia voluptatem capientis, aut denique superbia captante ex aliorum collatione opinionis propriæ augmentum, de singulis judicare præsumente, gignitur. A quali judicio Christianus triplici nomine meritò abstinere debet. *Primò* quòd conveniat, eum sua facta et dicta diligentius attendere, atque in his suos lapsus, errata, et defectus perspicere, ut non liceat ei aliena curiosiùs observare, aut observata carpere. *Secundò*, quòd fraternæ charitatis sit aliena vitia occultare, eaque extenuare, et ad ea connivere, dubia verò candide interpretari. *Tertiò*, quòd agnoscere se debeat proximi sui conservum esse, non judicem, et ob id injuriam etiam Deo facere, cujus officium sibi usurpat. Ad quam causam respexit et Jacobus (IV, 11) et Paulus (Rom. XIV, 4): hic verò Dominus potissimum videtur respexisse ad causam secundam, volens, abstinendum ab hujusmodi temerariis et malignis judiciis, quòd cum fraterna charitate pugnent. Postea tamen etiam primam respicit rationem, cum subjicit: *Quid autem vides festucam*, etc. — Porro *judicare*, est sententiam de aliqua re ferre: verum quoniam hic in malam partem accipitur, quomodo *judicare* non est aliud quam *condemnare*, ideo explanationis gratia additum est: *Nolite condemnare*... — Quoniam autem ejusdem charitatis, ac similis præmii est, non condemnare proximum, aut proximi dicta vel facta, et peccanti in se fratri ignoscere, atque ob indigentiam aliquid petenti dare quibus opus est, ideo bene subjicitur: *Dimittite, et dimittemini*, hoc est, remittetur vobis. *Date, et dabitur vobis*. » Jans. Gand.

*Et non judicabimini*, ut non incidatis in severissimum judicium Dei. « Notandum, nihil hac justitia benignius, nihil hac retributione clementius dari posse, ubi sententia judicis in potestate ponitur judicandi. » Jans. Ipr.

38 *Mensuram bonam*, plenam, cujus integritati nihil deest, *et confertam*, πεπιεσμενον pressam, *et coagitatam*, bene concussam, *et superefluentem* exuberantem, cumulatissimam liberalissimamque, *dabunt*, dabitur *in sinum*

*vestrum,* vobis ipsis, firmiter æternumque a vobis ipsis possidendam. « Sumta sunt epitheta hæc omnia (in quibus observanda gradatio est) ab eorum consuetudine, qui res aridas, ut frumentum seu aliquid aliud ejusmodi, liberaliter absque parsimonia metiri dum volunt, id ipsum quod admetiuntur, quo sit confertius, comprimunt manibus, deinde vas ipsum medium quatiunt quò amplius capiat, denique etiam superaddunt quod ultra mensuram redundet. Liberalibus itaque liberalissima reddetur mensura 2. Cor. 9. v. 6. mensura tamen : nam quamquam immensa erit, si conferatur cum iis quæ hac in vita fuerint erogata, habebitur tamen ratio gradus virtutis uniuscujusque : nec enim æqualis erit omnium merces.

*Eâdem quippe mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis.* Hoc proverbium referendum est ad ea omnia quæ præcedunt, tam ad judicia, condemnationes et dimissiones, quam ad dationes... Talis erga nos erit Deus, quales nos erga alios : bonus, si boni ; malus, si mali ; durus, inclemens, rigidus, si duri ipsi, inclementes, rigidi ; si misericordes, benigni, faciles, misericordissimus ipse, benignissimus, facillimus. » Luc. Brug.

39-40. *Dicebat autem illis et similitudinem...* « His similitudinibus Dominus docere voluit, eum qui alios est judicaturus et reprehensurus, debere ab hujusmodi vitiis quæ in aliis est reprehensurus, aut aliis similibus vitiis esse immunem... Quoniam ergo Dominus superius præcepit non judicare, nec condemnare, et jam occurrere quis posset et dicere, se judicare et condemnare fratrem suum ut corrigat et emendet, docet deinceps, qualis esse debeat qui hoc fine alium volet judicare et reprehendere, et quale judicium prohibuerit, nimirum quo quis alienæ vitæ severus est censor, suæ interim negligens. *Numquid,* inquit, *potest cæcus cæcum ducere?* Quod si tentet, *nonne ambo in foveam cadent?* Quasi dicat : Si quis sit, qui alterius vitia reprehendere vellet, et demonstrare veram virtutis viam, atque in eam ipsum

deducere, videndum ei imprimis num et ipse mentem habeat sive errore veritatis, sive prava cupiditate et affectu aliquo excæcatam.

Nam si ipse cæcus existens parat alterius se ducem præbere, futurum certe quod solet contingere, ubi cæcus cæco fit viæ dux, videlicet ut uterque cadat in foveam æternæ perditionis.

Ad idem propositum subjicit: *Non est discipulus super magistrum: perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister ejus*, quasi dicat: Si igitur tu qui doctorem te aliorum præbes, ipse fueris in vitio, non est spes meliorem te posse fieri quem docere paras, cum secundum vulgare proverbium, discipulus non possit esse perfectior magistro suo, in eo scilicet in quo est discipulus.

Ejusdem argumenti est quod deinde subjicitur: *Quid autem vides*, etc. Qua parabola redarguit Salvator majus quoddam vitium quorundam, qui non solum alium reprehendunt in eo in quo et ipsi culpabiles sunt, sed minima in aliis notant, cum ipsi ad graviora sua peccata perspicienda sint cæci, quos bene *hypocritas* vocat, vel quia sibi sumunt partes justorum et sanorum, cum injusti sint et ægroti, aliena persona id quod re vera sunt, occultare studentes: vel quia prætextu correctionis aliena vitia notant, cum re vera id agant proposito condemnationis. Si enim curandi fratris desiderio hoc agerent, prius graviora sua crimina curarent. Magis enim quisque seipsum amat quàm fratrem, quem recte diligere non potest, si non seipsum prius recte diligat, cum propria dilectio regula esse debeat fraternæ dilectionis. Per festucam ergo minora peccata, per trabem graviora peccata hic designantur. — Significat autem Salvator, hypocritas, de quibus loquitur, duplici nomine peccare: *primùm*, quòd aliorum vitia, ad quæ, quòd parva sint, connivendum esset, curiosius observent, et severius notent: *deindè*, quòd sua vitia majora dispicerè negligant. Quod dum fit, duplex ulterius jam malum committitur. Nam qui peccantem in parvis, admonet,

cum ad graviora sua vitia conniveat, et sibi ex aliena correptione falsam sanctimoniæ opinionem parare studet, unde et hypocritam vocat, et veritatem ipsam reddit ei qui admonetur odiosam. Proinde admonet Dominus ut qui aliorum vitia notare volet, prius saltem aperta sua vitia curet. *Et tunc*, inquit, *perspicies...*, quando scilicet cum fructu id poteris facere et sincera correctionis intentione.

Non prohibetur ergo his verbis Domini, simpliciter, ne quis alium corripiat, qui ipse vel eisdem, vel majoribus obnoxius est criminibus. Si enim quis in minutioribus peccatis ex sincera charitate proximorum fiat monitor, sitque eisdem vel aliis obnoxius, non contravenit præcepto Christi. Non enim talis sese justificare, et alios condemnare, sed se pariter ac illos quoad fieri potest, peccatis purgare annititur. Dominus autem præcipue voluit, ut ne ex aliorum correctione et condemnatione sanctimoniæ opinionem quæreremus, aut ne veritatem odiosam redderemus, quod fit, cum apertis criminibus obnoxius est qui alium de parvis corripit » Jans. Gand.

*
* *

## Conclusio

De se ipso nihil tenere, et de aliis semper bene et alte sentire, magna sapientia est et perfectio. *De Imit. Christi, L. I. c. 2.*

Ad te ipsum oculos reflecte, et aliorum facta caveas judicare. In judicando alios homo frustra laborat, sæpius errat, et leviter peccat; se ipsum vero judicando et discutiendo semper fructuose laborat. *Ibid. c. 14.*

Non attrahas tibi res aliorum, nec te implices causis majorum. Habeas semper oculum super te primum, et admoneas te ipsum specialiter, præ omnibus tibi dilectis. *Ibid. c. 21.*

Qui bene in pace est, de nullo suspicatur: qui autem

male contentus est et commotus, variis suspicionibus agitatur, nec ipse quiescit, nec alios quiescere permittit. Dicit sæpe quod dicere non deberet, et omittit quod sibi magis facere expediret. Considerat quod alii facere tenentur, et negligit quod ipse tenetur. Habe ergo primo zelum super te ipsum, et tunc juste zelare poteris etiam proximum tuum. Tu bene scis facta tua excusare et colorare, et aliorum excusationes non vis recipere. Justius esset ut te accusares, et fratrem tuum excusares. *Ibid. L. II*, *c.* 3.

Parva in aliis reprehendimus, et majora nostra pertransimus... Qui bene et recte sua ponderaret, non esset quod de alio graviter judicaret. Internus homo sui ipsius curam omnibus curis anteponit; et qui sibi ipsi diligenter intendit, faciliter de aliis tacet. Numquam eris internus et devotus, nisi de alienis silueris, et ad te ipsum specialiter respexeris » *Ibid. c. 5.*

Quid ad te utrum ille sit talis vel talis, aut iste sic et sic agit vel loquitur? Tu non indiges respondere pro aliis, sed pro te ipso rationem reddes. Quid ergo te implicas? *Ibid. L. III*, *c. 24.*

In omni re attende tibi, quid facias, et quid dicas... De aliorum dictis vel factis nil temere judices, nec cum rebus tibi non commissis te implices; et poterit fieri ut parum vel raro turberis. *Ibid. c. 25.*

G. V. D. P.

# Ordo Missæ

SEU

## precum et ceremoniarum Missæ interpretatio

—

« Quanta cura adhibenda sit, ut sacrosanctum missæ sacrificium omni religionis cultu, ac veneratione celebretur, quivis facile existimare poterit, qui cogitarit maledictum in sacris litteris eum vocari qui facit opus Dei negligenter. Quod si necessario fatemur, nullum aliud opus adeo sanctum ac divinum a Christi fidelibus tractari posse, quam hoc ipsum tremendum mysterium, quo vivifica· illa hostia, qua Deo Patri reconciliati sumus, in altari quotidie per sacerdotes immolatur: satis etiam apparet, omnem operam et diligentiam in eo ponendam esse, ut quanta maxima fieri potest interiori cordis munditia et puritate, atque exteriori devotionis ac pietatis specie peragatur ». Syn. Trid. *Decretum de observ. et vitandis in celebr. missæ.*

Porrò cur sacerdotes minori quam par est devotione ac pietate divinum sacrificium celebrent, plerumque causa est quod non sufficienter precum ac ceremoniarum, quibus utuntur, sensum ac significationem calleant. Quapropter pluribus perutile fore visum est, si, in gratiam sacerdotum nostri Periodici lectorum, brevi sermone exponamus quid orationibus et ritibus, in Ordinario missæ contentis et præscriptis, significetur.

Libenter quidem opus istud exarandum suscipimus. Præmonemus autem nos, in hisce explicationibus conscribendis, id unum intendere, ut nimirum precum, sententiarum ac ceremoniarum Missæ sensum ac significationem aperiamus, quam Sancta Mater Ecclesia eis tribuere videtur; quatenus sacerdos illam probe intelligens inde pietatem suam in celebrando nutrire valeat. Quare ascetica, potius quam scientifica aut historica,

erit nostra tractatio, utpote devotioni magis quam eruditioni lectoris inserviens. (1)

Cum S. Thoma (2) dividimus Missam in duas partes, quarum prior est pars *præparatoria*, complectens preces et instructiones tum ad pedem altaris, tum ad ipsum altare recitandas usque ad offertorium; — altera est *ipsa celebratio mysterii* in qua distinguuntur tria: videlicet *oblatio, consecratio et communio.* — Et hæc erit partitio nostri tractatus, in quo agemus de missa *privata* tantum: sub fine tamen et in modum appendicis, præcipuas ceremonias Missæ *solemni* proprias breviter explicabimus.

## Pars Missæ prior
## Præparatio ad mysterii celebrationem

—

### § 1. *De accessu sacerdotis ad altare et precibus ad Missam præparatoriis usque ad Introitum.*

1. « Sacerdos iturus ad altare, cogitet quantum opus adeat. Cogitet et stupeat se esse legatum Ecclesiæ, imo totius orbis ad Deum, ut cum eo summa negotia tractet, nimirum ut nomine totius creaturæ homagium Deo præstet ac doxologiam et gratiarum actionem pro omnibus beneficiis a qualibet creatura perceptis; ut oret et propitiet Deum pro peccatis totius mundi; ut peccatoribus in infernum ruituris liberationem, veniam et gratiam impetret; ut omnium afflictorum morbos, tentationes, ærumnas Deo repræsentet opusque poscat; ut singulis fidelibus Dei gratiam, virtutum augmentum

(1) Qui studio magis scientifico circa hanc materiam delectatur adeat, præ cæteris scriptoribus, Card. Bona, *Rerum liturgicarum libri duo*; — Lebrun, *Explication littéraire, historique et dogmatique des prières et cérémonies de la Messe*; — Bened. XIV, *De Sacrificio Missæ*; — et opus eximium recentius editum, *Le Saint sacrifice de la Messe, son explication dogmatique, liturgique et ascétique,* par Nic. Gihr — traduit par l'abbé Moccand.

(2) Part. 3. q. 83, art. 4.

omniaque bona impetret; ut pro defunctis exoret et pro tot millenis animabus quæ in purgatorio uruntur supplicet, denique ut sit mediator Dei et hominum ac Christi ipsius personam subeat, iteretque illud idem sacrificium quod Christus obtulit in cruce, ubi ipse tam victima fuit quam sacerdos. Quis hæc perpendens non percellatur, non stupeat, non accendatur » (1).

2. Celebrans, cum venerit ad altare, facta illi debita reverentia, *signat se signo crucis*. — Hoc signo redemptionis nostræ multoties uti jubetur sacerdos, dum missam celebrat, ut memor sit illius sacrificii, quo Christus in ara crucis *semetipsum obtulit immaculatum Deo* (2), et cujus sacrificium missæ est repræsentatio. Etenim, ut docet Conc. Trid. (3) « Dominus noster... in cœna novissima, qua nocte tradebatur, ut dilectæ sponsæ suæ Ecclesiæ visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret sacrificium, quo cruentum illud, semel in cruce peragendum, repræsentaretur, ejusque memoria in finem usque sæculi permaneret, atque illius salutaris virtus in remissionem eorum quæ a nobis quotidie committuntur peccatorum applicaretur; sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans, corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit; ac sub earumdem rerum symbolis apostolis, quos tunc novi Testamenti sacerdotes constituebat, ut sumerent tradidit; et eisdem eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent, præcepit per hæc verba: *Hoc facite in meam commemorationem* ». — Dum sese signat sacerdos clara voce dicit: *In nomine Patris* etc., ut innuat sacrificii Christi commemorationem in Sanctissimæ Trinitatis honorem a se renovari, nimirum: in nomine Patris, qui Filium immolandum tradidit; in nomine Filii, qui sese immolandum obtulit; in nomine Spiritus Sancti

(1) Cornel. a Lapide., *in Malach.* I, 11.
(2) *Hebr.* IX, 14.
(3) Sess. XXII, cap. 1.

quo movente et incitante (1) oblatio facta est. — « Animadverte, inquit Card. Bona. (2), quantum sit nomen a quo sacrificium auspicaris, et sic te gere, ut tantam decet majestatem ».

3. Postea alternatim cum ministris dicit sacerdos ps. *Judica*, præmissa antiphona: *Introibo ad altare Dei*. (3)

Psalmo illo, prouti juxta mentem Ecclesiæ missæ celebrationi accommodatur, triplex affectus exprimitur, *gaudii* videlicet propter contingens beneficium divinum sacrificium offerendi; *timoris* ne tanto honori quis indignus reperiatur; *fiduciæ* in divino auxilio. — Dicitur clara voce et *alternatim cum ministris*, quia decet communis sit sensus omnium offerentium: porrò fideles assistentes et potissimum ministri divinæ actioni inservientes, offerentibus sacrificium accensentur.

*Judica me Deus... erue me.* Petit ut Deus ipsum protegendo discernat ab hominibus iniquis et impiis, quibus certe non licet *ascendere in montem Domini aut stare in loco sancto ejus* (Ps. XXIII), utque tueatur ipsum adversus hostes animæ suæ, qui eum a virtutis semita et consequenter ab altari Dei elongare tentant. *Quia tu es Deus fortitudo mea:* non enim in propriis viribus confidit, sed in Deo solo præsidium suum constituit; et ideo sub forma piæ querelæ *(quare me repulisti... inimicus)* supplicat ut ipsum non deserat nec solatio destitutum relinquat medios inter inimicos; at contrà pro sua fidelitate concedat ei lumen et robur gratiæ suæ *(Emitte lucem et veritatem tuam)* quibus adjutus ascendere valeat ad montem sanctum ejus, seu ad altare ipsius, ubi specialiter residet, sacrificia et vota populi sui excipiens; *(ipsa me deduxerunt et adduxerunt*

---

(1) *Qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit.* (*Hebr.* l. c.)

(2) *Tract. ascet. de Missa*, § 4.

(3) Ps. *Judica* omittitur in Missis *de requiem* et tempore Passionis, ut videtur, propter sensum lætitiæ in eo expressum, qui minus congruit cum apparatu lugubri et mœroris manifestatione istis missis propria.

[pro *adducent* vel *adducant*] (1)... *tabernacula tua)*. Unde lætabundus exclamat: *Et introibo ad altare Dei, ad Deum, qui lætificat juventutem meam*, i. e. qui reficiet vires animæ meæ atque renovabit in me spiritus fervorem ex quo vera et solida lætitia procedit. Et prosequitur: *Confitebor tibi in cithara Deus, Deus meus*, seu laudem tuam celebrabo in cordis exultatione; igitur, *quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me?* Potius *spera* et confide *in Deo* ad cujus altare jam licet accedere, etiamnum ipsum laudaturus tanquam salvatorem ac Deum meum (quoniam adhuc *confitebor illi* qui est *salutare vultus mei* i. e. salutare meum, *et Deus meus*.

Sequitur doxologia *Gloria Patri* etc. ad honorandam SS^mam^ Trinitatem: quæ nullibi aptius usurpari potest quam in principio divini sacrificii quod maxime Dei gloriam, potestatem, sapientiam et amorem explicat; nam haud minus Dei omnipotentia quam ejus sapientia et amore editur in altari victima divina, quæ sola Deum perfecte glorificare atque homines sanctificare valeat. (2)

*(Sequetur.)*

H. V. D. B.

(1) Cfr. Beelen in h. ps.
(2) Cfr. Lebrun *op. cit.*, 1^re^ partie, art. 3, § 3.

# Du cautionnement des trésoriers des fabriques d'église.

*(Suite. — Voir ci-dessus, pag. 47)*

## II. Formes ou réalisation du cautionnement.

Si l'on consulte uniquement le texte de la loi, il faut qu'il intervienne toujours un *acte notarié* pour opérer la réalisation définitive du cautionnement, quelle que soit d'ailleurs sa nature. « Les actes de cautionnement seront passés devant notaire », dit l'article 117 de la loi communale. Cependant cette disposition a cessé d'être en harmonie avec la législation sur la comptabilité de l'État, et l'obligation d'un acte notarié, qui semble imposée d'une façon générale, n'existe pas lorsque le comptable fournit un cautionnement en numéraire ou en fonds publics. *Revue de l'administration*, an. 1892, p. 245; Giron, *Dictionnaire*, V° cit., n°s 5 et 6; Orban, *ouv. cité*, n°s 674 et 675; Wiliquet, *ouv. cité*, n° 1490.

Voici au reste les formalités à observer pour la constitution des diverses espèces de cautionnements.

A. Si le cautionnement consiste en *une affectation hypothécaire*, il se réalise au moyen d'un acte notarié (1)

(1) Certains auteurs sont d'avis qu'un acte notarié n'est pas nécessaire lorsque le cautionnement est fourni en immeubles appartenant *en propre* aux receveurs des communes ou des établissements publics, parce que, disent-ils, ces immeubles sont de droit hypothéqués au profit de ces établissements (art. 47 de la loi hypothécaire). C'est une erreur: l'hypothèque légale dont il est question à l'article 47 constitue une garantie absolument distincte et indépendante du cautionnement; l'affectation hypothécaire, consentie comme cautionnement, a un caractère conventionnel et doit faire l'objet d'un acte notarié conformément à l'article 76 de la même loi. Voir circulaire du Gouverneur du Brabant du 6 Septembre 1894 (*Revue de l'administration*, 1896, p. 21); de Corswarem, *ouv.*

et d'une inscription sur les régistres de la conservation des hypothèques, conformément aux articles 76 et 83 de la loi du 16 Décembre 1851.

Il est indispensable d'indiquer exactement, dans la délibération relative à un cautionnement de cette nature, quels sont les biens sur lesquels l'hypothèque porte, ainsi que leur valeur constatée par un procès verbal d'estimation; et de produire un certificat du conservateur des hypothèques déclarant qu'ils sont libres de charges. En outre, s'il s'agit de propriétés bâties, il devra être justifié qu'elles sont assurées contre les risques de l'incendie (art. 10 de la loi du 16 Décembre 1851), et il y aura lieu de faire insérer dans la police d'assurance la clause qu'en cas de sinistre la fabrique d'église intéressée sera subrogée à l'assuré pour le recouvrement de l'indemnité due. Circulaire du Gouverneur de la Flandre Occidentale du 23 Juin 1888.

La délibération du conseil de fabrique devra donc être accompagnée d'un extrait de la matrice cadastrale, d'un procès-verbal d'expertise, d'un certificat du conservateur des hypothèques et, le cas échéant, de la

---

*cité*, nº 141; Wiliquet, *ouv. cité*, nº 1490; *Revue de l'adm.*, 1892, p. 245, et 1897, p. 169.

Au surplus, plusieurs jurisconsultes prétendent que les fabriques d'église n'ont pas d'hypothèque légale sur les biens de leurs trésoriers. Voir en ce sens, Laurent, *Principes de droit civil*, T. XXX, nº 420; Giron, *Dictionnaire*, Vº Hypothèque légale; Brixhe, *Dictionnaire*, Vº Hypothèque; arrêt de la Cour de Cassation du 7 Juin 1849 (*Pascr.*, I, p. 362); circulaires du Gouverneur du Brabant du 27 Octobre 1890 et du 6 Septembre 1894. Cfr *Revue de l'administration*, 1891, p. 64 ss., 1893, p. 72, 1896, p. 21, et 1897, p. 169. D'autres cependant soutiennent, et avec raison, que la disposition de l'art. 47 de la loi hypothécaire s'applique aux trésoriers des fabriques comme aux receveurs des autres établissements publics. Voir, p. ex., De Fooz, *Droit adm.*, T. IV, p. 528; Lauwers, *Code de droit civil eccl.*, p. 159; Delcour, *Rev. cath.*, VII, p. 15 et p. 263; *Mémorial belge*, an. 1875, p. 675; Moulart, *Des fabriq. d'églises*, 8ème édit., p. 346; Dijon, *Guide pratique des trésoriers*, p. 38; De Brabandere, *ouv. cité*, n. 1141; de Corswarem, *Uitlegging der wetten over de kerkfabrieken*, nº 145; *Het Vlaamsch Bestuur*, II, p. 85 coll. I, p. 20; *Les Pandectes belges*, Vº Comptable public, nº 234, et Vº Fabrique d'église, nº 400 ss.

police d'assurance. Voir Wyvekens, *Formulaire*, V° Cautionnement des receveurs communaux, n° 132.

*Observations*. 1°. Il appartient à l'administration intéressée de faire les diligences nécessaires pour que les inscriptions hypothécaires soient renouvelées avant l'expiration de la quinzième année de leur date, sous peine d'encourir la déchéance de ses droits (art. 90 de la loi du 16 Décembre 1851). Cette administration doit veiller également à ce que les actes constitutifs de cautionnement soient renouvelés avant l'expiration de la 30me année.

2°. Tous les frais relatifs aux actes de cautionnement sont à la charge du comptable (art. 117 de la loi communale). Il en est de même, s'il n'y a stipulation contraire, des frais des inscriptions et de leur renouvellement (art. 91 de la loi du 16 Décembre 1851).

Les auteurs cependant font remarquer que, si le trésorier ne reçoit aucune indemnité ni denier de recette, il convient que la fabrique prenne à sa charge les divers frais nécessités par la constitution du cautionnement. Voir Moulart, *Des fabriques d'églises,* 8me édit., p. 347 ; *Het Vlaamsch Bestuur*, II, p. 375.

B. Lorsque le cautionnement est fourni *en numéraire* (et c'est le mode le plus généralement adopté), le versement doit en être effectué entre les mains d'un agent du Caissier de l'État, c'est-à-dire de la Banque Nationale, pour le compte de la Caisse des Dépôts et Consignations, laquelle est chargée de faire le service des cautionnements en numéraire de tous les préposés comptables (art. 7, n. 2, de la loi du 15 Novembre 1847 et art. 23 de l'arrêté royal du 2 Novembre 1848 combinés avec l'art. 189 de l'arrêté royal du 10 Décembre 1868).

Ce versement donne lieu à la délivrance d'un récépissé à talon, avec imputation de versement, conformément au bordereau qui est présenté par la partie versante, c'est-à-dire que l'agent de la Banque qui

reçoit le numéraire fourni comme cautionnement, remet au déposant une quittance à talon portant les noms, prénoms et qualités du comptable (et, le cas échéant, les noms, prénoms et domicile du bailleur de fonds), et mentionnant, suivant le bordereau de versement, l'imputation « *à titre de cautionnement* ». Art. 4 de la loi du 15 Mai 1846.

L'affectation que le trésorier ou receveur donne au capital déposé par lui entre les mains de l'agent de la Banque Nationale, est authentiquement établie par les mentions que cet agent inscrit sur le récépissé ainsi que sur le talon. Ce double document prouve d'une manière irréfragable l'existence et la teneur du cautionnement, et dispense les parties de recourir au ministère d'un notaire. En ce sens arrêt de la Cour de Bruxelles du 1 Février 1888 (*Pasicr.*, II, p. 237).

Le récépissé délivré au moment du versement doit, dans les vingt-quatre heures, être soumis au visa de l'Agent du Trésor, qui en détache le talon pour le remettre à l'administration de la Trésorerie. (1)

Ensuite une demande en inscription, formée en double expédition, d'après une formule délivrée sans frais aux intéressés par l'administration provinciale (2), est adressée, appuyée du récépissé, à M. le Gouverneur.

(1) En cas de perte d'un récépissé de l'espèce, la partie versante peut obtenir de l'administration des finances une attestation constatant que le versement a eu lieu. A cet effet, il adresse au Ministère des finances une demande indiquant la date du versement et l'agence de la Banque où il a été effectué. Cette attestation, tenant lieu de *duplicata*, annule le récépissé original; si celui-ci vient à être retrouvé, il doit être envoyé au département des finances. Cf. *Pandectes belges*, V° cit., n° 103.

(2) Le gouvernement provincial, lorsqu'il renvoie, approuvée par la Députation permanente, la délibération du conseil de fabrique réglant la nature et le montant du cautionnement, joint à cette délibération les imprimés nécessaires pour former la demande d'inscription au Grand Livre, ainsi que les formules à remplir pour permettre l'inscription du nouveau comptable au registre matricule tenu à l'administration provinciale.

On peut aussi se procurer les imprimés nécessaires pour former la demande d'inscription chez l'Agent du Trésor.

L'un des doubles, revêtu d'un accusé de réception, est envoyé au déposant pour lui servir de titre provisoire; l'autre est transmis par le Gouverneur, — avec le récépissé — au Ministre des finances qui, après inscription du versement au Grand Livre des cautionnements, envoie à l'administration provinciale un certificat constatant l'inscription. Ce certificat est transmis au cautionnaire qui, en échange, restitue, muni d'un accusé de réception du titre définitif, le titre provisoire qui lui avait été délivré. (1)

Le certificat d'inscription est exhibé à l'Agent du Trésor, à chaque échéance d'intérêts (2), pour recevoir au verso l'annotation du payement; il est reproduit à la Caisse des dépôts, lors de la demande de restitution du cautionnement.

C. Lorsque le cautionnement doit être constitué *en fonds publics nationaux*, le trésorier dépose les obligations au porteur dans l'une ou l'autre agence de la Banque nationale, pour être converties en une *inscription nominative*. Le déposant signe une déclaration sur la remise de laquelle l'agent de la Banque lui délivre un certificat qui sert de duplicata des titres. Ce certificat doit être présenté dans les 24 heures à l'Agent du

(1) Lorsqu'un certificat d'inscription est égaré, il faut, pour en obtenir un *duplicata*, produire une déclaration rédigée dans le sens de la formule qui se délivre à cet effet à l'administration de la Trésorerie. Cette déclaration, qui est soumise au droit de timbre et d'enregistrement, doit être faite devant un notaire ou devant le bourgmestre de la commune qu'habite l'intéressé. Voir modèles de formules dans Orban, *Le droit adm. notarial*, p. 138 et p. 495. Cf. *Pandectes belges*, V° cit., n° 119 et n° 120.

(2) L'intérêt des cautionnements fournis en numéraire par les trésoriers des fabriques d'église est actuellement fixé à 3 %. Cet intérêt est payable par semestre (le 1er Janvier et le 1er Juillet), sur mandats délivrés par l'Agent du Trésor; l'intérêt prorata couru au moment de l'inscription fait l'objet d'un mandat spécial; il en est de même de l'intérêt prorata qui est dû au jour de la restitution du cautionnement.

Les cautionnements dont le remboursement n'est pas effectué, faute de productions ou de justifications suffisantes, dans le délai d'une année, à compter de la cessation des fonctions des comptables, ne portent plus d'intérêts. Voir Wiliquet, *ouv. cité*, n° 1492; Orban, *ouv. cité*, n° 678, p. 503.

Trésor, pour être visé. Dans les dix jours, il est remis, en échange du certificat de dépôt, et contre reçu, un extrait d'inscription au Grand Livre, délivré par le Directeur général de la Trésorerie.

Cet extrait d'inscription est envoyé par le trésorier au Gouverneur qui le transmet au Ministre des finances à l'effet de constater — en marge de l'inscription ainsi que sur l'extrait — l'affectation qui en est faite, à titre de cautionnement, pour la garantie de la gestion du trésorier. (1)

Cette constatation, qui est l'instrument du contrat de cautionnement, établit authentiquement que les titres déposés sont affectés à la garantie de la gestion du trésorier. La passation d'un acte notarié est donc sans objet et sans utilité. Voir Giron, *Dict.*, V° Cautionnements des receveurs communaux, n° 6; Orban, *ouv. cité*, n. 675.

L'extrait d'inscription est restitué ensuite au trésorier par l'entremise de l'administration provinciale.

D. Si le cautionnement consiste en *Obligations de la Société du Crédit Communal*, la même inscription doit être prise au Grand Livre de cette société.

A cet effet, le trésorier s'adresse directement à la Société, qui a son siége à Bruxelles. Il y dépose les obligations qu'il veut faire inscrire; et les formalités nécessaires à l'effet de l'inscription s'y accomplissent sur les indications fournies par l'intéressé. Voir *Pandectes belges*, V° cit., n. 175, en note; Orban, *ouv. cité*, n. 675bis.

E. Enfin, lorsque la garantie que fournit le trésorier consiste en une simple *caution personnelle*, l'administration intéressée doit d'abord s'assurer de la solvabilité

---

(1) Voici la formule qui constate cette affectation : « *La présente inscription est affectée à titre de cautionnement jusqu'à concurrence de la somme de... pour la garantie de la gestion de..., en sa qualité de trésorier de la fabrique de... Il ne pourra en être disposé qu'avec l'autorisation de la Députation permanente du conseil provincial de...* »

de la personne présentée comme caution; et comme « la solvabilité d'une caution ne s'estime qu'eu égard à ses propriétés foncières, excepté... lorsque la dette est modique », et qu' « on n'a point égard aux immeubles litigieux » (art. 2019 du code civil), la fabrique doit exiger préalablement la production des titres de propriété, un procès-verbal d'expertise, et un certificat constatant la situation hypothécaire des biens. Après que l'on aura acquis la preuve que les biens ont une valeur libre de toute charge, suffisante pour garantir la gestion du comptable, il doit être passé un acte de cautionnement, devant notaire, sous réserve de l'approbation de la Députation permanente. La délibération du conseil de fabrique qui agrée la caution, et les différentes pièces indiquées ci-dessus, sont transmises ensuite à la Députation permanente, à laquelle on fournit en même temps des renseignements sur la personne présentée comme caution. Circ. du Gouverneur de la Fl. Occ., du 23 Juin 1888.

*Observations. a/* Lorsque, à raison d'augmentation des recettes annuelles, ou pour toute autre cause, il sera jugé que le cautionnement fixé par le conseil de fabrique n'est plus suffisant, le trésorier devra fournir, dans un temps limité, un cautionnement supplémentaire, à l'égard duquel on suivra les mêmes règles que pour le cautionnement primitif. Cf. Art. 119 de la loi comm.

*b/* Tout trésorier qui n'aurait pas fourni son cautionnement ou supplément de cautionnement dans les délais prescrits, et qui n'aurait pas justifié ce retard par des motifs suffisants pourrait être considéré comme démissionnaire. Cf. Art. 120, *ibid.*

*(A suivre.)*

C. V. C.

# Fabriques d'église

## Séance légale du mois de Mars

Aux termes de l'article 5 de la loi du 4 Mars 1870. « Le trésorier est tenu de présenter son compte annuel au conseil, dans une séance obligatoire, qui se tiendra le premier dimanche du mois de Mars ».

L'objet principal de la séance du mois de Mars est donc la vérification du compte annuel de la fabrique. Les conseillers feront un examen attentif et détaillé de ce compte, s'assurant par eux-mêmes si aucune recette n'a été omise, si toutes les dépenses faites ont été approuvées et sont appuyées de mandats réguliers, si les mémoires et factures ou bien les mandats sont dûment acquittés; en un mot, si toutes les prescriptions légales ont été accomplies.

Nous avons exposé précédemment (*Collationes*, T. I, p. 81 ss. et T. II, p. 90) les règles principales qui doivent être observées dans la confection et l'examen du compte; et nous engageons itérativement les administrations fabriciennes à ne pas les perdre de vue.

Nous signalons tout spécialement à leur attention l'observation que nous avons faite concernant *les sommes rejetées* du compte antérieur. Voir *Collat.* T. I, p. 86, 10°.

Dans le compte de l'exercice 1898, il y a lieu d'inscrire les sommes, sujettes à rappel et susceptibles de régularisation, rejetées du compte approuvé de **1896**, et approuvées comme telles au n° 52bis du budget pour l'année 1898.

Nous disons : « *rejetées du compte approuvé de* **1896**, etc. ». Il n'est donc pas question de porter au compte de 1898 (comme d'aucuns pourraient le faire par erreur)

les sommes rejetées du compte de *1897* et qui n'ont pas été inscrites en dépense au budget pour l'exercice 1898. La raison en est qu'aucune dépense ne peut être portée au compte, sans une allocation prévue et approuvée au budget.

Il ne sera peut-être pas inutile d'indiquer ici les principaux cas dans lesquels des sommes rejetées du compte de 1896, sont sujettes à rappel et susceptibles de régularisation au compte de 1898. Cette énumération contiendra en même temps le relevé des irrégularités qui se commettent le plus fréquemment et qu'il importe avant tout d'éviter dans la confection des comptes.

Sont notamment sujettes à rappel et susceptibles d'autorisation:

1° Les sommes rejetées du compte de 1896 *pour défaut de crédit ou de crédit suffisant* (1) ; c'est-à-dire celles qui ont été rejetées parce qu'elles n'avaient pas été prévues au budget ou qu'elles dépassaient les allocations budgétaires. Il suffit d'inscrire simplement ces sommes au compte de 1898, sans qu'il soit besoin de reproduire les pièces justificatives qui ont été annexées au compte de 1896 d'où ces sommes ont été rejetées.

2° Celles rejetées parce qu'elles n'étaient pas appuyées de *mandats réguliers*, et *dûment acquittés*, à savoir:

a) Ou bien parce que les mandats n'étaient *pas signés par le président du bureau;*

b) Ou bien parce qu'ils n'étaient *pas acquittés* par les intéressés au nom duquels ils avaient été délivrés;

c) Ou bien parce qu'ils n'étaient pas acquittés par les intéressés *de leur nom patronymique*. Car il ne suffit pas, par exemple, que les religieuses qui fournissent le pain d'autel, acquittent le mandat de leur nom *de religion* (Mère Thérèse, Sœur Ambroisine, etc.): semblables

(1) S'il s'agissait d'une dépense soumise à une *autorisation préalable*, elle ne pourrait être régularisée tant que l'autorisation exigée n'est pas intervenue.

quittances ne sont pas valables, et les mandats ainsi acquittés ne sont pas admis.

d/ Ou bien, parce que les mandats portent *des acquits en forme de croix, qui ne sont pas certifiés par deux témoins.*

Dans ces différentes hypothèses, il suffit de reproduire les mandats, exempts de l'irrégularité dont ils étaient entachés.

3° Les dépenses rejetées parce qu'elles n'étaient *pas appuyées de mémoires ou factures.*

Il y a lieu, dans ce cas, de reproduire les mandats appuyés des mémoires détaillés des fournisseurs.

4° Enfin, celles rejetées *pour import en moins du mandat.* Ceci arrive lorsque, par suite d'une erreur de calcul dans la confection du mémoire, le montant du mandat est inférieur au montant *réel* de la facture ou mémoire. Supposons, par exemple, qu'à l'article 14 du compte de 1896, on ait inscrit une somme de 30 francs. L'autorité, en examinant le mémoire apporté à l'appui de cette dépense, a constaté une erreur et a trouvé que la somme à payer au fournisseur N. était en réalité de 31 francs. Elle a conséquemment dû faire, à l'article 14 du compte de 1896, l'observation suivante:

Art. 14: Addition faite de 1 fr. (à la somme de 30 fr.), import en plus du mémoire. *(Na bijvoeg van 1 fr., meerder bedrag der memorie).*

Au même art. 14: Déduction faite de 1 fr. de la même somme, import en moins du mandat. *(Na aftrek van 1 fr. der zelfde som, minder bedrag van het mandaat).*

Pour régulariser, il suffit d'annexer aux pièces justificatives du compte de 1898, un mandat supplémentaire de 1 fr. au profit du fournisseur N., et acquitté par lui.

C. V. C.

# Litteræ S^mi D. N. Leonis Papæ XIII

## ad Ministrum generalem Ordinis Fratrum Minorum.

*(25 Novembris 1898)*

Ex hisce litteris sequentes excerpimus §§ :

I. *De doctrina divi Thomæ Aquinatis sequenda.* — De studio majorum disciplinarum satis commonstrant Litteræ Nostræ Encyclicæ *Æterni Patris*, qua sit ingrediendum via. Discedere inconsulte ac temere a sapientia Doctoris angelici, res aliena est a voluntate Nostra eademque plena periculi. Perpetua quidem sunt humanæ cogitationis itinera, augeturque accessionibus fere quotidianis scientia rerum ac doctrina : quis autem nolit his rebus sapienter uti, quas recentiorum pariat eruditio et labor ? Quin imo adsciscantur hinc libenter quæ recta sunt, quæ utilia, quæ veritati divinitus traditæ non repugnantia ; sed qui vere philosophari volunt, velle autem potissimum debent religiosi viri, primordia ac fundamenta doctrinæ in Thoma Aquinate ponant. Eo neglecto, in tanta ingeniorum licentia, pronum esse in opinionum portenta delabi atque ipsa *rationalismi* peste sensim afflari, nimium jam res, et facta testantur. Quid si ejusmodi aliquid in eos obrepat, quibus officium sit instituere cupidam religiosæ professionis juventutem ? Sanctum itaque sit apud omnes beati Francisci alumnos Thomæ nomen : vereanturque non sequi ducem, quem bene scripsisse de se Jesus Christus testabatur.

II. *De sana methodo in interpretatione Scripturæ sacræ servanda.* — Dein nihil esse vides, quod fidei christianæ tam vehementer intersit, quam explanari probe ac fideliter, ut oportet conscripta divino Spiritu afflante volumina. Habenda ratio et diligentia est in re tanti momenti, ne quid, non modo superbia, sed ne levitate quidem animi imprudentiave peccetur : in primisque ne plus æquo tribuatur sententiis quibusdam novis, quas metuere satius est, non quia novæ sunt, sed quia plerumque fallunt specie quadam et simulatione veri. Adamari hac illac cœptum est, vel a quibus minime debuerat, genus interpretandi audax atque immodice liberum : interdum favetur etiam interpretibus catholico nomine alienis, quorum intemperantia ingenii non tam declarantur

sacræ litteræ, quam corrumpuntur. Cujusmodi incommoda in malum aliquod opinione majus evasura sunt, nisi celeriter occurratur. Omnino postulant *eloquia Dei* a cultoribus suis judicium sanum ac prudens: quod nullo modo poterit esse tale, nisi adjunctam habeat verecundiam modestiamque animi deditam. Id intelligant ac serio considerent, quicumque pertractant divinos libros: iidemque meminerint, utique habere se quod in his studiis tuto sequantur, si modo audiant Ecclesiam ut debent. Nec silebimus, Nos ipsos per Litteras *Providentissimus Deus,* quid hac de re sentiat, quid velit Ecclesia, dedita opera docuisse. Præcepta vero et documenta Pontificis maximi negligere, catholico homini licet nemini.

III. *De ratione utili prædicandi verbum divinum.* — Cum notitia rectaque intelligentia Scripturarum magnopere conjunctum illud est, versari sancte et utiliter *in ministerio verbi.* Tu vero in hoc genere, quantum vigilando conandoque potes, ne patiare quicquam vitii Sodalibus tuis adhærescere: sed enitere et perfice, ut quæ sacrum Consilium negotiis Episcoporum atque Ordinum religiosorum præpositum, non multos ante annos, datis in id litteris, monuit et præcepit, omnia inviolate serventur. Finis est eloquentiæ sacræ eorum salus qui audiunt: quare tradere præcepta morum, vitia coarguere, mysteria cognitu necessaria ad vulgi captum explanare, hoc munus, hæc suprema lex est. Nihil in præconibus Evangelii tam absonum, quam in aliena dicendo excurrere, materiamve ad explicandum sumere aut levioris momenti, aut otiosam, aut altius petitam: qua ratione obstrepitur quidem paulisper auribus, sed nihilominus jejuna, quâm venerat, multitudo dimittitur. Erudire, permovere, convertere ad meliora animos velle debent, qui ad concionandum pro potestate sacra accedant: quod tamen assequi, nisi diligenti præparatione adhibita, nullo pacto queunt. De Minoribus igitur tuis, quicumque id muneris malunt attingere, tu dabis operam ut instruant atque ornent singuli sese, priusquam aggrediantur, adjumentis præsidiisque necessariis, studio rerum atque hominum; cognitione theologiæ, arte dicendi, et quod caput est, suorum observantia officiorum et innocentia vitæ: is enim recte et cum fructu vocat alios ad officia virtutum, qui cum virtute vivat ipse quique facile possit mores suos exponere, tamquam speculum, multitudini.

# E Secretaria Brevium

## Conceditur indulgentia recitantibus orationem quamdam pro conversione francorum-muratorum.

LEO PP. XIII.

*Ad perpetuam rei memoriam.* Dilectus filius Octavius Josephus de Benazé e Societate Jesu Sacerdos, enixas Nobis humiliter preces adhibuit amplissimo suffultas Parisiensis Archiepiscopi suffragio ut fidelibus recitantibus orationem quamdam pro impetranda conversione eorum qui, damnatis francorum-muratorum societatibus nomen dederunt, partiales nonnullas indulgentias largiri de Nostra Benignitate velimus. Nos autem piis hisce votis annuentes, de Omnipotentis Dei misericordia ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus et singulis ex utroque sexu fidelibus ubique terrarum quovis anni die saltem corde contrito quolibet idiomate, dummodo versio sit fidelis, orationem recitantibus quæ juxta exemplar a Sacrorum Rituum Congne probatum quod in tabulario Secretariæ Nostræ Brevium asservari jussimus, cujus in gallico idiomate tenor est sequens « Seigneur Jésus-Christ, qui vous plaisez à faire éclater votre toute-puissance principalement en pardonnant aux pécheurs : vous qui avez dit : « Priez pour ceux qui vous persécutent et vous calomnient », nous implorons la clémence de votre Cœur sacré pour des âmes créées à l'image de Dieu qui ont été misérablement trompées par les séductions perfides de la Franc-Maçonnerie et se précipitent dans la voie de leur perte éternelle. Ne permettez pas, nous vous en conjurons, que l'Église votre sainte épouse soit opprimée par eux plus longtemps, mais apaisé par l'intercession de la Bienheureuse Vierge Marie votre Mère et par les prières des justes, daignez vous souvenir de votre miséricorde infinie. Oubliez leur perversité et faites que revenant à vous ils consolent l'Église par une éclatante pénitence et obtiennent la gloire éternelle. Vous qui vivez et régnez dans les siècles des siècles. Ainsi soit-il » ; in latina vero lingua tenor

est sequens « Domine Jesu Christe, qui omnipotentiam tuam parcendo maxime et miserando manifestas; tu qui dixisti: « orate pro persequentibus et calumniantibus vos », clementiam Cordis tui sacratissimi imploramus erga animas ad imaginem Dei conditas, sed miserrime perfidis muratorum illecebris deceptas, et in viam perditionis magis ac magis ambulantes. Noli ultra permittere ut Ecclesia, Sponsa tua, ab eis opprimatur; sed intercessione Beatissimæ Virginis Mariæ Matris tuæ et justorum precibus placatus, recordare misericordiæ tuæ infinitæ: et perversitatis eorum oblitus effice ut ipsi quoque ad te redeant, per amplissimam pœnitentiam Ecclesiam consolentur, facinora reparent, æternitatisque gloriam consequantur. Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. Amen. » : — centum dies de iniunctis eis seu alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxamus. Quas pœnitentiarum relaxationes etiam animabus fidelium in purgatorio detentis per modum suffragii applicari posse indulgemus. Non obstantibus contrariis quibuscumque...

Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XI Augusti MDCCCXCVIII Pontificatus Nostri anno vigesimo primo.

ALOIS. Card. MACCHI.

# E S. R. Univ. Inquisitione

## Dubium circa deputationem ad assistendum matrimoniis fidelium.

*Beatissime Pater,*

Hodiernus Archiepiscopus N. N., ad matrimoniorum fidelium suæ jurisdictionis validitatem procurandam, ut par est, intentus, et ad pedes S. V. provolutus, quæ sequuntur humillime exponit.

In ista Diœcesi certo viget decretum Concilii Trid. de clandestinitate Cap. *Tametsi*. Pluribus autem abhinc annis inter clerum sparsa est opinio quod valide fidelium matrimoniis quilibet sacerdos diœceseos, sacrum ministerium exercens, absque *speciali* Ordinarii aut parochi delegatione, assistere valeret, vi facultatis generalis ei concessæ administrandi omnia sacramenta quæ ordinem episcopalem non requirunt.

Plurima ergo celebrata sunt, toto istius temporis spatio, matrimonia coram sacerdotibus, qui nec ab Ordinario, nec a partium parocho delegati erant ut dictis matrimoniis assisterent.

Ex indubiis testimoniis certo apparet Prædecessorem meum dictæ opinioni adhæsisse atque repetitis vicibus pluribus sacerdotibus privatim declarasse dictam opinionem tuto sequi posse.

Porro dictam plurium sacerdotum istius diœceseos opinionem, nullo probabili fundamento niti, erroneam esse et decreti Concilii Trid. Cap. *Tametsi* subversivam infrascripto Archiepiscopo videtur. Persuasum habet Ordinarium non posse delegare omnes sacerdotes diœceseos ut assistere valeant quibuscumque matrimoniis sponsorum, qui in variis parochiis legitimum habent domicilium aut quasi-domicilium. Insuper etiamsi jus illud illi competeret, compertum est illo conceptis verbis et ex officio nunquam usum fuisse Archiepiscopum prædecessorem.

Liceat ergo sequentia dubia proponere:

I. An facultati generali administrandi omnia sacramenta,

quæ ordinem episcopalem non requirunt, includatur facultas assistendi omnibus matrimoniis fidelium diœceseos?

II. Quatenus negative, quid faciendum sit in casu ad revalidanda multa matrimonia contracta absque præsentia parochi proprii aut sacerdotis legitime delegati?

*Feria IV, die 7 Septembris 1898.*

In Congregatione Generali coram EE^mis ac RR^mis DD. Cardinalibus in rebus fidei et morum Inquisitoribus Generalibus habita, propositis suprascriptis dubiis, præhabitoque RR. DD. Consultorum voto, EE. ac RR. Patres respondendum mandarunt:

*Ad I. Negative, nisi agatur de vice-parochis, qui ex consuetudine diœcesis habitualiter delegati censeantur pro propria paræcia.* (1)

*Ad II. Supplicandum SS^mo pro sanatione in radice ad cautelam hujusmodi matrimoniorum usque ad diem publicationis præsentis decreti per Archiepiscopum.*

Sequenti autem feria IV, die 9 ejusdem mensis Septembris in audientia a SS. D. N. Leone Div. Prov. Pp. XIII R. P. D. Adsessori impertita, SS^mus D. N. resolutionem EE. ac RR. Patrum adprobavit.

I. Can. Mancini, *S. R. et U. Inquisit. Not.*

---

(1) N. B. Hujusmodi consuetudo non obtinet in diœsesibus Belgii; igitur vice-parochi apud nos, licet ab Episcopo jurisdictionem recipiant et licentiam sacramenta administrandi in parochia ad quam deputantur, non tamen eo ipso censentur delegati ad assistendum matrimoniis. « Certe in Belgio, scribit Feije, vicarii seu cooperatores parochorum indigent facultate a parocho obtenta. Parochus potest generalem quoque vicario suo dare commissionem, sed non convenit ut parochus alicui generale hujusmodi det mandatum, ut, se licet non absente nec impedito, omnia parochialia, comprehenso etiam matrimonio, peragere queat ». *De Imped. et disp. matr.* n. 296. Cf. Debrabandere, *Jur. can. et can. civ. comp.* T. I, n. 513, coll. n. 104. — *Theol. Mechl.*, n. 88, q. 3.

# Ex S. Congr. Rituum

**MONITA quoad missas lectas in sacellis sepulcreti; et quoad distantiam quæ intercedere debet inter altare et cadavera in cœmeteriis vel ecclesiis sepulta.**

I

Dubium I. Decreti in *Romana* d. d. 12 Jan. 1897 circa Missas lectas de requie permissas in sacellis sepulcreti, sed vetitas in ejusdem sepulcreti Ecclesia vel Oratorio publico, a S. R. Congregatione reformatum est: ita ut dictæ Missæ permissæ haberi debeant. En Dubium:

I. Privilegium circa Missas lectas de requie ex præfato Decreto (*quod incipit:* Aucto) concessum sacellis sepulcreti, favetne sive Ecclesiis vel Oratorio publico ac principali ipsius sepulcreti; sive aliis Ecclesiis vel Cappellis extra cœmeterium, subter quas ad legitimam distantiam alicujus defuncti cadaver quiescit?

Resp. reformata: *Affirmative ad 1am partem: Negative ad 2am.*

II

Item: circa distantiam, quæ inter altare et cadavera in Cœmeteriis vel Ecclesiis sepulta intercedere debet, sequens habetur ab eadem S. R. Congregatione, authentica declaratio:

« Sacra Rituum Congregatio declaravit tres cubitos esse fere unum metrum longitudinis, atque hanc distantiam sepulcrorum ab altari sufficere. Die 5 Aug. 1898 ».

*Nota.* Super quo altero monito animadvertant lectores, duo esse in eo declarata: 1. Non esse amplius attendendam trium cubitorum mensuram, sed sufficere ut servetur unius circiter metri distantia: 2. hanc distantiam non amplius intercedere debere, ut lex servetur, inter gradus vel gradum altaris et cadaver sepultum; sed sufficere ut intercedat inter cadaver sepultum et ipsum altare.

*Adnotatio ad primum monitum*. Per decretum generale « *Aucto* » datum 19 Maii 1896, et confirmatum a SS^mo^ D^no^ Leone Papa XIII, 8 Junii 1896, Sacra Rituum Congregatio indulsit: « in quolibet sacello sepulcreti rite erecto vel erigendo, missas, quæ inibi celebrari permittuntur, posse esse de Requie diebus non impeditis a festo duplici 1^mæ^ vel 2^æ^ classis, a Dominicis aliisque festis de præcepto servandis, necnon a Feriis, Vigiliis, Octavisque privilegiatis » (1). Interrogata autem eadem S. C. circa extensionem privilegii concessi *sacellis sepulcreti*, responderat 12 Januarii 1897 *in Romana* ad I: privilegium non favere, neque Ecclesiæ vel Oratorio publico ac principali ipsius sepulcreti, neque allis Ecclesiis vel Cappellis, extra cœmeterium, subter quas ad legitimam distantiam alicujus defuncti cadaver quiescit, et consequenter concessionem limitari ad sola sacella sepulcreti, scilicet ad capellas funerarias erectas supra sepulcrum alicujus personæ, familiæ vel etiam communitatis religiosæ (2). Illud autem responsum per superius datum monitum die 5 Augusti 1898 S. Congregatio reformavit, ita ut privilegium celebrandi missas de Requie certis diebus concessum sit, non tantum sacellis particularibus sepulcreti sed etiam ecclesiis vel oratorio publico ac principali ipsius sepulcreti, quæ scilicet ad usum cœmeterii inserviunt ejusque sunt quasi dependentia. Quoad alias ecclesias vel capellas extra cœmeterium, subter quas tamen corpus defuncti quiescit, negativa responsio manet, ita ut nullo modo ipsis privilegium applicari possit. Idem dicendum est de ecclesiis parochialibus quæ circumjacens habent cœmeterium parochiale. Quum enim dici nequeant ecclesiæ cœmeterii seu sepulchreti, sed potius cœmeterium sit dependentia ecclesiarum, ipsas decretum « *Aucto* » non comprehendit in privilegio concesso sacellis sepulcreti.

H. V. D. W.

(1) Vide Collat. Brugen. I, p. 474.
(2) Vide Collat. Brugen. II, p. 281 et seq.

# Jurisprudence administrative

## Fabriques d'église — Legs au profit d'une confrérie

—

Une personne avait par testament légué certains bijoux à la fabrique de l'église de..., « au profit de la Confrérie du Saint-Scapulaire, dans la même église, pour ces objets ou le produit de ceux-ci être employé à l'ornement de la statue de Notre-Dame du Saint-Scapulaire ».

Un arrêté royal en date du 11 Novembre 1898 (*Moniteur*, p. 4946 ss.) décide comme suit :

« En ce qui concerne le legs de bijoux fait à la fabrique de l'église de..., au profit de la Confrérie du Saint-Scapulaire :

» Considérant que cette confrérie n'a pas la personnification civile, et que la statue à l'ornement de laquelle sont destinés les bijoux légués est la propriété de la dite fabrique ; que, dès lors, la clause portant que le legs est au profit de la Confrérie du Saint-Scapulaire doit être réputée non écrite comme contraire à la loi, conformément à l'article 900 du Code civil ».

La fabrique de l'église de... est autorisée à accepter le legs prémentionné, à la condition indiquée, en tant qu'elle n'est pas contraire aux lois.

*Observations.*

Les anciennes confréries furent supprimées en France par le décret du 18 Août 1792. En Belgique, leur suppression fut prononcée par la loi du 5 Frimaire an VI. Un décret du 28 Messidor an XIII, pris en exécution du décret de restitution du 7 Thermidor an XI, attribua aux fabriques les biens non aliénés et les rentes non transférées provenant des confréries établies précédemment dans les églises paroissiales ; et les biens et rentes de cette espèce, provenant de confréries établies dans les églises supprimées, furent réunis à ceux des églises conservées dans l'arrondissement desquels ils étaient

situés. Les anciennes confréries furent ainsi définitivement supprimées.

Les confréries nouvelles, établies depuis le Concordat, n'ont aucune existence légale comme établissements publics; le caractère de personnes civiles ne leur a jamais été reconnu. En conséquence, elles sont incapables, aux yeux de la loi, d'acquérir ou de posséder: elles ne peuvent profiter directement des libéralités qui leur seraient faites, et toute disposition qui n'aurait d'autre but que l'intérêt même de la confrérie serait nulle, soit qu'elle fût faite à la confrérie elle-même, soit qu'elle fût adressée à la fabrique d'église, puisque dans cette hypothèse, la fabrique deviendrait une personne interposée au profit d'un établissement incapable (art. 911 du Code civil).

D'autre part cependant, comme la plupart des confréries, aujourd'hui comme autrefois, se rattachent par leur objet au service du culte, et que tout ce qui concerne ce service rentre dans les attributions des fabriques, on admet généralement que celles-ci ont qualité pour accepter les libéralités faites aux confréries établies dans les églises paroissiales, tout au moins si les libéralités sont destinées à la célébration de services religieux, à l'entretien ou à l'embellissement d'une chapelle de l'église, ou de tout autre objet qui intéresse le culte paroissial. Cf. Mgr Malou, *Decretum de regimine piarum confraternitatum* (Coll. epist. past., T. VII, p. 58 et 59); Affre, *Traité de l'adm. temp. des paroisses*, édit. de Liège, p. 263; Brixhe, V° *Confréries; Het Vl. Best.*, VIII, p. 253; Orban, *Droit adm. notarial*, n. 499; Giron, *Droit adm.*, n. 855, et *Dict. de droit adm.*, V° Etablissements publics, n. 50; Lentz, *Des dons et legs en fav. des établ. publ.*, T. I, n. 305 ss. coll. n. 462 ss., et T. II, n. 362. (1)

(1) Cet auteur a bien de la peine à concilier ses principes avec sa préoccupation constante de restreindre le plus possible la compétence des fabriques d'église. Comparez T. I, n. 304 et T. II, n. 362.

Dans ces cas, les libéralités peuvent être considérées comme faites au profit du culte, et partant être acceptées par la fabrique d'église; à moins toutefois que le donateur ou le testateur ne manifeste l'intention formelle de gratifier directement la confrérie, et nullement le service public représenté par la fabrique: car alors, la disposition devrait être déclarée caduque conformément à l'art 911. Voir *Collationes*, T. III, p. 49 ss.

La jurisprudence belge a beaucoup varié sur ce point, et les principes qui guident l'administration ne paraissent pas encore bien fixés. Toutefois les solutions contradictoires qui ont été données semblent toutes partir de ce principe, que les dispositions faites en faveur des confréries ne sont valables et ne peuvent être accueillies par la fabrique, que si elles intéressent le service du culte. Seulement sur le point de savoir quand le service du culte est ou non intéressé, les appréciations varient. De la des solutions opposées. Voir arr. roy. du 27 Avril 1860, du 26 Novembre 1861, du 27 Janvier 1867, du 18 Août 1870, du 25 Mai 1875 et du 10 Février 1879.

Aujourd'hui, le gouvernement paraît avoir adopté pour règle de n'autoriser les libéralités faites aux confréries, qu'à la condition que celles-ci n'ont pas une existence et un avoir distincts de ceux de la fabrique. Voir arr. roy. du 10 Oct. 1895 (*Collationes*, T. I, p. 41) et du 11 Nov. 1898.

C. V. C.

# Consultationes

## I

I. **Quæritur**: 1° *An Rector Congregationis B. Mariæ Virginis ab Episcopo nominari debeat? An sufficiat ut R. D. Principalis in collegio designet unum aliumve D. Professorem vel Invigilatorem?*

*Respondetur*. Omnis confraternitas natura sua « rectorem exigit » (*Decr. Auth.* n. 304 ad 1m). Regula generalis est ut confraternitatum Rector ab Ordinario designetur (*D. A.* n. 304 ad 1m; 298 ad 3m; 312 ad 3m). Ab hac regula non excipi Congregationes B. Mariæ Virg. patet ex publica Instructione « *De Congregationibus B. Mariæ Virginis rite instituendis* » a Superioribus societatis Jesu edita, quæ sic habet: II, 4: « singulis Congregationibus præsit sacerdos ab Ordinario loci rite constitutus, qui in officio suo exequendo, ut plurimum, a magistratu quodam a sodalibus electo adjuvatur. »

Non debet tamen Ordinarius Rectorem nominatim designare, sed vi Decreti generalis diei 8 Jan. 1861 (*D. A.* n. 389) designare potest « *parochum pro tempore* » existentem, et tunc « defuncto actuali parocho vel amoto, qui alicui sodalitati præerat, novus parochus nova iterum non indiget Episcopi nominatione ad hoc ut Rector sodalitatis eligatur » (Decr. 16 Jul. 1887, *Nouv. Rev. Théol.* XIX, p. 586).

Neque illa facultas Episcopi restringitur ad solos parochos: nam juxta Dec. S. C. Indulg. 3 Dec. 1892 ad 3m (*Nouv. Rev. Théol.* XXV, p. 139) « ex eodem Decreto (8 Jan. 1861) possunt Ordinarii delegare non solum Parochos, sed etiam Eleemosynarios, Capellanos Communitatum vel Piorum Locorum quoad Confraternitates in Ecclesiis ipsis concreditis independenter a

Parocho, uti communiter fit in Galliis, vel etiam Vicarios, tum ob nimias Parochi occupationes, tum aliis de causis. » Potest igitur Ordinarius designare pro Collegiis, Superiorem vel Principalem vel determinatum Professorem pro tempore existentem, cui etiam conferre potest potestatem subdelegandi. Et ita revera fit in hac diœcesi. Solet enim in actu erectionis addi: « cette Congrégation sera dirigée par Monsieur le Principal ou par celui de Messieurs les Professeurs qu'il délèguera à cet effet ».

Ergo respondendum affirmative ad utrumque quæsitum.

II. **Quæritur**: *Utrum a Præfecto an vero a Rectore faciendæ sint novorum sodalium receptiones?*

*Respondetur*. Nullum dubium quin faciendæ sint a Rectore vel a sacerdote ab ipso legitime deputato. Jus enim et munus recipiendi sodales inhæret muneri Rectoris confraternitatum et non raro ipsi soli competit. Memorata Instructio « de Congreg. B. M. V. rite instituendis » III, 3, sic habet: « sodales si commode fieri potest, recipiantur die aliquo B. Mariæ Virgini sacro, et eo quidem ritu ac pompa quæ in libris in sodalium usum vulgatis describuntur. *Probe vero advertendum formulam:* ad majorem Dei gloriam... (vel aliam similem) *qua ipsa in sodalitatem receptio pronuntiatur, non a sodali quæ Præfecti munere fungitur, sed a Præside ipso per Ordinarium constituto, vel ab ejus delegato legitimo esse proferendam* ».

Quum autem generatim — juxta plurima antiqua Congregationum manualia — hæc formula pronuntiaretur a Præfecto, vel omnia peragerentur a sacerdote, absque facultate legitima rectori subrogato, SS. D. N. Leo PP. XIII, rescripto S. Cong. Indulg. 23 Junii 1885, *pro præterito sanavit* omnes adscriptiones ad singula hæc sodalitia hucusque cum quolibet defectu peractas; et simul ad majorem facilitatem *pro futuro* « omnibus Congregationum Præsidibus benigne permisit, ut ex

rationabili causa alium sibi sacerdotem (qui v. g. majoris solemnitatis causa invitetur) substituere possint ad recipiendos fideles qui adscribi desiderant, ad benedicenda numismata et alia præsidum munia exercenda »: (Instruct. cit.).

Sed ulterius quæri potest quid censendum sit de receptionibus in quibus, post rescriptum 23 Junii 1885 formula receptionis a Præfecto laico pronuntiatur?

1° Ex præcedentibus sequi videtur in Præfecto, qui non sit sacerdos, deficere legitimam adscribendi auctoritatem. Jamvero S. Cong. Indulg. decreto 22 Aug. 1842 (*D. A.* n. 306) ad 3m declaravit adscriptiones factas a sacerdote, quem Rector alicujus sodalitatis, non gaudens facultate subdelegandi, sibi substituit, non posse fieri « absque fidelium confraternitati adscribendorum... detrimento ». Et ratio additur « *deficiente in sacerdote adscribente... legitima auctoritate* ». Ergo receptiones ex integro a solo Præfecto peractæ videntur invalidæ et ita adscripti privantur indulgentiis veris sodalibus concessis.

2° Sed cum citata *Instructione* « monemus, in solemni receptionis ritu non omnia esse plane necessaria, imo stricte loquendo sufficere ut certa voluntas tum ejus qui est recipiendus, tum ejus qui recipiendi potestatem habet, signo aliquo externo sit manifestata. Præterea ne inscriptio nominis novi sodalis in librum Congregationis unquam omittatur ». « Formalis enim receptio, aiunt *Acta S. Sedis*, IV, p. 240, consistit in actu auctoritativo recipiendi seu admittendi, sive id fiat verbis *te recipio*, *te admitto in confraternitatem*, et similibus, quæ in formulis reperiuntur, sive etiam fiat per actus qui idem per se aut significant aut necessario supponunt. »

Si igitur Præses seu Rector vel ejus delegatus legitimus, præter formulam a Præfecto recitatam, ipse aliis verbis sua auctoritate novos sodales admittit nullum dubium quin valide ipsi adscribantur.

Si autem non expresse dicit se illos recipere, sed v. g. in conventu præparatorio primas partes agit, in ipso receptionis ritu eis benedicit speciali modo, ab eis recipit candelam, eis imponit numisma vel crucem in signum congreganistarum, manu propria inscribit eorum nomina in albo congregationis vel subscribit diplomati aggregationis, prudenti consilio judicandum erit utrum actus, a Præside in diversis casibus positi, sufficientes sint ad manifestandam voluntatem ejus auctoritativam postulantes admittendi. Et hoc non adeo difficile, ut opinamur, obtinebitur.

Certe tamen non sufficeret ut Rector mere passive et permissive se habeat.

Practice tandem, a formula admissionis pronuntietur a Rectore, non a Præfecto, et b) nomina inscribantur in albo congregationis et omni dubio obviabitur.

C. C.

II

Q. Il s'est introduit dans notre commune un usage qui prête à de sérieux abus. Le 2 Novembre, jour des morts, les habitants se rendent au cimetière pour y placer des bougies allumées sur les tombeaux. Cette pratique a plus d'une fois occasionné l'incendie des croix en bois posées sur les fosses; elle donne en outre lieu à des rassemblements d'enfants qui s'introduisent dans le cimetière, y jouent, crient, dansent, s'y permettent en un mot des actes peu compatibles avec le respect dû au lieu saint et à la mémoire des morts. Le bourgmestre peut-il, en vertu de son droit de police, abolir cet usage?

R. Il est incontestable que le bourgmestre a le droit d'empêcher les habitants de placer des cierges allumés sur les tombes. Il a la police du cimetière; et, à ce titre, il a le droit d'en interdire le libre accès au public. D'autre part, aucun texte de loi n'autorise la pratique

dont il s'agit : des bougies allumées ne sont évidemment pas des signes indicatifs de sépulture (art. 11 et 16 du déc. du 23 Prairial an XII). (1)

Il va sans dire que le bourgmestre, dans l'exercice de son droit, devra toujours tenir compte des circonstances, et ne pas supprimer un usage établi, s'il ne donne pas lieu à des abus. Mais, dans l'espèce, l'existence des abus est manifestement établie ; dès lors, s'il n'y a pas autrement moyen d'obvier efficacement aux inconvénients signalés, le bourgmestre peut, et doit même, mettre fin à une pratique qui donne lieu à des abus incompatibles avec le respect dû au cimetière.

C. V. C.

## III

Circa casuum reservationem :

**Quæritur.** I. An incurrit casum reservatum *Incendii*, qui propriam incenderit domum, *hypothecatam* vel *assecuratam ?*

*Respondetur.* Affirmandum videtur quia, cæteræ si adsint conditiones, tale incendium est vere *in se graviter repugnans justitiæ ;* damnum enim affert ex ipso incendio et domus destructione *directe* proveniens hypothecam habenti vel domum assecuranti. Uterque habet *jus strictum determinatum* ut non destruatur voluntarie domus illa, secus ac communis creditor (de quo *Libellus* p. 34) respectu cujus incendiarius se redderet solvendo imparem. Cæteroquin in hunc sensum solvitur dubium in theol. Mechl., *De Censuris*, p. 133 (ed. 2ª).

Sane excipienda esset hypothesis in qua ædes comburens hypothecam intendat solvere vel respectu assecurantis juri suo cedere.

**Quæritur.** II. An sufficit ad reservationem *Incestus*

(1) Il faut en dire de même, pensons-nous, des fleurs placées ou plantées sur les tombes. Cfr. *Het Vl. Bestuur*, T. I, p. 373 ss.

copula habita cum consanguineis vel affinibus in 1° gradu, *absque seminatione ulla* sive extra sive intra vas?

*Respondetur* negando. Equidem ad incestum, ut sit casus reservatus, jam sufficit copula *onanistica;* sed hæc, presse loquendo, non obtinet *nisi adsit seminatio* extra vas. Definitur enim: « abruptio copulæ voluntaria *cum effusione seminis* extra vas » Lehmk. II, n. 857; cui vulgatæ definitioni possumus stricte inhærere, cum constet, ipso docente *Libello* p. 15, « verba reservationis esse strictæ interpretationis ». Inde, etiam sub nova disciplina, non incurreret casum reservatum filia puber, carnaliter cognita a fratre impubere et seminationis incapace, vel a fratre pubertatem plene adepto sed cohibente semen ita ut non resolvatur intra vas nec extra profundatur.

**Quæritur.** III. Confessarius obvium habet *Caium* pœnitentem, obnoxium casui reservato, a quo facultatem absolvendi petit et obtinet ab Episcopo. Quæritur utrum dictus confessarius valeat uti hac facultate ad absolvendum *Titium* ejusdem peccati reservati reum, in supposito quod Caius non redeat.

*Respondetur* negative. Facultas enim absolvendi a reservatis, etsi profecto possit impertiri indeterminatè, de facto tamen pro mente Reservantis, communi confessario illam sollicitanti, conceditur in ordine ad determinatum casum et determinatam personam. Ratio est vel ex hoc solo quòd aliàs quivis confessarius posset sibi comparare copiam facultatum quibus, data occasione, uteretur erga quosvis pœnitentes occurrentes, quasque tempestive renovaret; quo pacto jam nunquam essent dimittendi pœnitentes ratione reservationis, ita ut lex magna ex parte eluderetur.

A. D. S.

Collationes Brugenses

# Meditationes theologicæ

*(Sequitur. — Cf. supra, tom. IV, pag. 10.)*

## PARS SECUNDA

### UNIVERSI ORDINIS NATURÆ ATQUE GRATIÆ ÆTERNA PRÆDEFINITIO.

144. In prima parte nostrarum meditationum theologicarum, ordine logico a creaturis ad Deum cognoscendum mentaliter ascendimus, quam deinde notitiam revelatio divina ad nos descendens, lumine superno fidei ac scientiæ theologicæ apprehendendam perfecit atque complevit. In hac secunda parte, via inversa, ordine rerum seu ontologico a Deo ad creaturas descendemus. Scilicet, cuncta creata ac finita, quasi non sint, transcendens, mens nostra solum Deum vivum ac verum, Patrem, Filium et Spiritum sanctum, conabitur considerare ab æterno infinita sua sapientia præscientem ac disponentem atque omnipotenti voluntate prædefinientem quæcumque extra se aliquando futura esse liberrime decrevit.

Hæc autem, quæ de divina prædefinitione totius ordinis a Deo statuti exponenda sunt, divina revelatione proponuntur, rationi tamen secundum se plerumque, saltem postquam sunt revelata, non sunt impervia: præcipue enim consistunt in consideratione divinorum attributorum, potissimum intellectus et voluntatis Dei, quatenus spectantur in suis actibus, scientia nempe et volitione Dei omnipotentis. Quare, ut via ad præsentem tractationem sternatur, non inutile nec injucundum erit, antequam a Deo ad creaturas descendamus, adhuc paululum oculos mentis in Deum defixos tenere, seu

inquirere quomodo, ut sæpius diximus, e cognitione divinæ Trinitatis intimius, uberius atque perfectius perspiciamus quæ de divina essentia ejusque attributis, rationi non impervia, tum ratione tum revelatione novimus; eo vel magis quod hic sermo erit de Deo ad extra agente secundum unitatem essentiæ, secundum attributa absoluta seu essentialia.

## CAPUT I.

### Præliminaris consideratio intimior divinæ essentiæ divinorumque attributorum, in ordine ad intelligendam æternam rerum prædefinitionem.

145. Ut plus semel vidimus, propter imperfectum nostrum cognoscendi modum, quem quidem revelatio, ad nos descendens pro modulo nostro, non immutat, cogimur distinguere quæ in Deo realiter distincta non sunt, fundamentum tamen distinctioni præbent. Ita, ex num. supra 133, non solum quod absolutum est et commune distinguimus a relativis ac propriis in Deo uno ac trino, sed etiam distinguimus ratione cum fundamento in re ipsam divinam essentiam ab attributis absolutis, hæcque ab invicem. Solent etiam a theologis distingui proprietates absolutæ divinæ essentiæ ab attributis strictius dictis. Priores respondent in creaturis notionibus transcendentalibus seu proprietatibus entis, quæ cum ente convertuntur, quæque sunt unum, verum, bonum. Adeoque in hujus capitis sectione priore, essentiam Dei ejusque proprietates absolutas, quibus Deus maxime unus, prima veritas, et summum bonum intelligitur, diversis articulis breviter considerabimus, prout hæc omnia e revelata divina Trinitate penitius perspiciuntur. In sectione posteriore, divina quædam attributa strictius dicta prosequemur, quæ in creaturis respondent non rationibus seu expressionibus diversis ipsius esse, sed perfectionibus quodammodo essentiæ accedentibus; et inter hæc attributa, potissimum quæ intel-

lectum et voluntatem spectant, ut patet ex scopo nostro in tota hac secunda parte, attingemus, idque rursum prout e revelatione Trinitatis intimius intelliguntur.

## Sectio Prior

**De essentia Dei ejusque proprietatibus absolutis, in lumine revelatæ Trinitatis conspectis.**

### ARTICULUS I

*De essentia Dei, perfectius nota e revelatione Trinitatis.*

146. Ipsa naturali ratione novimus, quod revelatio confirmat et illustrat, Deum esse αὐτὸ ὄν, cujus essentia est esse, esse simpliciter, tota plenitudo et perfectio esse; eodem modo, consequenter intelligimus essentiam Dei, utpote ipsum esse perfectum, a toto creato mundo omnique re finita esse omnino distinctam, et singularem; eamque unicam, ita ut nonnisi solus et unicus Deus concipi possit. Tandem eadem via scimus et intelligimus consequi essentiam divinam ex seipsa in se perfecte subsistere debere seu Deum esse debere personalem. Sed quomodo hoc sit e sola revelatione divinæ Trinitatis didiscimus, adeoque et ipsam divinam essentiam ex hac revelatione intimius et perfectius novimus.

Revera, in nulla re creata subsistente, in nulla persona humana vel angelica quidquam reperimus e quo deducamus quid sit personalitas in Deo. Ut enim apposite Cajetanus ait: « Natura divina ex seipsa subsistit nec mendicat subsistentiam a suppositis, imo confert eam ipsis. Reliquæ autem naturæ non subsistunt nisi in supposito (1). » Videlicet, ex sola revelatione divinæ Trinitatis novimus essentiam divinam esse summam unicam rem et unicam rationem formalem eminen-

(1) In 1, q. 39, art. 4.

tissime et formaliter continentem quod est absoluti et quod est respectivi, quidquid absolutæ perfectionis est et quidquid trinitas respectiva personarum exigit (1), et hoc quidem ultimum habet essentia seu natura divina ex intrinseca sua naturali fœcunditate, qua duplici processione mirabili confert tribus suppositis suam subsistentiam. In omni vero creatura, etiam spirituali et perfectissima, deficit illa fœcunditas seu substantialis processio et origo, qua subsistentes relativi in eadem identica essentia seu substantia procedant; contra, omnis natura creata mendicat subsistentiam a supposito, seu mutuatur eam a modo substantiali absoluto; sive realis et physicus dicatur hic modus superadditus, quocum componit eadem natura unam singularem et integram substantiam subsistentem, seu suppositum, sive, ut alii volunt, ille modus non sit realiter et physice distinctus sed sit ipsa substantia quatenus tota in se et non communicata alteri ad modum partis: semper enim verum manet hoc ipsum « non esse alterius ad modum partis » non esse essentiale naturæ finitæ nec ex necessaria suæ perfectionis exigentia, sicut est in natura divina.

Vides etiam quomodo cum dictis perfecte conveniunt omnia quæ de Trinitate disputavimus: in specie, essentiam divinam non esse realiter distinctam a personis divinis, vel a qualibet earumdem, sed esse, identice unam et singularem, sub alia ratione, nempe secundum rationem essentiæ, tribus personis communem, sub alia vero ratione, scilicet secundum quod intelligitur constituta in esse personali, esse incommunicabilem; idque totum ex infinitate suæ perfectionis, et fœcunditatis (2).

Hæc de essentia divina qua tali nunc sufficiunt, quæ cæteroquin ex omnibus quæ sequuntur, ut patet, ulterius explicatur.

---

(1) Cf. Cajet. cit. supra in nostro num. 133.
(2) Cf. supra num. 130 in fine.

## ARTICULUS II

### *De proprietatibus essentiæ divinæ absolutis, ex revelata Trinitate perfectius notis.*

### § I

### *De unitate Dei.*

147. Ut statim omne periculum vitetur confusionis notionum, sedulo distinguamus ab invicem quæ sibi affinia sunt: unicum, unum, simplex, identicum.

Unicum est unum unitate singularitatis seu unum solum, adeoque negative saltem dicit relationem, quatenus excludit consors in ea ratione qua unicum dicitur. Ita supra diximus unam esse essentiam divinam, unum solum Deum qui, utpote esse simpliciter seu infinitum, nisi unicus concipi nequit. Licet igitur eo quod Deus sit maxime ens seu maxime unus consequatur Deum esse unicum, nihilominus unicum vere distinguitur ab uno.

Etenim *unum* non dicit relationem, sed est absoluta et positiva perfectio seu entitas, quam tamen nos negative concipimus et explicamus: unum est *indivisum*. Hæcque est unitas transcendentalis, quæ cum ente convertitur. In quantum enim ens est, in tantum est indivisum seu unum.

*Simplex* item non dicitur relative et est entitas posita, quæ rursus negative concipitur a nobis ut *non compositum*, quia primo apprehendimus composita. Unde, unitas quæ non solum est indivisio sed indivisibilitas est unitas simplicitatis.

Identicum iterum cum relatione dicitur, et cum dependentia ab aliqua consideratione rationis, quasi unum secum, sunt enim stricte identica quæ sunt *non distincta* realiter. Ita diximus essentiam divinam esse unam, identicam in tribus personis realiter distinctis, et quamlibet personam esse identice unam cum essentia, a qua realiter non distinguitur.

148. Itaque loquimur nunc proprie de unitate divinæ essentiæ, quæ est unitas omnimodæ simplicitatis. Sicuti

enim est maxime ens, ita maxime indivisa, et maxime una, imo ita ut sit undequaque indivisibilis seu omnis qualiscumque compositionis expers. Quod quidem ratione naturali notum, mysterium Trinitatis revelatum intimius declarat. Sunt enim tres relativi subsistentes, seu tres personæ realiter distinctæ, nequaquam vero divisæ, nec ulla compositio adeoque nulla divisibilitas sive inter personas, sive inter quamlibet personam et essentiam. Unus Pater, fons totius deitatis, et ex eo procedens sine divisione aut separatione unigenitus Filius, ex utroque tamquam uno principio procedens indivisus Spiritus sanctus, tres subsistentes in una indivisibili essentia, imo ex unius identice essentiæ infinita fœcunditate. Ita « totus Pater in Filio et Spiritu sancto est, totus Filius in Patre et Spiritu sancto est, totus quoque Spiritus sanctus in Patre et Filio. Nullus horum extra quemlibet ipsorum est ». (1) Unde merito S. Thomas ex Boëtio dicit « quod inter omnia quæ unum dicuntur, arcem tenet unitas divinæ Trinitatis ». (2)

149. Ex dictis etiam intelliges quomodo unitas merito appropriatur Patri, sicut videbimus veritatem appropriari Filio, et bonitatem Spiritui sancto, quamvis hæ sint proprietates absolutæ divinæ essentiæ, sicut eædem tria sunt notiones transcendentales quæ cum ente convertuntur. Ut enim supra (3) vidimus ex Hugone a S. Victore, omnes perfectiones et attributa divina quodammodo reduci possunt ad tria: ad perfectionem essendi seu potentiam, ad perfectionem intelligendi seu sapientiam, et perfectionem volendi seu bonitatem. Jamvero, quemadmodum omnia attributa quæ ad bonitatem reducuntur, Spiritui sancto, quæ vero ad sapientiam, Filio attribuuntur, propter analogiam horum attributorum specialem præ cæteris cum charactere personali respective Spiritus sancti et Filii, sic quæcum-

(1) Ita S. Fulgentius, *de Fide ad Petrum;* et cf. quæ supra de perichoresi explicavimus, n. 142.

(2) 1, q. XI, art. 4.

(3) Num. 120.

que attributa; quæ ad perfectionem essendi seu potentiam reduci possunt, merito appropriantur Patri, cujus proprietas personalis est esse principium absque principio, fons totius deitatis; ita Patri speciatim attribuitur, tamquam principio sine principio, omnipotentia divina, non tantum quatenus positive Deus causa est omnium quæ extra ipsum sunt aut esse possunt, sed etiam quatenus negative Deus sine causa est, utpote αὐτὸ ὄν. Jam autem ad istam omnipotentiam seu plenam essendi potentiam spectat summa indivisio seu maxima unitas, quæ similiter Patri appropriatur. Si eadem plenitudo essendi comparetur ad tempus et spatium, intelligitur eminere supra tempus et spatium seu esse æterna ac immutabilis et immensa, quæ rursum æternitas et immensitas merito appropriantur Patri.

150. Petes forte quomodo hucusque exposita, de divina unitate in trinitate personarum, viam sternant ad ea, quæ in altero capite hujus partis secundæ meditationum dicenda sunt, de prædefinitione totius ordinis a Deo statuti, intelligenda. Perspicio, dices, relationem inter primam veritatem summumque bonum ab una parte, quæ intellectum et voluntatem propius respiciunt, et inter præscientiam et prædefinitionem rerum ab altera parte; sed, quænam relatio existit inter divinam unitatem, modo explicatam, et ordinem rerum ad extra a Deo statutum? Respondetur id postea penitius intellectum iri, nunc tamen jam quodammodo perspici: scilicet, quatenus finitorum seu multorum, nam omne finitum quadamtenus multum est, necessario causa intelligitur esse unum; et quatenus multa in unum ordinem convenire non possunt, nisi ab uno ordinentur. Utrumque paucis declaramus, ex quo patet intimius intellectum iri ordinem ad extra a Deo statutum, intimius perspecta ipsa Dei unitate perfecta.

Ad primum quidem. Quidquid extra Deum est aut esse potest, seu quidquid finitum est, qua tale deficit ab unitate perfecta, et divisioni quadamtenus est obnoxium;

divisionem autem sequitur pluritas seu multitudo, sive sit proprie numerus quantitativus, sequens divisionem materialem, sive sit multitudo transcendentalis, sequens divisionem formalem, quæ fit per oppositas vel diversas formas. Sunt igitur in creatis multi gradus unitatis, sicut entitatis, secundum quod appropinquant ad aliquid quod est maxime unum, seu maxime ens. Jamvero, quod habet maxime aliquam rationem formalem est causa sive exemplaris sive effectiva reliquorum habentium eamdem rationem formalem, ut sic. Adeoque maxime unum est causa omnium quæ unitatem habent, seu multorum necessario causa est unum (1).

Adde per unitatem perfectam divinæ Trinitatis penitius explicari quomodo Deus intelligat infinitam imitabilitatem essentiæ suæ per infinitam multitudinem possibilium finitorum. Perfecta enim illa unitas consistit in tribus personis realiter distinctis, nequaquam divisis, sed unius essentiæ seu consubstantialibus et perfecte æqualibus. Jamvero, evidenter distinctio personarum *infinitarum* ejusdem *unius* substantiæ seu *æqualium* fundamentum præbet concipiendi *non æqualium* adeoque finitorum, Dei perfectionem imitantium, *multitudinem infinitam*.

Ad secundum, dicimus cum S. Thoma (2): « Omnia... quæ sunt, inveniuntur esse ordinata ad invicem, dum quædam quibusdam deserviunt. Quæ autem diversa sunt, in unum ordinem non convenirent, nisi ab aliquo uno ordinarentur. Melius enim multa reducuntur in unum ordinem per unum, quam per multos: quia per se unius unum est causa et multa non sunt causa unius nisi per accidens, in quantum scilicet sunt aliquo modo unum. Cum igitur illud, quod est primum, sit perfectissimum, et per se, non per accidens, oportet quod primum reducens omnia in unum ordinem, sit unum tantum. Et hoc est Deus ».

*(Continuabitur.)*

(1) Cf. S. Thomas, 1, q. II, art. 3, in corp., *quarta via*, cum comment. Cajetani.

(2) 1, q. XI, art. 3, in corp., 3°.

# Quæstiones pro Conferentiis

## mensis Aprilis

—

I

Expone Jo. III, 13: *Et nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis, qui est in cœlo.* Adde qua ratione hic versiculus cohæreat cum præcedentibus.

II

Explica et demonstra propositionem hanc: Homo nequit viribus naturæ quovis modo se positive disponere ad gratiam.

III

Da notionem *Sacrificii* in genere.

IV

Explica qua ratione, in Missa, in utriusque speciei consecratione, obtineat vera sacrificalis destructio Victimæ, essentialiter relativa ad Sacrificium cruentum Calvarii.

V

Qualis requiritur *intentio* et *attentio*, ut quis satisfaciat præcepto audiendi Missam.

IV

Titius religiosus, sine debita facultate absolvit hæreticum eique ultima sacramenta administrat; dein, ab ordine expulsus, ut sibi provideat, eleemosynas Missarum colligit, quas partim minori pretio celebrari facit, partim vero, accepto præmio, tradit bibliopolæ qui sacerdotibus quibus eas celebrandas committit, non pecuniam sed libros rependit. Quales et quare Titius censuras latæ sententiæ incurrit?

# Responsa

## ad quæstiones in Conferentiis mensis Januarii propositas

I

Q. Explana Nehem. V, 5 « *Et nunc sicut carnes fratrum nostrorum, sic carnes nostræ sunt: et sicut filii eorum, ita et filii nostri.* »

R. Sensus esse videtur: Nos pauperes, adeoque et filii nostri, ejusdem sumus generis, naturæ nationisque ac divites eorumque filii: proinde non est cur hi nos ceu extraneos deteriorisque conditionis homines dure tractent ac divexent. — Hanc expositionem commendant tum ea quæ præcedunt (1-4), tum ea quæ sequuntur (6-13), eamque merito præfert Estius, cujus commentarius sic sonat:

« Hoc à nonnullis ita exponitur: Reducti sumus in hanc terram, promissa nobis libertate et prosperitate; nunc autem contrarium reipsa experimur. Quia sicut fratres nostri, qui remanserunt in Babylone cum filiis suis, sunt in afflictione et egestate, ita et nos, qui spe prosperitatis reversi sumus in terram, quia non minus cogimur servire et laborare, quàm si in captivitate remansissemus. Hic sensus etiam si satis commodus, tamen non videtur germanus hujus loci. Continent enim verba ista clamorem plebis contra fratres suos, id est, alios Judæos ditiores, à quibus opprimebantur. Sit ergo hic sensus: Nos et illi eadem caro sumus, id est, ex eodem genere prognati; proinde liberi esse debemus, sicut illi; et similiter filii nostri non debent esse deterioris conditionis, quàm filii eorum; et tamen oppressi paupertate cogimur filios nostros vendere et illis subjicere in servitutem, tanquam alienos. Querela itaque

est pauperum contra divites, qui usuris, aliisque modis eos opprimebant. »

G. V. D. P.

II

Q. *Expone quænam sit impotentia moralis qua laborat homo lapsus relate ad vincendas tentationes.*

R. Hæc quæstio intime connexa est cum veritate quam supra (*Collat. Brug.* T. IV, p. 69 sqq.) exposuimus et qua edocebamur « hominem lapsum sine speciali auxilio gratiæ laborare impotentia morali ad totam legem naturalem adimplendam. » Hic enim ulterius inquirimus de *indole hujus moralis impotentiæ*, et ex hac consideratione sequitur, ut ex mox dicendis patebit, assertum quo quæstioni nunc propositæ fit satis, nempe: *homini habenti usum rationis occurrunt tentationes tam graves contra legem naturalem ut sine auxilio gratiæ eas diu non possit honeste superare.*

1. Moralis impotentia quælibet consistit in difficultate quæ ad aliquid faciendum vel omittendum occurrit: secus nulla esset ratio impotentiæ moralis (cf. l. c. p. 70.) Difficultatis porro occurrentis in observatione mandatorum naturalium origo, in ipso homine considerata, est concupiscentia. Nimirum concupiscentia hic late sumenda est, prout complectitur partem tum concupiscibilem tum irascibilem: sunt enim hæ simul sumptæ appetitus sensitivus, tum etiam prout complectitur indeliberatos motus voluntatis, quibus hæc fertur in quidquid sibi objicitur sub ratione aliqua apparentis boni.

Jamvero hæ facultates appetitivæ statim ac objectum ipsis conveniens proponitur, excitantur seu moventur ad illud appetendum, illi motus præveniunt rationem et voluntatem trahunt ad assensum. Sed continue accidit ut illi motus seu passiones trahant voluntatem ad

volendum aliquid quod est contra legem naturalem (de hac sola lege nunc loquimur). Ideo necessitas existit cujusdam continuæ pugnæ voluntatem inter et concupiscentiam. (Cfr. Palmieri, *de Gratia actuali*, Thes. XXIX, n. VII). Hæc autem vehemens et continua pugna tam laboriosa est ut homo gratiâ destitutus non possit, saltem post longum tempus, non vinci et in peccatum mortale non labi, quemadmodum docet S. Paulus, Rom. VII, 14-25.

Igitur, ut cæteroquin omnium experientia notum est, in hac pugna jacet difficultas observandi legem naturalem, et ideo impotentia moralis, de qua sermo est, originem habet in concupiscentia.

Porro concupiscentiæ excitatio qua homo attrahitur ad malum morale committendum, vocatur *tentatio:* hæc enim nihil aliud dicit quam sollicitationem ad peccandum. Unde quum, ut supra exposuimus, moralis impotentia qua laborat homo ad observandam legem naturalem consistat in difficultate resistendi concupiscentiæ excitatæ et trahenti ad malum morale, ideo bene concludimus: homini habenti usum rationis occurrunt tentationes (1) tam graves contra legem naturalem, ut sine auxilio gratiæ eas diu non possit honeste superare.

Magnopere ad intelligentiam propositionis juvat hæc animadversio: « Minus bene videtur hæc doctrina proponi hoc modo: *Homo sine auxilio gratiæ non potest vincere ullam tentationem gravem.* Si enim ita proponitur, anexam habet hanc difficultatem, quid sit tentatio gravis, ad quam quæstionem vix aliud dari potest responsum, nisi tentationem gravem esse eam, quæ homini tantam difficultatem paret, ut eam sine gratia moraliter

(1) Tentationes vario modo exsurgunt, scilicet vel ratione rerum sensibilium quæ nos circumdant et quæ, utpote objecta appetitus sensitivi, nos alliciunt ad earum usum et fruitionem, vel ratione phantasiæ quæ et ipsa objecta sensibilia aut sensibiles delectationes proponit, vel ratione pravorum hominum exemplorum et suasionum, vel etiam ratione operationis dæmonum.

superare nequeat. Sic autem explicata thesis tautologiam continet. Si vero quis vult describere tentationem gravem non ex effectu sed ex interna ejus natura, eam tali modo describet, ut jam non possit thesin suam ex fontibus revelationis probare, quippe in quibus nullæ ejusmodi descriptiones et distinctiones variarum tentationum inveniantur. Quare mirum non est quod multi theologi thesin ita propositam aut negarunt aut in dubium vocarunt. » (Pesch, *Tractatus dogmatici*, T. V, *de Gratia* etc. n. 157).

*Nota*. Quæ hucusque dicta sunt de impotentia morali, qua laborat homo lapsus gratia destitutus ad vitandum per longum tempus omne peccatum mortale, valent etiam de morali hominis jam justificati impotentia ad vitandum per longum tempus omne veniale peccatum.

2. Ut ulterius explicetur propositio in principio responsionis enuntiata, restat ut in sequentibus exponatur qua significatione *graves* dicantur tentationes, et quid sibi velit eas *honeste* superare.

*a*/ Tentatio est vel *levis*, si non magna vi allicit ad peccandum et consequenter conatu non magno superari potest, vel *gravis*, si magna vi allicit. « Tentatio dicitur gravis, non quia homo sollicitatur ad præceptum grave lædendum, cum possit aliquis leviter tentari ad peccatum grave et graviter tentari ad peccatum leve, sed dicitur gravis quia gravem parat difficultatem et ad peccandum vehementer sollicitat..... Nihilominus hic sermo est de solis tentationibus ad peccatum grave, quia doctrina ecclesiæ, de qua hic agitur, statuit hominem sine gratia necessario deficere a fine ultimo, id quod dici nequit de peccatis venialibus. » (Pesch, *Tractatus Dogmatici*, T. V, *De Gratia*, n. 156).

*b*/ Quemadmodum in præcedenti responsione locuti sumus de legis naturalis observatione *quoad substantiam* legis, ita nunc intendimus victoriam tentationum mere naturalem, ex motivo naturali. Triplex enim distinguitur victoria. « 1° *Vitiosa* erit, quum quis tentationem

ad peccatum vincit alio peccato: quum e. g. avarus tentationem ad ebrietatem vincit (unice) amore vitioso pecuniæ. 2° *Salutaris* erit, quum resistentia fit adjuvante gratia supernaturali, quæ ipsam hanc resistentiam et victoriam elevant ad ordinem salutis eamque meritoriam reddunt. Talis esset victoria, qua quis ex motivo fidei vinceret tentationem ad ebrietatem. 3° Præcise *honesta* et *naturaliter moralis* erit victoria, quum quis sine gratia supernaturali ex motivis naturalis honestatis tentationi resistit. » (Jungmann, *De Gratia*, n. 129).

J. V. D. M.

III

Q. *Quomodo procedendum est in reconciliandis hæreticis adultis cum Ecclesia?*

*Respondemus* sub distinctione:

I/ Si agitur de hæretico resipiscente *qui nulli sectæ notorie adhæsit*, sed inter catholicos baptizatus et educatus, dogma catholicum ex parte vel ex integro rejecit: ordinarie sufficit ut talis absolvatur *pro foro interno*, tam ab excommunicatione, si eam incurrerit, quam a culpa, etiam si publice hæresim fuerit professus. Prævia tamen requiritur abjuratio hæreseos, secretò coram confessario peragenda, vel et palàm coram fidelibus (1), si scandalum sit reparandum ex publica hæreseos professione exortum.

Insuper notetur excommunicationem hæresi adnexam esse reservatam S. Pontifici, et quidem speciali modo, adeoque hujusmodi pœnitentem non posse absolvi a communi confessario, (præterquam in articulo mortis

(1) Si fieri nequit abjuratio publica, puta quia periculum est in mora, vel quia physicum ei obstat impedimentum « relinquet chirographum suæ abjurationis a se subscriptum; quodsi nec hoc fieri potest, committet confessario ut suam abjurationem fidelibus manifestet ». Konings *Comm. in facultates apost.* (Ed. Putzer 5a).

vel in casu urgentiori, sub nota clausula), nisi prævie obtenta facultate a Romana Sede aut ab Episcopo (1).

II/ Si vero agitur *de converso a secta hæretica vel schismatica*, cui a nativitate fuit adscriptus vel ad quam propria voluntate deflexit, vel et de alio quovis hæretico personaliter hæreseos damnato a judice ecclesiastico, intercedat oportet absolutio *pro foro externo*. Casus igitur est referendus ad Episcopum, qui « potest resipiscentem hæreticum, aut sponte coram se comparentem aut ad suum forum quoquo modo deductum, Ecclesiæ reconciliare et pro utroque foro absolvere a censura in quam propter hæresim incidit (2) » Ben. XIV, *De Syn. Diœc.*, l. IX, cap. IV, n. 3, collatis Litteris C. S. O. 7 Maii 1822 (*Collect. de Prop. Fide* n. 1688).

Antequam autem ad absolutionem procedatur investigandum est circa valorem baptismi a neo-converso olim recepti, qui baptismus nullo modo est habendus tanquam a priori invalidus nec etiam qua dubie validus, ex eo quod a ministro hæretico sit collatus, uti perspicue docet C. S. O., 20 Nov. 1878 : « In conversione hæreticorum, a quocumque loco vel a quacumque secta venerint, inquirendum est de validitate baptismi in hæresi suscepti ». (*Collect.* n. 661). Notum est enim ipsos hæreticos, etiam male sentientes de baptismo ejusque salutares effectus respuentes, posse valide administrare baptisma. (3)

Si directæ deficiant probationes pro vel contra validitatem baptismi, recurrendum est ad præsumptiones,

---

(1) Sub Form. III, art. 1°, conceditur Episcopis Belgii, ad quinquennium facultas « absolvendi ab hæresi et apostasia a fide et a schismate quoscumque etiam ecclesiasticos tam sæculares quam regulares... et hos in foro conscientiæ tantum ».

(2) Hanc censuram incurrisse hæreticus præsumitur *in foro externo*.

(3) Cfr. Decreta et Instructiones C. S. O. et C. de P. F. plurima apud *Collect.* nn. 648-651 et nn. 653-655 et signantnr lege Instr. C. de P. F. 23 Junii 1830 (n. 648) necnon Instr. C. S. O. 30 Junii 1833 (n. 650) in quibus principia stabiliuntur et praxis indigitatur.

potissimum desumendas ex indole sectæ a qua recesserit neo-conversus, quales exhibentur ab ipsa Congr. S. O., 1 Aug. 1883 (n. 662), necnon a Konings, in *Theol. Morali*, (ed. 3ª), n. 1264 sub III.

Pro diverso nunc instituti examinis exitu, triplex sit hypothesis:

*Hypothesis* 1ª : *Certo constat de baptismate eoque valido.*

Quo casu reconciliatio integra consistet in dicta absolutione a censuris pro foro externo impertita ab Episcopo vel clerico ad hoc deputato, quam præcedet abjuratio seu fidei professio (1), coram præfatis emittenda, simul et coram notario et duobus testibus, ad hunc actum specialiter requisitis. Cfr. decr. C. S. O. 25 Junii 1715 ad 1/ et 2/ (*Collect.* n. 1652) et 25 Julii 1815 (*Collect.* n. 1687). Modum autem procedendi in abjuratione seu professione recipienda et absolutione elargienda simul ac formulam adhibendam ulterius determinavit ipsa C. S. O. in responso directo ad Episc. Philadelphiæ, 20 Julii 1859 (2). Cfr. *Collect.* n. 1689 necnon *Librum manualem*, pro diœcesi Brugensi proxime in lucem edendum, p. 109 et seq. Censura nunc ita sublata, neo-conversum potest *a peccato* hæreseos absolvere quilibet confessarius.

---

(1) Juxta Litt. C. S. O. 8 Martii 1882 (n. 1680) ad quas provocat S. C. de P. F. in decreto 1 Junii 1885 (n. 1695) applicanda est « regula Albitii circa abjurationem secundum quam debet exigi a juvenibus habentibus ætatem 14 annorum sola professio fidei catholicæ ; a juvenibus vero qui jam transegerunt ætatem 14 annorum formalis abjuratio sectæ cui pertinuerunt. » (E textu italico translatum)

(2) Processus in præfato decreto descriptus cum formula subjuncta diversa a Formula quæ habetur in Bulla Pii IV, est processus in reconciliandis neo-conversis ab hæretica secta ordinarie sequendus. Propria tamen habetur formula adhibenda pro Orientalibus, illa nempe præscripta ab Urbano VIII quam abbreviatam approbavit C. S. O. 1890; et simul specialis formula pro græcis conversis præscripta a Gregorio XIII. Utraque exhibetur in *Collectanea*, in nota ad n. 1671, insertis inserendis juxta decr. C. de P. F. 16 Julii 1878 (n. 1671).

Juxta Konings (Ed. Putzer 5ª) « si ipse Episcopus reconciliationem perficit, pro lubitu servabit ordinem solemnem reconciliandi hæreticos, in Pontif. Rom., Part. III. » Cfr. De Becker, *De matrimonio*, p. 218 in nota.

*Hypothesis* 2ª : *Si baptismus dubii sit valoris*, nimirum « si pro temporum et locorum ratione, investigatione peractà, nihil sive pro validitate sive pro invaliditate detegatur aut adhuc probabile dubium de Baptismi validitate supersit, tunc sub conditione secreto baptizentur ». Ex jam citato decreto 20 Nov. 1878.

Cum autem « Baptismus est sub conditione iterandus, hoc ordine procedendum erit: a/ abjuratio seu fidei professio (cum subnexa absolutione a censuris pro foro externo). b/ Baptismus conditionatus c/ confessio sacramentalis cum absolutione conditionatà ». Ex decreto 20 Julii 1859 de quo supra.

Adverte tamen 1°/ Juxta decr. C. S. O. 2 Dec. 1874 (*Collect.* n. 957), conditionate baptizandi « poterunt ad majorem ecclesiasticæ functionis facilitatem, prius audiri sacramentaliter quoad eorum culparum accusationem; deinde post collationem baptismi sub conditione, confessarius, iterum reassumptis per summa capita cum pœnitente iis de quibus jam accusationem fecerit, absolvat sacramentaliter pariter sub conditione.

2°/ Baptismus conditionatus est *secreto* administrandus cum cæremoniis quidem sed non publicè et cum apparatu. Cfr. decr. jam relatum supra 20 Nov. 1878; item Feije, *De Imped. matr.*, nn. 461 et 470.

3°/ Quod spectat *confessionem*, ægre videtur negari posse obligatio eam peragendi, et quidem integram quoad omnia peccata post 1ᵐ baptismum commissa et nondum in confessione exposita et rite absoluta. (1) Equidem decretum 17 Junii 1715 decernens (n. 644): « Carolum (Wipperman) esse rebaptizandum sub conditione; et collato baptismo, ejus præteritæ vitæ peccata confiteatur et ab iis sub conditione absolvatur », in casu particulari est latum, sed nihil indicat ipsum non spe-

(1) Sane non sunt exponenda peccata ante primum baptisma, in adulta ætate susceptum, admissa, alterutra ablutione remissa, nec peccata jam confessa et rite absoluta, cum sint deleta per absolutionem si primum baptisma fuerit validum vel per alterum baptisma si 1ᵐ fuerit invalidum.

ctare nisi casum qui proponitur, eo vel magis quod a S. Congr. S. Officii oriatur. Insuper in sæpius jam citato decreto 1859, in quo norma præscribitur generalis reconciliandi hæreticos, simpliciter et absque commentario in praxim deducitur sententia obligationem affirmans. Præterea, 17 Dec. 1868, (n. 955) ab eadem Congr. expresse provocatur ad decr. 1715 et illud dandum esse decrevit in responsum ad quæstionem : « An debeat.... confessio sacramentalis a neo-conversis in Anglia exigi et an debeat esse integra ? ». Denique apud Konings, op. cit., p. LX, refertur rescriptum S. C. de P. F. 12 Julii 1869, Archiep. Quebecensi statuens ubique obligare responsum 1868. Contra quosdam igitur AA. uti Ballerini-Palm., V, 28; Bucceroni *Inst. Theol. Mor.*, II, n. 672 ; D'Annibale, III, n. 301 ; Genicot, II, n. 259, qui renuunt illis decretis vim agnoscere universalis legis, potius assentimur doctissimo Lehmk., II, 321, docenti : « non de particulari facto sed de causa ipsa in genere judicatum esse illudque (decretum) pro universali lege » esse habendum, (saltem in reconciliatione hæreticorum).

Attamen contra hunc hucusque ducem quem sequitur P. Van Gestel (*Studien*, 1897, II p. 478), opinamur obligationem a Romana Sede statutam, esse *mere ecclesiasticam*, citra quam stricto jure et *per se* integrum esset rebaptizando, quantumvis peccatori, confiteri vel non. Quinimo, si confitetur, censemus *jure divino* non requiri accusationem *integram* peccatorum mortalium de quibus quæritur; sed sufficere cujusque materiæ sufficientis clavibus subjectio ut valeat absolutio utque, hac mediante, peccata reliqua, si reapse non sint deleta, indirecte remittantur.

Revera a/ *quoad ipsam confessionem*, non videmus undenam potius hic esset ad illam obligandus quam neo-conversus de quo sub hypothesi 1ª, imo quam quilibet peccator, gravis peccati reus. E contra, ut elucebit ex b/.

b/ quoad *integritatem* confessionis, en qua ratione

sententiam nostram fulciamus: Baptisma nequit iterari conditionate nisi primum fuerit probabiliter invalidum; atque eo ipso novum probabiliter valet, et eadem cum probabilitate peccata abstergit omnia; ideoque præcise est sub conditione absolvendus neo-conversus.

Jam ergo nullum datur peccatum *certo* confitendum, nec potiori jure imponeretur *integra* illorum peccatorum confessio, sola inspecta lege divina, quam in casu peccati lethalis, probabiliter jam clavibus subjecti et absoluti (1). Cfr. supra, p. 75 et 76 hujus tomi.

Profecto suadendum est summopere, in casu peccati dubii, ut confessio eaque integra instituatur, utpote quæ omnibus est utilissima et potissimum neo-conversis, uti egregie exponitur ab Episcopis Angliæ in dubio adducto coram Supremo Tribunali Inquisitionis. Cfr. decr. C. S. O. 17 Dec. 1868, in extenso relatum apud *Nouv. Rev. theol.*, I, p. 212. Quæ omnia abunde sufficiunt ut Ecclesia positivo præcepto imponat confessionem de se et coram jure divino non necessariam sed perutilem summèque commendandam. Etenim, uti

(1) Nec ad rem esse videtur, ni fallimur, argumentum quo nititur prælaudatus Auctor, n. 321 et 322, quatenus nimirum dubie baptizatus maneat subjectus Ecclesiæ donec constet de invaliditate recepti sacramenti, adeoque obnoxius legibus in Ecclesia quocumque jure vigentibus, in specie legi divinæ confessionis integræ.

Non quæritur enim utrum noster neo-conversus sit subjectus legibus divinis et ecclesiasticis, cum de hoc ne dubium quidem possit moveri; conditionate namque iterato baptismo, olim dubie recepto, non tantum præsumitur sed certo certius est valide baptizatus sive in 1ª ablutione sive in altera. Post baptismum ergo sub conditione renovatum prorsus et indubie tenetur ad confitendum non minus quam cætera Ecclesiæ membra, idque jure divino quotiescumque et quousque dicto jure urget confessionis obligatio. Reducimur ergo prona via ad duplicem quæstionem jam solutam, utrum hîc, per se et vi præcepti divini, sit imponenda confessio, et, si peragatur, num requiratur accusatio peccatorum probabiliter jam remissorum sive per absolutionem sive per ablutionem sacramentalem. Argumentum Auctoris fortasse tangit controversiam possibilem circa obligationem confessionis post baptisma dubie validum et *ante conditionatam iterationem*, quæ controversia hic non agitur. Unice nempe mòvetur quæstio circa obligationem sacramentaliter confitendi pro neo-converso, olim dubie baptizato, *post ablutionem conditionate repetitam*.

docet Suarez, *De Censuris*, disp. 40, s. 6ª, « necessarium non est ut id quod Pontifex statuit ac præcipit, per se esset necessarium vi solius juris naturalis (vel divini); nam sæpe lex positiva statuit aliquid ex prudentiali ratione quæ per se sola non induceret necessitatem, est autem sufficiens ad statuendam legem quæ necessitatem imponat ». Lege integrum textum citatum apud Boucquillon, *Theol. mor. fundam.* (Ed. 2ª), in nota ad n. 285.

Ratio igitur quæ excusat a gravi præcepto *ecclesiastico*, sufficeret ut neo-conversus conditionate rebaptizatus omittat confessionem sacramentalem, vel non integram instituat.

*Hypothesis 3ª:* « Si compertum fuerit... *nulliter collatum fuisse* (baptismum), baptizandi erunt absolute » (decr. 1878) et « si baptismus absolute conferatur, nulla requiritur abjuratio nec absolutio eo quod omnia abluit sacramentum regenerationis ». (decr. 1859).

A. D. S.

## IV

Q. *Da notionem Transsubstantiationis.*

*Respondet* ipsum Conc. Trid., ss. VIII, can. 2: in quo definitur transsubstantiatio: « conversio totius substantiæ panis in Corpus, et totius substantiæ vini in Sanguinem (Christi Domini), remanentibus dumtaxat speciebus panis et vini ».

Est A/ *Conversio*. Conversio a philosophis dicitur « mutatio unius rei in aliam ». Ex quo communiter deducunt duo omnino requiri elementa quibus illa notio perficiatur: 1º/ duplicem terminum positivum: unum a quo et alterum ad quem (1), 2º/ ordinem et connexionem

(1) Cfr. Schiffini, *Principia philosophica*, I, n. 623: « Uterque (terminus) dicitur *totalis* si spectetur tota res, quæ vel in quam desinit esse; *formalis* autem, si consideretur tantum id, secundum quod una res desinit, alia vero incipit esse. Exemplo sit conversio panis in carnem. Panis est terminus totalis a quo, caro terminus totalis ad quem: forma autem panis et carnis constituunt terminum conversionis formalem, illa a quo, hæc ad quem ».

inter desitionem termini a quo et positionem termini ad quem.

Nota in conversionibus naturalibus dari aliquid utrique termino commune quod munus obit subjecti, in quo fiat conversio seu in quo unus terminus formalis succedit alteri. Ad rationem autem conversionis, abstracte sumptæ, non videtur requiri quod remaneat aliquid idem, non dico qua subjectum, sed etiam quo cumque titulo. Absolvitur nempe conversio transitu unius rei in aliam.

Applicando hanc notionem 1°, haud ægre inveniemus in SS. Sacramento, *terminum duplicem*, *utrumque positivum:* nempe panem qui, spectatus quoad substantiam et accidentia, est terminus *a quo totalis;* quoad substantiam tantum, est terminus a quo *formalis;* ex alia parte Corpus et Sanguinem Domini, quæ constituunt terminum ad quem formalem, si sola in se attendantur; *totalem* vero si simul considerentur cum speciebus remanentibus, cum quibus constituunt unum quid sacramentale.

2°, Datur et *connexio* inter desitionem panis et successionem Corporis Christi, et quidem non merus ordo temporis sed vere realis nexus objectivus, quatenus cessatio panis ordinatur ad hoc ut succedat Corpus Christi. (1) Unde dogmati catholico non facit satis ille

(1) Non parum confert ad penitiorem intellectum transsubstantiationis intimior notio de indole dictæ connexionis, utpote quæ est elementum formale conversionis. Alii nimirum agnoscunt quidem ordinem inter desitionem substantiæ panis et positionem Corporis Christi, sed ordinem mere *extrinsecum* tantum, puta « ex fine seu intentione operantis, nolentis ponere unum nisi destruendo aliud » et nolentis destruere hoc nisi ut ipsius loco subrogetur illud. Lugo, disp. VII, n. 6. Quo pacto duplicem introducunt actionem divinam, terminative spectatam : unam quæ terminatur in cessationem substantiæ panis et alteram in adductionem Corporis Christi, (Juxta De Lugo, l. c. n. 28 et 89 et seq.) vel in reproductionem aut replicationem (juxta Lessium et alios.)

Alii, et melius, ut nobis videtur, vindicant nexum *immediatum et intrinsecum*, adeo ut ipsa cessatio substantiæ panis sit ipsa successio Corporis Christi, quemadmodum in naturalibus (salvis differentiis mox indicandis) corruptio unius est generatio alterius. Ideo nempe desinit substantia panis quia transit in Corpus Christi et ideo adest Corpus Christi, *proximissime*

qui confitetur veram et realem præsentiam Christi sub speciebus eucharisticis, et simul absentiam totius substantiæ panis et vini: deest namque essentiale elementum connexionis conversivæ inter absentiam unius et præsentiam alterius. Cfr. Pii VI Bullam: « *Auctorem fidei.* »

B/ Dicitur: « Conversio *totius substantiæ* ». Et ita seponitur omnis conversio *accidentalis*, qua panis mutaretur quoad accidentia dumtaxat; item excluditur conversio illa *substantialis*, quæ sit solum *formalis*, qua panis remaneret quoad elementum materiale, sola mutata forma substantiali, vel quæ sit solum *materialis*, si daretur, qua forma remanens diversam informaret materiam. Habetur hic conversio quoad utrumque elementum substantiale, materiale nempe et formale, aliis verbis omne quod est entitatis in substantia panis transit in id quod est entitatis in Corpore Christi Domini.

C/ *Remanentibus speciebus*. Nimirum *sola* substantia panis convertitur, minime vero accidentia, quæ separata a substantia cui correspondent, miraculose conservantur absque subjecto inhæsionis (1).

Qua breviori notionis analysi jam sufficienter innotescit quo summo jure *mirabilis et singularis* a Trid. proclametur illa conversio quam stupentes miramur in hoc divino Sacramento. Vere inenarrabilis conversio et singularis prorsus naturæ præ conversione quacumque nobis nota!

---

*et immediate*, non quia reproducitur vel adducitur, sed quia in Ipsum tota quanta convertitur substantia panis, remanentibus speciebus. Et hac ratione unica datur indistincta actio omnipotentis Dei, quæ terminatur in solum panem, traducens id quod est entitatis in ejus substantia, in illud quod est entiatis in Corpore Christi, quin actio illa divina *immediate* attingat ipsum Christum, quem adducat vel replicet. Qui plura desiderat, adeat Billot de hisce subtiliter disserentem, *De Sacramentis*, I pp. 305-339 et 367-401. Cfr et Franzelin, *De Eucharistia*, thesi. XIII; Lahousse, *De Eucharistia*, n. 36 et Pesch. l. c., n. 686 cum nota, priorem sententiam referentes.

(1) Remanentes hæ species quæ constituunt quid commune utrique termino conversionis, etsi ad hujus formalem rationem non necessarium, efficiunt ut post conversionem aliquatenus designari possit terminus a quo et dici: « sub illis accidentibus, quibus præsens est nunc Christus, prius aderat panis ». Cfr. Pesch, *Tract. dogmatici*, VI, n. 688.

Fundamentalis et *prima differentia* est in eo quod terminus a quo transit in terminum ad quem quoad substantiam *totam quantam,* dum conversio inter naturales præcellentior non pertingit nisi ad immutationem formæ. — Unde S. Thomas IV Sent, dist. XI, qu. 1ª, art. 3, sol. 1ª ait: « differt in hoc quod usque ad materiam pertingit, quod in illis non invenitur ». Et ex hoc jam probatur Transsubstantiatio eminenter supernaturalis, quod egregie ostendit S. Thom., III P., qu. 75, a. 4. (1)

*Altera differentia,* ex priori tanquam e fonte defluens, est in eo « quod in naturalibus conversionibus, convertitur totum in totum, non autem partes essentiales in partes ». Sic vinum fit acetum, forma aceti succedente formæ vini, sed ipsa forma vini non convertitur in formam aceti; forma aceti, via corruptionis et generationis, succedit formæ vini, quatenus e potentia educitur materiæ. « Sed hic et totum convertitur in totum, quia panis fit Corpus Christi; et partes etiam convertuntur, quia materia panis fit materia Corporis Christi et forma substantialis similiter fit illa forma quæ est Corpus Christi ». Et en secundam formalitatem, quæ postulat interventum Causæ Increatæ, quatenus debeat attingi ipsa formæ et materiæ entitas in se, quæ est extra ambitum agentis finiti. (2)

---

(1) « Manifestum est enim quod omne agens agit in quantum est actu. Quodlibet autem agens creatum est determinatum in suo actu, cum sit determinati generis et speciei: et ideo cujuslibet agentis creati actio fertur super aliquem determinatum actum, determinatio autem cujuslibet rei in esse actuali est per ejus formam; unde nullum agens naturale seu creatum potest agere, nisi ad immutationem formæ, et propter hoc omnis conversio, quæ fit secundum leges naturæ, est formalis ». Cfr. in IV Sent., l. c.

(2) « Dicendum, quod virtute agentis finiti non potest forma in formam mutari, nec materia in materiam: sed virtute agentis infiniti, quod habet actionem in totum ens, potest talis conversio fieri: quia utrique formæ et utrique materiæ est communis natura entis; et id quod est entitatis in una, potest Auctor entis convertere in id quod est entitatis in altera, sublato eo, per quod ab illa distinguebatur ». S. Thom., III P., qu. 75, art. 4º, ad 3m.

*Tertia differentia* reperitur in hoc quod « in naturalibus conversionibus transmutatur et id quod convertitur et id in quod convertitur. Illud quidem quod in alterum convertitur semper transmutatur corruptione; sed illud in quod aliquid naturaliter convertitur, si quidem sit simplex conversio, transmutatur per generationem,... Si autem sit conversio cum additione ad alterum præexistens, illud cui additur transmutatur secundum augmentum, vel saltem per restaurationem deperditi, sicut accidit in nutrimento. Sed hic, illud in quod fit conversio erat præexistens, et non ei additur; quia, ut dictum est, illud quod convertitur, convertitur in ipsum, et secundum totum et secundum omnes partes ejus; unde hoc in quod terminatur conversio, nullo modo transmutatur, scilicet Corpus Christi, sed solum panis qui convertitur ». S. Thom., in IV Sent., l. c.

A. D. S.

V

Q. *Præsupposito sensu proprio verborum Institutionis* « hoc est enim Corpus meum... », *ex ipsis erue conversionem fieri totius substantiæ panis et vini in Corpus et Sanguinem Christi.*

R. A/ Eruitur *conversio substantiæ panis in Corpus Christi* (et pari ratione vini in Sanguinem), seu præsentia Corporis Christi et absentia panis cum connexione conversiva inter utrumque terminum.

Et revera 1°/ si verba Institutionis sunt sumenda in sensu obvio et proprio, uti supponitur, directe concluditur *ad præsentiam realem Christi.* Veritas namque propositionis, hac finita, exigit identitatem subjecti cum attributo, adeoque, si subjectum est pronomen demonstrativum, oportet ut, in fine propositionis, demonstret præsens illud quod significatur in prædicato.

2°/ *Desinit adesse panis.* Ratio est quod, si præsens

remaneret panis, non posset per verbum *hoc* demonstrari Corpus Christi, quod esset contra 1m. Revera pronomen demonstrativum designat substantiam cum ordine ad accidentia et ideo, quamdiu manet substantia propria accidentibus correspondens, tamdiu designatur hæc sub illis accidentibus præsens. Manentibus igitur speciebus panis, si substantia panis perseveraret esse præsens, necessario ipsam designaret pronomen *hoc*. Nec simultanee possunt designari Corpus Christi simul et panis, ad modum quo ostendendo lagenam quæ continet vinum vere dici queat: « hoc est vinum », quin lagena esse desinat. Nam hoc non sustinetur nisi quando objectum designatur quod natura sua vel ex communi usu sit natum ad aliud continendum. Panem autem destinari ad continendum Christum superfluum est negare. [illegible]

3°/ Nec præsentia Christi et absentia panis mere concomitanter sese habent sed *reali nexu connectuntur inter se*. Initio namque propositionis, *hoc* demonstrat panem et fmiente propositione designat Corpus Christi et quidem ita ut desinat adesse panis; unde vi ipsius propositionis consecrativæ succedit Corpus Dominicum substantiæ panis. Imo in ipsa formula indigitatur nexus *intrinsecus et immediatus*, juxta dicta p. 149 in nota, quatenus ipsa desitio panis sit ipsa successio Corporis Christi. Obviæ enim analysi subjecta propositio non valet: « *hic* jam non est panis sed Corpus Christi » at: « *hoc* quod erat panis nunc est Corpus Christi ». Ad cujus veritatem non sufficit successio *extrinsece tantum* coordinata, ita nempe ut distincta actione destruatur panis et præsens adducatur vel reproducatur Christus. Requiritur autem ut Christus sistatur præsens sub speciebus per ipsam desitionem panis et versa vice, una scilicet individua et indistincta actione.

B/ Eruitur conversio *totius* substantiæ panis, contra Durandum docentem panem transire in Corpus Christi quoad solam formam. Contra quem optime facit argu-

mentum S. Thom., in IV Sent., dist. VI, qu. I, art. 1°, sol. 3ia: « In qualibet transmutatione vel conversione terminus a quo est ejusdem generis cum termino ad quem. Illud autem ad quod terminatur conversio non est forma tantum neque materia tantum sed substantia existens in actu... » Ergo « oportet quod illud quod convertitur in Corpus Christi, sit etiam substantia composita » et non forma tantum.

Vis argumenti est in eo quod conversio fiat in substantiam *præexistentem actu* et non tantum potentia, adeoque quæ succedere debet termino a quo *qualis et quanta est* et non quoad solam formam. Mutatio formæ utique sufficeret ad veritatem propositionis, si prædicatum esset substantia de novo generanda, v. gr. si Christus designando panem dixisset: « hoc (vel hæc) est caro ».

*Corrol.* Ex præcedentibus sufficienter patet quantopere contradicant dogmati sententiæ erroneæ (præter jam repudiatam opinionem Durandi) quæ referuntur apud Lahousse, l. c., n. 36.

A. D. S.

VI

Q. *Quid requiritur ex parte* delicti *ad censuras incurrendas?*

R. Censuræ, prout communiter feruntur, infligi non possunt, nec incurruntur, nisi propter *peccatum grave, externum, in sua specie consummatum, et conjunctum cum contumacia.*

Dicitur 1° *Peccatum;* censura enim est pœna, quæ necessario supponit culpam.

2° *Grave* seu mortale; quia censuræ, prout communiter feruntur, pœnæ gravissimæ sunt ac proinde improportionatæ ad culpam levem. Quare, nisi fortassis ageretur de levi aliqua censura, v. g. de suspensione ab uno actu electionis, a Missa per unum alterumque

diem celebranda, etc., quæ propter leve delictum infligi posset (quod fieri tamen non solet); invalida foret censura ob culpam tantum levem imposita.

Quoties igitur deficit gravitas delicti, censura non incurritur; et quidquid a gravi peccato delinquentem excusat, levitas scilicet materia vel imperfectio actus, id etiam a censura eum eximit.

Notandum insuper est quod, licet ad infligendas censuras quodcumque mortale peccatum sufficiat, eæ tamen non sunt ferendæ nisi propter delicta graviora; sobrie enim magnaque circumspectione iis utendum est. Cf. Conc. Trid., *Sess.* XXV, cap. 3, *De ref.;* Ben. XIV, *De syn.*, L. X, cap. 1, n. 2 ss.; *Collect. S. C. de Prop. Fide*, n. 2146.

3° *Externum.* Quamquam enim a *potestate* Ecclesiæ alienum nullatenus videatur ut culpam mere internam pœna latæ sententiæ puniat, practice tamen seu in præsenti Ecclesiæ disciplina, peccatum mere internum non sufficit ad censuram incurrendam. At cave, ne confundas peccatum mere internum cum peccato plene occulto, cujus solus reus conscius est. Hujusmodi enim delicta Ecclesia et potest certissime punire, et re ipsa punit, v. g. hæresim occulte, sine ullo teste, ore prolatam. Requiritur autem ut peccatum, quod censura puniatur, non tantum quoad actum internum, sed etiam quoad substantiam actus externi grave sit, seu ut tanquam grave se externe manifestet. Hinc, licet quis interius in hæresim consentiat, censuram non incurrit si eam exterius non sufficienter manifestet; pariter excommunicatione non innodatur ille qui in levi materia legit librum cujus lectio sub censura prohibita sit, etiamsi ille pravo suo proposito mortaliter peccaverit.

4° *In sua specie consummatum;* hoc est, « completum in suo genere secundum proprietatem verborum, quæ in præcepto seu lege infligente censuram continentur... Ratio est, quia leges pœnales stricte, et proprie accipiendæ sunt ». Schmalzg., L. V, tit. 39, n. 64.

Proinde, si verba legis denotant sub censura prohiberi *ultimum* actionis peccaminosæ *effectum*, quocumque modo effectus ille impeditus fuerit, pœna non incurritur. Hinc, si homicida excommunicetur, non incurrit censuram qui solum percussit, vel vulneravit, vel etiam venenum mortiferum propinavit, si utcumque mors secuta non fuerit.

Contra vero, si verba legis significant ad censuram non requiri ultimum actionis seu criminis effectum, sed *ipsam actionem* vel conatum sub censura prohiberi, sufficit actionem posuisse, ut pœna incurratur. Sic, ad duellum provocantes aut illud acceptantes sunt ipso facto excommunicati, quamvis non sequatur conflictus.

Hinc et illud consectarium, nempe censuram quæ lata est adversus committentem aliquod crimen, non afficere *mandantes* vel *consulentes* illud committi, nisi in lege vel præcepto hoc expressum habeatur, aut secus lex inutilis ferme et frustranea redderetur. Si vero censura expresse etiam contra ipsos lata est, eam non incurrunt effectu nondum secuto, nisi principaliter et præcise propter mandatum vel consilium lata fuerit. Hinc, seposito hoc casu, mandantes vel consulentes a censura immunes sunt, si mandatum vel consilium suum ante executionem efficaciter retractaverint, ita ut mandatum vel consilium causa moralis operis prudenter præsumi nequeat. Quinimo, juxta probabilem sententiam, iidem tunc etiam a censura liberi sunt, si revocaverint quidem mandatum vel consilium suum, quantum potuerunt, sed revocatio scopum non attigerit, sive quia mandatario vel consiliario notificari non potuit, sive quia rationes ad consilium vel mandatum revocandum inefficaces fuerunt et, revocatione non obstante, mandatarius vel consiliarius in prava sua voluntate perseveravit. Cf. Schmalzg., *l. c.*, n. 69 ss.; Theol. Mechl., *De censuris*, N. 5, q. 7; Ball.-Palm., *Opus theol. morale*, ed. 1ª, T. VII, n. 138 ss.; Lehmkuhl, *Theol. mor.*, ed. 9ª, T. II, n. 868.

5° *Et conjunctum cum contumacia*, sensu jam explicato. Cf. *Collationes*, T. III, p. 626.

Ob requisitam contumaciam, censuræ obnoxium non est peccatum contra jus naturale aut divinum, nisi quatenus sit simul prohibitum lege ecclesiastica. Censura est pœna inobedientiæ, contemptus et contumaciæ contra potestatem ecclesiasticam.

Hinc pariter deducitur censuram *proprie dictam* non posse infligi propter peccatum *mere* seu *prorsus præteritum*, quod scilicet neque in effectu suo perdurat, neque satisfactione vel reparatione indiget, ideoque cum inobedientia seu contumacia præsente non est conjunctum. Ratio est, quia censuræ, tamquam pœnæ medicinales, ideo introductæ sunt ut suæ gravitatis horrore a peccato committendo et a contumaci inobedientia absterreant delinquentes; tales autem non forent, si in solius delicti perpetrati pœnam, resipiscenti et satisfactionem debitam præstare parato, infligerentur. Si vero delictum *adhuc pendet*, ut aiunt, vel quia nondum ad finem perductum est, vel quia effectus malos producere pergit, vel satisfactione seu reparatione opus est, delinquens, ut desistat aut reparet, censura urgeri potest. Cæterum, pro delicto etiam mere præterito, quominus suspensio vel interdictum aliquando per modum *pœnæ vindicativæ* infligatur, nihil vetat.

C. V. C.

# Evangelia Dominicarum

## Dom. VII post Pentec.

—

*De falsis prophetis, ac de facienda voluntate Dei.*
Matth. VII, 15-21.

***

Te dien tijde zei Jesus tot zijne leerlingen : 15 Zwicht u van de valsche profeten, die in schaapskleederen tot u komen, maar inwendig roofzuchtige wolven zijn. 16 Aan hunne vruchten zult gij ze kennen : plukt men wel druiven van doornen, of vijgen van distels? 17 Alzóó brengt alle goede boom goede vruchten voort ; maar de slechte boom brengt slechte vruchten voort. 18 Een goede boom en kan geene slechte vruchten voortbrengen, noch een slechte boom goede vruchten voortbrengen. 19 Alle boom, die geene goede vruchten voort en brengt, zal uitgehouwen en in het vier geworpen worden. 20 Aan hunne vruchten dan zult gij ze kennen.

21 Niet eeniegelijk, die tot mij zegt : Heere, Heere ! zal ingaan in het Rijk der Hemelen ; maar die den wil doet mijns Vaders, die in den hemel is, deze zal ingaan in het Rijk der Hemelen.

***

### A. De falsis prophetis.

1. *Quid sunt falsi prophetæ?*

« Falsi prophetæ sunt falsi doctores, sive illi hæretici sint, sive gentiles et pagani, sive alii quilibet, qui nos ab arcta et recta salutis via (Matth. VII, 13, 14) in latam et perversam sollicitant ; quare similes sunt lupis oves laniantibus et devorantibus » a Lapide.

2. *Quid sunt extrinsecus?*

« *Veniunt* ex seipsis, legitimè non missi : de qualibus

Jerem. 23, v. 21 : *Non mittebam Prophetas, et ipsi currebant. Ad vos*, ut doceant vos viam ad vitam. *In vestimentis ovium*, induti speciem ovium, id est, mentientes ovinam fraudisque nesciam simplicitatem : ovis enim animal est simplex et fraudis nescium. Vestimenta igitur ovium sunt ea omnia, quæ, cùm sint propriè ovium, suadeant hominibus oves eos esse qui venerint ; quæ si sola spectes, oves esse dicas, id est, sinceros et à fraude alienos, Apostolos Christi, ministros justitiæ, qui viam Dei in veritate doceant, 2 Cor. 11 v. 13, 15. Hujusmodi vestimenta sunt, perpetua verbi Dei et Evangelii inclamatio, densissima Scripturarum citatio, mansuetudo, blandiloquium, sanctimoniæ species, etc. » Luc. Brug. Cf. II Cor. XI, 13-15.

3. *Quid sunt intrinsecus?*

« *Intrinsecus*, animo, *sunt lupi rapaces*, operarii subdoli, qui nihil aliud quærunt quàm suo servire ventri (Actor. 20, v. 29. 2 Cor. 11 v. 13. Rom. 16 v. 18) et suum facere compendium, idque dispendio, morte, miseroque interitu vestro, quos à via ad vitam abductos præcipitent in exitium æternum » Luc. Brug.

4. *Quomodo dignoscuntur?*

« Facilè deprehendi poterunt ex aliquibus eorum fructibus, quanquam non ex omnibus fructibus. Sunt autem fructus eorum ex quibus cognosci possunt duplices, nempe *doctrina et opera*. Et quidem *ex doctrina* eorum nonnunquam apertissime cognoscuntur, videlicet cùm manifestè contraria doctrinæ veritatis prædicant. Unde Joannes hoc indicio docet cognoscere pseudoprophetas, dicens : *Charissimi... ex Deo non est* (1 Jo. IV, 1-3). Sic et nobis semper videndum cùm novus aliquis prædicator exurgit, qui nova aliqua inculcat, num illius doctrina conveniat cum recepta veritatis doctrina, ad quam tanquam ad Lydium lapidem omnium doctrina examinari et probari debet... Alii autem fructus per quos cognosci possunt non esse ex Deo, sunt *opera exteriora*. Nam quantumvis simulent et dissimulent,

tamen alicubi produnt, se spiritu divino esse destitutos, dum si quis vitam et mores eorum attentius observet, reperiet illos sibi placentes, gloriæ sitientes; assentatores, invidos, maledicos et obtrectatores, nonnunquam et ventri deditos, et suis temporalibus commodis servientes, et omnino suum negotium agentes potiùs quam veritatis. Hujusmodi enim notis fere notantur in Scripturis (Vide Rom. XVI, 17, 18; Gal. VI, 12, 13; Phil. III, 18, 19; I Timoth. IV, 1, 2; Tit. I, 11; II Petr. II)... Cum autem pseudoprophetæ et ex doctrina, et ex operibus suis cognosci possint, aliquando quidem apertius eos prodit doctrina, ut quando apertè Evangelio contraria, et manifestè impia docent: aliquando verò ipsa opera doctrinæ eorum falsitatem declarant apertius, ut cùm talia docent, quorum falsitas non ita facilè a quovis advertit possit. Itaque si eorum doctrina et opera exactè perpendantur, aut doctrina condemnabit eorum opera, quantumvis in speciem bona, aut opera condemnabunt eorum doctrinam, quantumvis in speciem veram » Jans. Gand.

5. *Quo sensu non potest arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere?*

Secundum Augustinum, per arborem bonam, voluntas bona est intelligenda; per arborem malam, voluntas mala. Jam manifestum est, bonam hominis voluntatem mala non facere, nec contrà malam voluntatem bona facere.

Juxta Luc. Brug. « Neque potest Propheta verus, malos prædicatione sua fructus gignere; neque falsus bonos, quatenus falsum prædicat. »

Longè melius Beelen censet arbores malas esse falsæ doctrinæ magistros, eorumque fructus esse opera quæ ipsi faciunt secundùm hanc suam doctrinam: hoc sensu profectò non potest arbor mala nisi malos fructus facere, et arbor bona, non nisi bonos.

Optime tamen fortasse Jans. Gand. « Per hoc quod hîc dicit Dominus: *Non potest* etc., quod simpliciter et

absolute verum est de arboribus veris de quibus ad litteram est sermo, non est intelligendum, Dominum voluisse significare, ita etiam hominem bonum nunquam facere, aut non posse facere malos fructus, malum quoque nunquam facere, aut non posse facere bonos fructus, sed tantum significare voluisse, non posse fieri, ut hominis boni fructus omnes vel plures et potiores sint mali, sed contra potius debere ejus fructus omnes vel plures et potiores esse bonos. Et similiter non posse fieri, quin hominis mali omnes vel plures et potiores fructus sint mali, ita ut facile sit, saltem ex quibusdam fructibus ejus dignoscere falsitatem, et malitiam ejus, quantumvis eam conetur tegere virtutum speciebus... Non hic à Domino datur signum ex quo dignosci possunt omnes veri doctores, sed tantum quo prophetæ possunt dignosci, veri sint, an falsi, hoc est, qui se venditant Spiritu Sancto afflatos, ex quo nova quædam et inaudita proferunt. Unde hæc non pertinent ad eos prædicatores qui non se tanquam Spiritu Sancto afflatos exhibent, sed tantùm tanquam discipulos Ecclesiæ, ea docentes quæ lectione, studio et auditu ab Ecclesia didicerunt, qui an veri an falsi sunt, non ex eorum vita deprehenditur, sed ex regula, et doctrina Ecclesiastica ».

6. *Quænam erit sors falsorum prophetarum?*

*Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur.* Cf. Matth. III, 10. « Qua sententia simul consolari voluit eos qui a malis arboribus divexantur, et exterrere eos qui malis arboribus sunt similes » Jans. Gand. — « *Quorum finis erit secundum opera ipsorum* » II Cor. XI, 15. « *Superducentes sibi celerem perditionem* » II Petr. II, 1.

## B. De facienda voluntate Dei.

*Non omnis qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum: sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum.* Ad salutem

igitur non sufficit fides. Imo: *Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo dæmonia ejecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis: Quia nunquam novi vos: discedite a me, qui operamini iniquitatem.* Matth. VII, 22, 23. Cf. I Cor. XIII, 1-3: *Si linguis hominum... nihil prodest;* et ad Gal. V, 6: *In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium: sed fides, quæ per charitatem operatur;* necnon Jac. I, 22-25; II, 14-26; I Jo. III, 14.

## Conclusio

1. Cum igitur cognoscamus indolem, criterium, scopum et exitum falsorum prophetarum, ab iis sedulo caveamus, ne simul cum iis in æternum pereamus.

*Non audies verba prophetæ illius aut somniatoris: quia tentat vos Dominus Deus vester, ut palam fiat utrum diligatis eum an non, in toto corde, et in tota anima vestra. Dominum Deum vestrum sequimini, et ipsum timete, et mandata illius custodite, et audite vocem ejus: ipsi servietis, et ipsi adhærebitis.* Deut. XIII, 3, 4.

2. Humiliter et constanter sequamur doctrinam ac ductum legitimorum ac genuinorum fidei doctorum.

3. Fideliter observemus Dei mandata, neque vel in uno offendamus, ne secus frustra crediderimus, et in vacuum laboraverimus... (Cf. loca citata sub B).

G. V. D. P.

# Ordo Missæ

SEU

## precum et ceremoniarum Missæ interpretatio

—

*(Sequitur. — Cfr. suprà pag. 97.)*

—

Jam intimo sensu fiduciæ recreatus repetit sacerdos: *Introibo..... meam;* sed statim confitetur, non propriis meritis, sed unice gratiæ Omnipotentis Dei hanc suam confidentiam inniti: *Adjutorium..... terram;* et hæc dicens sese signat signo crucis, quo significat se per merita passionis et mortis J. Ch. ad tantæ gratiæ spem moveri.

4. At mox sacerdos recordatus quia solus *innocens manibus et mundus corde* potest *stare in loco sancto* (Ps. XXIII) et ibidem personam gerere *Pontificis magni, innocentis, impolluti, a peccatoribus segregati et ipsis cœlis exselsioris* (*Hebr.* VII), atque conscius conditionis suæ quà peccator est ac multarum culparum et negligentiarum reus, ante omnia Deo offerre studet sacrificium cordis contriti et humiliati, quo purificetur magis et fiat gratior oculis Dei totius puritatis ad quem accessurus est. Quapropter *junctis manibus*, supplicantium more, et *profunde inclinatus* quasi pondere peccatorum suorum ac totius mundi onustus et depressus, *confitetur adversum se injustiam suam Domino* (ps. XXXI), dicens: *Confiteor Deo Omnipotenti* etc. Circa hanc confessionem, observetur:

*a*) Fit non tantum Deo, sed et B. Mariæ Virgini et omnibus Sanctis, inprimis quia offensa Deo per peccatum irrogata tangit quoque Dei amicos et aulicos i. e. sanctos, qui ceteroquin *judicabunt nationes* et contra peccatores in die extremo consurgent *ut faciant in eis judicium constrictum* (ps. 149); dein ut Sancti precibus

suis a Domino impetrent misericordiam ac veniam; et hæc ratio etiam valet respectu adstantium, coram quibus pariter sese humiliat sacerdos (*et vobis, fratres,*) et quos simul cum Sanctis precatur *ut orent pro ipso ad Dominum, Deum nostrum.*

*b/* Dum sacerdos dicit *mea culpa* etc. manu dextra ter percutit pectus, ad exemplum Publicani (de quo apud Luc. XVIII 13), qui *percutiebat pectus suum dicens: Deus, propitius esto mihi peccatori;* ad quem locum apposite observat Cornel. a Lap.: « Tunsio pectoris 1/ symbolum est *confessionis* peccati, quod scilicet confitens fateatur peccati sui causam non esse aliam quam cor, appetitum et voluntatem suam in pectore latentem; 2/ eadem est symbolum *contritionis:* indicat enim cor esse contusum et contritum; 3/ eadem symbolum est *satisfactionis et vindictæ:* percutit enim pectus, ut illud reum affligat et puniat ».

*c/* Liceat addere monitum piissimi Dionysii Carthusiani (1): « Debet confessionem ante altare cum magna attentione facere sacerdos, non ex consuetudine arida, ut exterior humiliatio corporis et tunsio peccatoris vera sint signa interioris humiliationis atque mentalis redargutionis suiipsius. Debet etiam cordialiter affectare ut alii orent pro se, et per preces aliorum auxilium sibi affuturum sperare, pie atque humiliter credens alios meliores et apud Deum magis auditos quam se ».

5. Minister, populi fidelis vices gerens, petitioni sacerdotis obsecundat et orat pro eo, dicens: *Misereatur tui* etc.; deinde et ipse confessionem facit; qua peracta, ei reddit sacerdos reciprocas preces: *Misereatur vestri:* et sic ad litteram impletur mandatum S. Jacobi: « Confitemini alterutrum peccata vestra et orate pro invicem ut salvemini; multum enim valet deprecatio justi assidua » (2).

---

(1) *Expositio Missæ*, art. 7.
(2) Epist. S. Jac. V, 16.

6. Posthæc sacerdos rogat Dominum omnipotentem et misericordem, qui maxime miserando potentiam suam manifestat, cuique proprium est misereri semper et parcere, ut sibi et aliis omnibus *(nobis)* tribuat *indulgentiam*, *absolutionem* et *remissionem* peccatorum, quæ tria hic conjuncta denotant plenissimam veniam culpæ ac remissionem pœnæ : interim se signat signo crucis, rursus significans propter merita Christi Redemptoris, pro nobis peccatoribus in cruce passi et mortui, illam misericordiam sperari. Dein subjungit : *Deus tu conversus vivificabis nos* — Deus, per peccata nostra quodam modo a nobis *aversus*, per pœnitentiam nostram iterum ad nos *convertitur* nos prosequens gratia sua (1), quæ est *vitæ* nostræ spiritualis principium, et fons spiritualis *lætitiæ ;* quare additur : *et plebs tua lætabitur in te.* — *Ostende nobis, Domine misericordiam tuam, et salutare tuum da nobis :* hic autem *salutare* sensu accommodatitio intelligi potest Christus, sancta propitiationis victima, redemptio nostra et salus. — *Domine exaudi orationem meam,* et *clamor meus* (non oris sed mentis seu ardens cordis desiderium) *ad te veniat* i. e. tibi acceptus sit et exaudiatur. — *Dominus vobiscum :* hæc salutatio seu apprecatio pluries occurrit in veteri Testamento ; responsio verò : *et cum spiritu tuo*, videtur desumpta ex 2 Tim. IV, 22, ubi : *Dominus Jesus Christus sit cum spiritu tuo :* porro pluries in Missa, aliisque publicis officiis celebrans ac populus sibi invicem apprecari solent ut Dominus cum illis sit seu eorum spiritum cœlestibus suis benedictionibus repleat.

7. Tandem sacerdos recogitans sibi præ cæteris necessariam esse cordis puritatem, utpote qui propius ad Deum accessurus et manibus suis divinam oblaturus est victimam, speciatim pro se, in ascensu ad altare, rogat Deum ut cunctas ab ipso *auferat iniquitates,*

(1) Ita interpretamur versionem latinam ; at textus originalis hebraicus sic sonat : « Deus, *denuo* vivicabis nos, seu vitæ restitues ». Cfr. Beelen, *Inleiding tot het boek der psalmen*, sub IV.

quatenus ad *sancta sanctorum*, ad partem templi sacratissimam, quam populus adire nequit, ipse *puris mentibus* seu affectibus *introire mereatur* (1). Ut autem oratio sua efficacior evadat fulcit illam meritis Sanctorum, speciatim illorum quorum reliquiæ in altari sunt reconditæ: *Oramus..... peccata mea.* — Interim *osculatur altare*, in signum reverentiæ et amoris tum ergà Christum, per altare repræsentatum, tum ergà Sanctos, qui tanquam membra unius corporis mystici Christo capiti sunt uniti, quemadmodum eorum reliquiæ altari, Christi typo, sunt insertæ.

§ 2. *Instructiones et preces ab Introitu ad Offertorium.*

8. *Introitus* sic vocatur sive quia Missæ principium est, sive quia a choro canitur, cum sacerdos ad altare accedit (2). — Constat autem nonnullis psalmorum vel aliorum S. Scripturæ locorum versiculis (addito *Gloria Patri...*) qui cum plerumque ex libris Veteris Testamenti sunt desumpti, juxta plures graves auctores, nobis in memoriam revocant desideria et vota antiquorum Patriarcharum Messiæ adventum expectantium.

Hæc autem mystica explicatio plerisque missis in *proprio de tempore* contentis congrue adaptatur; minus tamen convenit missis de *communi* vel *proprio Sanctorum*, quarum introitus, ut plurimum, eis Scripturæ versiculis constat, quæ exprimunt Sanctorum qui celebrantur specialem characterem aut virtutem aut meritum.

9. Lecto Introitu, sacerdos redit ad medium altare, ibique recitat alternatim cum ministro *Kyrie eleison*, i. e. Domine, miserere; *Christe eleison; Kyrie eleison.*

(1) Dicimus sacerdotem hic *speciatim pro seipso* orare: non tamen videtur ab oratione sua excludere fideles adstantes, qui, si minus corpore, mente saltem et affectu cum ipso conjuncti ad altare Dei introire censentur; et hæc forsan ratio est cur ista oratio *pluralibus* locutionibus sit concepta (iniquitates *nostras* — introire *mereamur*): nisi dicatur cum Lebrun ideo pluralem numerum adhiberi, quia una cum celebrante, in missa solemni, ad altare ascendunt Diaconus et Subdiaconus.

(2) Bened. XIV op. cit., lib. II, cap. IV, n. 2.

Hic animadvertit S. Thomas: « Misericordia petitur dicendo: *Kyrie eleison*, ter quidem pro persona Patris, ter autem pro persona Filii, cum dicitur: *Christe eleison*, et ter pro persona Spiritus Sancti, cum subditur: *Kyrie eleison;* contra triplicem miseriam ignorantiæ, culpæ et pœnæ; vel ad significandum, quod omnes personæ sunt in se invicem » (1). Est hæc invocatio quasi gemitus et supplicatio hominis suam profundam miseriam agnoscentis atque in Dei misericordia infinita confidentis. Unde « constat cum quanta humilitate et affectione contritioneque cordis hæc sanctissima verba *Kyrie eleison* dicenda sunt, non cursorie, sed morose, quatenus presbyter omne genus peccati sibi indulgeri desideret, et tanto hæc verba ferventius dicat, quanto ea sæpius iterat. Nam et ideo sæpius iterantur, ut semper devotius explicentur ». (2)

10. Implorata iteratis vicibus miseratione divina, mox reminiscitur celebrans eximiæ misericordiæ quam fecit Deus populo suo, dando ei Filium suum in redemptorem; ac præ lætitia cordis intonat hymnum laudis et gratiarum actionis: *Gloria in excelsis Deo*. (3) Vocatur hymnus ille *angelicus*, quia prima ejus verba ab ipsis angelis fuerunt prolata, in nocte Nativitatis Domini. Illum incipiens sacerdos manus extendit et ad summos humeros erigit atque sub verbo *Deo* jungit: quo gestu apte exprimit quanto animi ardore ad cœlestia feratur, quasi volens ea arripere et amplecti; unde monet Jeremias: « Levemus corda nostra cum manibus ad Dominum in cœlos ». (4)

*(Sequitur.)*

H. V. D. B.

(1) 3 part. q. 83, art 4.

(2) Dion. Carthus. *op. cit.* art. 9.

(3) Quia hymnus est *lætitiæ*, omittitur in missa defunctorum ac dierum pœnitentiæ.

(4) Thren. III, 41. Cf. Lebrun, *op. cit.* in h. l. — Nota juxta rubricam, manus non esse levandas *ultra* humeros, ut modestia in gestu servetur atque motus incongrui vitentur.

# Du cautionnement des trésoriers des fabriques d'église.

*(Suite. — Voir ci-dessus, pag. 102)*

## III. Effets du cautionnement.

Le cautionnement a pour objet de procurer aux établissements publics une garantie de l'exécution des obligations qui incombent à leurs comptables, et de les mettre à l'abri contre les dommages et les pertes que la faute ou la négligence de ces préposés pourraient leur occasionner.

La manière dont ce but est réalisé est différente, d'après la nature du cautionnement constitué.

1° Lorsque le cautionnement a été fourni *en numéraire*, la fabrique d'église a *privilège* sur ce cautionnement, à concurrence du déficit constaté dans la caisse du trésorier.

Elle a également privilège sur les cautionnements fournis en *fonds publics*. Cela résulte des termes généraux de l'article 20, n. 8, de la loi du 16 Décembre 1851. En ce sens Giron, *ll. cc.*; de Corswarem, *ouv. cité*, n. 143; *contra* Bernimolin, *ouv. cité*, T. II, p. 150. — Wiliquet, *ouv. cité*, n. 1499, dit que « le cautionnement en fonds publics et valeurs diverses, confère un *droit de gage* (c. c. 2074, 2075), qui permet au créancier détenteur du gage, de se payer de préférence aux autres ».

En conséquence, la fabrique d'église a un droit de préférence sur les autres créanciers; et, dès que l'autorité administrative compétente a constaté le déficit et arrêté le *debet*, elle peut, sans autres formalités, faire arrêt sur les sommes ou les valeurs déposées, et se payer jusqu'à concurrence du déficit. Cf. Art. 201 et 202 de l'arr. roy. du 10 Déc. 1868.

2° Si le cautionnement consiste en *une inscription*

*hypothécaire*, la fabrique a *un droit réel* sur les immeubles hypothéqués, jusqu'à concurrence du montant du cautionnement; mais, pour procéder à l'expropriation, il faut observer les formalités ordinaires prescrites par le Code civil. L'expropriation a lieu en vertu d'une décision judiciaire; cependant l'autorité administrative est seule compétente pour constater le déficit et en arrêter le montant.

3° Enfin, pour la *caution personnelle*, les effets sont déterminés par les articles 2021 et suivants du Code civil.

La caution personnelle, même quand elle s'est obligée solidairement, ne participe pas au caractère public du trésorier. Elle ne peut donc être soumise aux règles d'exécution par voie parée, auxquelles le débiteur principal est sujet en sa qualité de comptable public.

Le recours contre la caution s'exercera par voie d'action ordinaire devant les tribunaux. Cf. *Revue communale*, 1890, p. 331; Wiliquet, *ouv. cité*, n. 1489.

## IV. Remboursement du cautionnement.

Le cautionnement doit durer aussi longtemps que dure la gestion; le remboursement ne doit en avoir lieu que lorsqu'il est constaté que le trésorier a rempli toutes ses obligations. Cette constatation doit résulter d'un *quitus* spécial délivré, après la cessation des fonctions du trésorier et l'apurement de sa gestion, par le conseil de fabrique, et approuvé par la Députation permanente.

Lors donc du décès ou de la sortie d'un trésorier, le bureau des marguilliers procède à la nomination de son successeur; et il est rendu au nouveau titulaire, par son prédécesseur ou les représentants de celui-ci, un *compte de clerc à maitre* (1) en présence du conseil de fabrique,

(1) Le *compte de clerc à maitre (slotrekening)* a pour base le reliquat ou le déficit du dernier compte annuel approuvé; il comprend ensuite toutes les recettes opérées et les dépenses soldées depuis ce dernier compte. Les sommes qui ont été inscrites en dépenses sous la rubrique: *Reprises*, et qui postérieurement seraient rentrées, doivent également y figurer.

qui se réunit, à cet effet, dans le mois du remplacement (art. 11 de la loi du 4 Mars 1870). Ce compte de clerc à maître, appuyé de toutes les pièces justificatives, est soumis à l'avis du conseil communal, et à l'approbation de la Députation permanente, qui l'examine et l'arrête définitivement (1). L'administration fabricienne prend ensuite une nouvelle résolution, mentionnant en termes formels que la gestion de l'ex-comptable est entièrement apurée, et accordant décharge au trésorier sortant ou à ses représentants, sauf approbation de la Députation permanente. Cette délibération est transmise, en double expédition, par la voie hiérarchique, à l'administration provinciale. L'approbation de la Députation obtenue, le cautionnement est libéré, et l'objet sur lequel il porte est dégrevé de toute affectation. (2)

---

Le compte de clerc à maître doit être appuyé de toutes les pièces justificatives qui sont régulièrement exigées à l'appui du compte annuel : mandats, quittances, etc.

Le compte est dressé en double expédition, et signé par le nouveau trésorier et par l'ancien ou par ses ayants droit.

(1) Bien que l'article 11 de la loi du 4 Mars 1870 ne parle que d'un *avis*, la jurisprudence administrative, et une pratique constante exigent que le compte de clerc à maître du trésorier de la fabrique soit soumis, comme ceux de tous les comptables, à l'*approbation* des autorités qui ont le contrôle de la comptabilité de l'établissement public dont il dépend. Le compte de gestion du trésorier doit donc être soumis à l'examen de la Députation permanente, avant que celle-ci ne donne son approbation au *quitus*. Dépêche minist. au Gouv. de la Fl. Occ., en date du 6 Septembre 1895. Cf. de Corswarem, *ouv. cité*, n. 244.

(2) Le conseil de fabrique peut, dans une même séance et par une délibération unique, arrêter le compte de clerc à maître, accorder décharge au trésorier, et autoriser le remboursement du cautionnement, le tout sous la réserve de l'approbation de la Députation permanente. La délibération accordant le *quitus* est fournie en double expédition, accompagnée du compte de fin de gestion appuyé de toutes les pièces justificatives.

Il a été décidé que, lorsqu'une fabrique d'église déclarée déchue, par application de l'art. 15 de la loi du 4 Mars 1870, refuse de fournir ces documents, et que, à raison de ce fait la Députation permanente refuse d'approuver le *quitus*, le trésorier ou ses héritiers ne peuvent obtenir la radiation des inscriptions hypothécaires prises pour garantir sa gestion, qu'en s'adressant aux tribunaux, conformément à l'art 95 de la loi du 16 Dec. 1851. Dép. min. du 12 Nov. 1892.

En conséquence, si la garantie a été fournie en *immeubles*, il est donné main levée par acte notarié, contenant en annexe le *quitus* approuvé par la Députation permanente; et, sur la remise de cet acte, le conservateur des hypothèques radie l'inscription hypothécaire qui a été prise en faveur de la fabrique.

Si le cautionnement consiste en *fonds publics*, l'intéressé qui a opéré le dépôt demande au Département des finances (à l'administration de la Trésorerie), soit directement, soit par l'intermédiaire de l'administration provinciale (1), la radiation de l'affectation qui grève l'inscription nominative. Cette radiation est consentie sur la représentation de l'extrait de l'inscription, ainsi que de l'autorisation de la Députation permanente, délivrée en vertu de l'arrêté royal du 22 Novembre 1875 sur le Service de la dette publique. (2)

La demande à présenter à la *Société du Crédit communal* à l'effet d'obtenir la radiation d'une affectation grevant une inscription au Grand livre de cette société, doit être justifiée par la production de l'extrait de l'inscription, et du *quitus* délivré avec l'approbation de la Députation permanente.

Pour ce qui concerne les *cautionnements en numéraire*, le remboursement en a lieu, sur mandat délivré par le Ministre des finances, en vertu de la délibération qui

(1) L'intéressé peut également recourir à l'intermédiaire de l'Agent du Trésor pour faire cette demande.

(2) Pour obtenir la radiation de l'affectation qui grève *une inscription nominative*, il n'est pas nécessaire de produire la délibération du conseil de fabrique qui accorde le *quitus* et l'arrêté de la Députation permanente qui l'approuve « Le Service de la Dette publique, qui d'ailleurs n'est pas régi par l'arrêté du 10 Déc. 1868, n'a point à connaître de ces pièces : lié dans les termes de l'affectation qui grève la rente nominative, il ne peut être tenu de se constituer juge de la valeur d'autres justifications que celle qui est stipulée, c'est-à-dire l'approbation formelle (lisez : autorisation) de la Députation permanente, puisque le transfert de la rente y est subordonné ». Lettre adressée par le Directeur général au nom du Ministre des finances au Gouverneur de la Flandre Occidentale, en date du 13 Avril 1896.

accorde le *quitus*, et de l'arrêté de la Députation permanente qui l'approuve (art. 195 de l'arr. roy. du 10 Déc. 1868); le certificat d'inscription doit aussi être reproduit.

Sur le vu de ces pièces, le Ministre mandate le remboursement, tant du capital que des intérêts, et envoie les mandats de restitution au Gouverneur, qui les transmet à l'intéressé. Celui-ci présente les mandats à l'Agent du Trésor, qui les fait acquitter par l'ayant droit, et y appose son *visa* portant bon à payer. Le montant des mandats, dûment acquittés et visés, est touché à la Banque nationale.

Ces mandats sont créés au nom du titulaire. En cas de décès de celui-ci, ses héritiers doivent justifier de leur qualité en produisant à l'Agent du Trésor chargé de viser les mandats: a/ un extrait de l'acte de l'état civil prouvant le décès de leur auteur; b/ une déclaration *ad hoc* délivrée, selon les cas, par un notaire ou par le juge de paix du domicile du défunt, contenant qu'il s'est assuré que les personnes qui réclament le payement sont seules en droit de toucher les sommes revenant au défunt, le tout conformément au décret du 18 Septembre 1806. Cette déclaration nommée, suivant les cas, *Certificat de propriété* ou *Acte de notoriété*, doit être conforme aux modèles annexés au décret de 1806. Voir Orban, *ouv. cité*, n. 693, p. 522 ss.

Nous terminons cette étude par une observation relative aux mutations ou *transferts des cautionnements en numéraire*. (1)

(1) Nous nous occupons spécialement du transfert des cautionnements fournis *en numéraire*, parce que les cautionnements de cette nature sont les plus fréquents. — Quant au transfert des cautionnements consistant en une *rente nominative*, il est subordonné à l'autorisation de la Députation permanente, et il a lieu au moyen d'une déclaration faite en double et signée par le titulaire ou par son mandataire spécial, soit au bureau du Grand livre, à Bruxelles, soit chez l'Agent du Trésor chargé du visa des quittances d'arrérages. Giron, *Dict.*, V° Dettes de l'État, n° 8.

Le transfert d'un cautionnement en numéraire peut être obtenu, moyennant d'en justifier comme suit:

a/ Au cas de décès du titulaire, le transfert de l'inscription a lieu au profit de ses ayants droit sur la production d'un extrait de l'acte de décès, et des justifications requises par le décret du 18 Septembre 1806. Voir *ci-dessus*.

b/ En cas de cession, le cessionnaire doit produire un acte de cession, en double expédition, signé des deux parties, sur timbre et enregistré, avec légalisation des signatures par les administrations communales du domicile des intéressés. Voir *Recueil de la Trésorerie*, Instruction du 20 Oct. 1865, § 65. Cf. Orban, *ouv. cité*, n. 691, p. 521 coll. n. 676, p. 501.

c/ Si le cautionnement, inscrit au nom d'un bailleur de fonds, doit être transféré au profit du trésorier, il suffira d'un acte de quittance, sur timbre et enregistré, avec légalisation de la signature du bailleur de fonds par l'administration communale de son domicile. (1)

Les pièces justificatives requises pour le transfert, quel qu'il soit, d'un cautionnement en numéraire, doivent être transmises, avec le certificat d'inscription, au ministère des finances, qui mentionne le transfert en marge de ce certificat, lequel est ensuite renvoyé au

---

(1) Il y a, dans la pratique, un mode de transfert moins onéreux. Supposons, p. ex., qu'il s'agisse de substituer un nouveau bailleur de fonds à l'ancien. Le nouveau bailleur versera à la Banque nationale, à titre de cautionnement du trésorier, une somme égale à celle qui est l'objet de l'inscription existante, et il enverra son récépissé au gouvernement provincial, avec une demande d'inscription portant la déclaration expresse qu'il entend affecter le capital par lui versé, à tous faits de la gestion, y compris les actes antérieurs à la date de son versement. En même temps, l'ancien titulaire sollicitera le remboursement du capital inscrit en son nom, en remettant au gouvernement provincial, avec sa requête, son certificat d'inscription. Le remboursement sera autorisé, et le cautionnement reconstitué au nom du nouveau bailleur. — On pourra suivre la même marche, lorsqu'on désire que la somme, qui fait l'objet d'une inscription à titre de cautionnement pour la gestion du trésorier sortant, soit affectée à la garantie de la gestion de son successeur.

nouveau titulaire par l'entremise de l'administration provinciale Voir *Pandectes belges*, V° *cit.*, n. 210 ss.

C. V. C.

# De Scapularibus conficiendis

## I. *De scapularium involucro.*

Occasione decreti S. C. Indulg. 18 Jun. 1898 de scapularium materia censuimus licitum esse scapularia, juxta regulas S. Congregationis ceteroquin jam constituta, ita involucro contegere ut panni jam penitus non appareant. Rationem addidimus quia illud involucrum non « immediate afficit ipsam scapularis constitutivam materiam quam plus minusve mutare natum esset, » sed « extrinsece tantum scapulare jam constitutum obtegit, sicut illud obtegunt vestes. Jamvero non præscribitur ut appareat *ipsum scapulare*, sed ut in scapulari *apparcant color, forma et pannus præscripti* » (*Collat. Brug.* III, p. 538).

Oppositam sententiam eodem tempore proponebat A. H. in *Nouv. Rev. Théol.* t. XXX, p. 513; scribens:

« On nous a demandé s'il est permis d'envelopper les scapulaires d'une étoffe qui les protège. Après avoir lu la réponse ad I, nous n'hésitons pas à répondre négativement. Car ainsi enveloppé, *pannus penitus non apparet.* »

Nuperrime *Revue Théol. Française*, Jan. 1899 p. 56 sq., nobiscum consentiens quoad motivum cur hoc non sit prohibitum, dicit se nostram opinionem non absque restrictione admittere. Et ita scribit:

« En conséquence notre avis serait celui-ci: ou l'enveloppe dont il s'agit est cousue au scapulaire de manière à ne faire qu'un avec lui, ou elle en est facilement distincte, comme le serait par exemple un petit sachet contenant le scapulaire. Dans le premier cas, on ne peut se servir du scapulaire en question, *quia non apparent pannus et color præscriptus;* dans le

second cas, rien n'empêche qu'on gagne les indulgences, *quia involucrum illud extrinsece tantum scapulare jam constitutum obtegit.* »

Ne sit lis de verbo, ingenue fatemur nos ne cogitasse quidem de casu quo pannus aliquis assueretur circumquaque super ipsum scapulare, sicut supponuntur in dubio I (*Coll. Brug.* III, 535) assui vel intexi ornamenta vel tela serica vel gossipium. Hoc revera quasi unum constitueret cum scapulari illudque mutaret in ipsa sua constitutione. Sed intendimus unice loqui de more juxta quem ipsum scapulare includitur et contra sudorem munitur involucro seu sacculo, ex integro sutura clauso. Quodsi sacculus ex aliqua parte plus minus sutura adhæreret scapulari, non inde diceretur pertinere ad ipsam scapularis constitutionem, sicut involucrum chartaceum quo solent studiosi obtegere libros, ne maculentur, non diceretur pertinere ad ipsum librum, ex eo quod in aliqua parte ei adhæreret.

Ceterum ad omne dubium tollendum, audiamus doctissimum Beringer, S. Congregationis Indulg. consultorem, qui in *Theologisch-Praktisch Quartalschrift*, 1899, p. 213 scribit:

« Nuper periodicum aliquod ex hoc decreto intulit jam non licere scapularia circumdare involucro quo a sudoris effectu munirentur. Sed hoc immerito, nec S. Congregatio in prælaudato responso hoc intendit, prout iterum atque iterum interrogantes in secretaria didicimus. Quando aliunde scapularia cognitis præscriptis conformia sunt, contra hunc usum nihil est inferendum; secus posset aliquis tandem aliquando concludere scapularia jam non posse gestari sub vestibus, quia et his eodem modo, quominus appareant, impediuntur. »

## II. *De modo scapularia plura uniendi.*

Occasione præfatæ animadversionis addit idem doctissimus consultor notam, quæ majoris est utilitatis et auctoritatis quam ut negligi possit.

« In genere liceat nobis hic animadvertere, novissimo tempore sæpius præscripta de scapularibus scripto vel

oretenus sparsa fuisse, quæ nullo nituntur fundamento. Quomodo ex gr. probaretur sententia, verbo et scripto constanter repetita, funiculos nempe coccineos (1) debere non uni sed singulo ex quinque scapularibus assui in angulo superiori? Aut hæc alia exigentia, ex præcedenti deducta, singula nempe scapularia ad oram superiorem quasi per gradus paulisper ab invicem debere distare, ut omnia reapse tangantur coccineo funiculo qui singulis superducendus esset? Ut nobis videtur, responsum S. Cong. dici 27 Aprilis 1887 (ad V), juxta quod quinque scapularia (totidem vel duobus tantum funiculis unita) revera distincta esse debent, non vero unum tantum scapulare, in quo alii, semper minores, panniculi lanei (in medio) assuantur, in hunc sensum pertraxerunt. Hæc autem est exaggeratio, quæ huic responso nullatenus inest. Sensum verum et simplicem alio loco indicavimus (2).

Similiter caveatur ne nuda consilia tanquam obligatoria statuta, quin imo tanquam conditiones sine qua non acquirendarum indulgentiarum proponantur: v. gr. quonam successionis ordine disponantur quatuor vel quinque inter se conjuncta scapularia, utrum album vel coccineum sit superius necne, et alia hujusmodi, plane indifferentia sunt pro indulgentiarum consecutione, dummodo unumquodque individuum scapulare ad normam præscriptorun constitutum sit et ab aliis distin-

(1) Non debent esse coccinei nisi pro scapulari Passionis.

(2) BERINGER, *les Indulg.* II^e p. 3^e sect. p. 402: « Nous pensons que dans la pratique; il n'y a guère que trois manières de se conformer à la décision ci-dessus énoncée:

1/ Conserver à chaque scapulaire ses propres cordons, et coudre ensemble les morceaux de drap par leurs bords supérieurs;

2/ Réunir de même par leur bord supérieur tous les différents scapulaires, mais en les attachant tous à un même cordon double, lequel doit être de laine rouge, si au nombre des scapulaires se trouve celui de la Passion;

3/ Après les avoir réunis par les bords supérieurs, les coudre encore tout au plus un peu par le centre, de manière cependant que les bords restent séparés sur les trois autres côtés. » Ex his confirmantur quæ diximus de scapularium tegumento.

ctum: suaderi potest ut scapularia imaginibus ornata (1) ponantur ad extra, præcipi sane non potest.

Illegitimis hujusmodi exigentiis, plus quam credi solet, nocetur exercitiis devotionis ab Ecclesia approbatis; inde fit ut non raro audiantur sacerdotes etiam bene dispositi et zelosi, conquerentes de « continuis mutationibus » quæ in his rebus ob decreta Romanarum Congregationum exiguntur. Quodsi autem res intimius perspiciatur, mutationes de scapularibus, quibus revera decreta S. Cong. Indulg. occasionem dederunt, restringuntur ad quid minimum; dum certe in multis libris et foliis leguntur magno numero indicationes et præcepta quæ tamen non in ipsis Romanis decretis, sed in eorum perversa intelligentia et nimis arcta interpretatione nituntur. ».

C. C.

# E Sacra Congr. Indulgentiarum

## Conceduntur Indulg. pie legentibus S. Evangelium.

SS^mus^ D^nus^ Nr. Leo Pp. XIII in Audientia habita die 13 Decembris 1898 ab infpto Card. Præf. S. Cognis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis præpositæ, omnibus utriusque sexus Christifidelibus pie ac devote, saltem per horæ quadrantem, legentibus S. Evangelium, cujus tamen editio a legitima auctoritate fuit recognita et approbata, Indulgentiam tercentum dierum semel in die lucrandam benigne concessit: iis vero qui mense intregro singulis diebus præfatæ lectioni uti supra vacaverint, Plenariam elagitus est eo die infra mensem acquirendam, quo vere pœnitentes, confessi ac S. Synaxi refecti, simul ad mentem Sanctitatis Suæ pias ad Deum preces effuderint. Quas Indulgentias eadem Sanctitas fore quoque applicabiles animabus igne Purgatorii detentis decla-

(1) Scapulare album SS. Trinitatis et coccineum Passionis.

ravit. Præsenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romæ ex Secria ejusdem S. Congregationis die 13 Decembris 1898.

Fr. HIEROMYMUS M. Card. GOTTI *Præf.*

L. ✠ S.

† A. Archiep. ANTINOEN. *Secrius.*

# E Sacra Congregatione Rituum

## I

## BRUGEN.

R^mus D^nus Gustavus Josephus Waffelaert Episcopus Brugen. Sanctissimum Dominum Nostrum Leonem Papam XIII supplicibus votis rogavit, ut facultatem publice recitandi vel canendi Litanias de Sacro Corde Jesu pro Diœcesibus Massilien. atque Augustodunen. anno superiore approbatas ad cunctas quoque Ecclesias et publica Oratoria Brugen. Diœceseos extendere dignaretur. Sacra porro Rituum Congregatio, utendo facultatibus sibi specialiter ab eodem Sanctissimo Domino Nostro tributis, benigne precibus annuit. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 13 Januarii 1899.

C. CARD. MAZZELLA, *Præf.*

Hic subjicimus textum approbatum Litaniarum de Sacro Corde Jesu, necnon decretum S. C. R. *in Massilien.* 27 Junii 1898, quo præfatæ Litaniæ probantur et earum publicus usus diœcesibus Massiliensi et Augustodunensi et Universo Ordini Visitationis indulgetur.

### Litaniæ de Sacro Corde Jesu.

Kyrie, eleison.
Christe, eleison.
Kyrie, eleison.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.

Pater de cœlis Deus, miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus,
Spiritus Sancte Deus,
Sancta Trinitas, unus Deus,

1. Cor Jesu, Filii Patris æterni
2. Cor Jesu, in sinu Virginis Matris a Spiritu Sancto formatum
3. Cor Jesu, Verbo Dei substantialiter unitum
4. Cor Jesu, Majestatis infinitæ
5. Cor Jesu, Templum Dei Sanctum
6. Cor Jesu, Tabernaculum Altissimi
7. Cor Jesu, Domus Dei et porta cœli
8. Cor Jesu, fornax ardens caritatis
9. Cor Jesu, justitiæ et amoris receptaculum
10. Cor Jesu, bonitate et amore plenum
11. Cor Jesu, virtutum omnium abyssus
12. Cor Jesu, omni laude dignissimum
13. Cor Jesu, rex et centrum omnium cordium
14. Cor Jesu, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ
15. Cor Jesu, in quo habitat omnis plenitudo divinitatis
16. Cor Jesu, in quo Pater sibi bene complacuit
17. Cor Jesu, de cujus plenitudine omnes nos accepimus
18. Cor Jesu, desiderium collium æternorum
19. Cor Jesu, patiens et multæ misericordiæ
20. Cor Jesu, dives in omnes qui invocant Te
21. Cor Jesu, fons vitæ et sanctitatis
22. Cor Jesu, propitiatio pro peccatis nostris
23. Cor Jesu, saturatum opprobriis
24. Cor Jesu, attritum propter scelera nostra
25. Cor Jesu, usque ad mortem obediens factum
26. Cor Jesu, lancea perforatum
27. Cor Jesu, fons totius consolationis
28. Cor Jesu, vita et resurrectio nostra
29. Cor Jesu, pax et reconciliatio nostra
30. Cor Jesu, victima peccatorum
31. Cor Jesu, salus in Te sperantium
32. Cor Jesu, spes in Te morientium
33. Cor Jesu, deliciæ Sanctorum omnium

miserere nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis, Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos, Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.
℣. Jesu mitis et humilis Corde.
℟. Fac cor nostrum secundum Cor tuum.

*Oremus.*

Omnipotens sempiterne Deus, respice in Cor dilectissimi Filii tui, et in laudes et satisfactiones, quas in nomine peccatorum tibi persolvit, iisque misericordiam tuam petentibus Tu veniam concede placatus, in nomine ejusdem Filii tui Jesu Christi, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

MASSILIEN.

R^mus^ Dominus Joannes Robert, Episcopus Massilien. Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papæ XIII demisse subjecit quasdam Litanias Sacratissimi Cordis Jesu, clero et populo Massiliensi apprime charas atque jucundas, præsertim ex eo quod iidem tribuatur, Massiliam anno 1720 liberationem pestis à divina bonitate impetravisse. Hinc ipse R^mus^ Orator humillime expetivit, ut eædem Litaniæ et Apostolica Auctoritate approbari et in sua Massiliensi Diœcesi publice recitari valeant. De mandato Sanctissimi Domini Nostri, Sacra Rituum Congregatio Litanias prædictas examinandas suscepit, et exquisito voto E^mi^ ac R^mi^ Domini Cardinalis Adulphi Ludovici Perraud Episcopi Augustodunensis, qui antea de hac re ardens suæ Diœcesis studium aperuerat et R. P. D. Joannis Baptistæ Lugari sanctæ Fidei Promotoris, omnibusque accurate perpensis, easdem Litanias, prout in superiori extant exemplari, a se revisas atque sex invocationibus auctas ex aliis de Sacratissimo Corde Jesu Litaniis quæ circumferebantur desumptis, ut numerus triginta trium invocationum in memoriam et honorem vitæ temporalis divini Redemptoris impleatur, probari posse censuit. Sanctitas porro sua, referente infrascripto Cardinali sacræ eidem Congregationi Præfecto, Rescriptum Sacri Consilii ratum habens, hasce Litanias probavit, easque de speciali gratia indulsit tum Diœcesibus Massiliensi et Augustodunensi, tum universo Ordini Visita-

tionis B. M. V., ut in Ecclesiis et Oratoriis publice recitari ac decantari queant. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 27 Junii 1898.

C. Card. MAZZELLA *Ep. Prænestinus*
L. ✠ S. *S. R. C. Præfectus.*
D. Panici *Secretarius.*

II

## DECRETUM.

### Super Oratoriis semipublicis.

A Sacra Rituum Congregatione sæpe postulatum est, quænam Oratoria ceu semipublica habenda sint. Constat porro Oratoria publica ea esse, quæ auctoritate Ordinarii ad publicum Dei cultum perpetuo dedicata, benedicta, vel etiam solemniter consecrata, januam habent in via, vel liberum a publica via Fidelibus universim pandunt ingressum. Privata e contra stricto sensu dicuntur Oratoria, quæ in privatis ædibus in commodum alicujus personæ, vel familiæ ex Indulto Sanctæ Sedis erecta sunt. Quæ medium inter hæc duo locum tenent, ut nomen ipsum indicat, Oratoria semipublica sunt et vocantur. Ut autem qælibet ambiguitas circa hæc Oratoria amoveatur, Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII ex Sacrorum Rituum Congregationis consulto, statuit et declaravit: Oratoria semipublica ea esse, quæ etsi in loco quodammodo privato, vel non absolute publico, auctoritate Ordinarii erecta sunt; commodo tamen, non Fidelium omnium nec privatæ tantum personæ aut familiæ, sed alicujus communitatis vel personarum cœtus inserviunt. In his omnes qui sacrosancto Missæ Sacrificio intersunt, præcepto audiendi Sacrum satisfacere valent. Hujus generis Oratoria sunt quæ pertinent ad Seminaria et Collegia ecclesiastica; ad pia Instituta et Societates votorum simplicium, aliasque Communitates sub regula sive statutis saltem ab Ordinario approbatis; ad Domus spiritualibus exercitiis addictas; ad Convictus et Hospitia juventuti litteris, scientiis, aut artibus instituendæ destinata; ad Nosocomia, Orphanotrophia, nec non ad Arces et Carceres; atque similia Oratoria, in quibus ex instituto aliquis Christifidelium cœtus convenire solet ad audiendam Missam. Quibus adjungi

debent Capellæ, in Cœmeterio rite erectæ, dummodo in Missæ celebratione non iis tantum ad quos pertinent, sed aliis etiam Fidelibus aditus pateat. Voluit autem Sanctitas Sua sarta et tecta jura ac privilegia Oratoriorum, quibus fruuntur E^mi S. R. E. Cardinales, R^mi Sacrorum Antistites, atque Ordines Congregationesque Regulares. Ac præterea confirmare dignata est Decretum in una Nivernen. diei 8 Martii 1879. (1) Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 23 Januarii 1899.

*C. Ep. Præn.* CARD. MAZZELLA,
L. ✠ S. *S. R. C. Præf.*
DIOMEDES PANICI, *S. R. C. Secretarius.*

# E S. et U. Inquisitione

## Dubium circa quasi domicilium.

Officialis Diœcesis N., ad quietem conscientiæ suæ et ad normam habendam in casibus similibus, dubium sequens proponit Supremæ Congregationi:

Anno proxime elapso, vir acatholicus et puella catholica, uterque oriundus ex Roumania, ubi domicilium habent, postquam per duos vel tres annos varia itinera susceperint, quin domum reversi sint, in civitatem N. venerunt.

Proposuerant ibi commorari per tres menses, et domum ad habitandum per spatium trimestre pretio locaverant.

Elapso autem trimestri, cogitaverunt de matrimonio inter se contrahendo. Vir erat liber ad matrimonium contrahen-

(1) In præfato decreto *Nivernen.* ad dubium:

« Potestne Episcopus jure ordinario concedere licentiam etiam plures Missas qualibet die celebrandi 1° in Capellis seu Oratoriis publicis piarum Communitatum, etiam earum quæ clausuram non habent; 2° in Capellis seu Oratotiis piarum Communitatum, quæ licet non habeant ingressum in via publica, inserviunt tamen quotidianis exercitiis totius Communitatis; 3° in Capellis seu Oratoriis ad personas quidem privatas pertinentibus, sed quæ sunt publica vel semipublica in eo sensu quod habeant ingressum in via publica vel prope viam publicam, ut semper cuilibet volenti intrare permittatur. »

Respondit S. C.: « Episcopus utatur jure suo in omnibus casibus expositis ».

dum, puella stabat cum matre vidua et erat pariter libera. Quum vero lex civilis præscribat ut quis per sex menses commoretur in loco ubi vult matrimonium contrahere, habitationem in civitate prædicta prorogarunt iterum ad tres menses, et, mense novembri, quum jam per sex menses ibi commorati fuerint, Officialem adierunt, dispensationem super impedimento mixtæ religionis et licentiam matrimonii celebrandi petierunt.

Prædictus Officialis hæsit, quærendo utrum præfati sponsi acquisiverint quasi domicilium sufficiens ad matrimonium. Equidem per sex menses in dicta civitate commorati fuerant; sed quando illam ingressi erant non sibi proposuerant habitare per majorem partem anni. Elapsis tribus mensibus, cogitaverant de matrimonio ineundo et iterum proposuerant habitare per tres alios menses tantum ut compleretur spatium semestre requisitum ad matrimonium a lege civili.

Deficiente intentione habitandi per majorem anni partem, Officialis, ex consulto peritorum Canonistarum existimavit sponsos non acquisivisse quasi domicilium in illa civitate, ac proinde se non habere facultatem dispensandi nec licentiam concedendi ad matrimonium contrahendum. Sponsi vero, cum omnia paraverint ad nuptias, contractum civilem iniverunt et ad aliam regionem profecti sunt.

Petit igitur Officialis an non severius egerit in deneganda dispensatione et licentia matrimonii contrahendi, et, grato animi sensu acciperet responsum, quo in futurum ut norma pro casibus similibus uti possit.

### *Feria IV, die 9 Novembris 1898.*

In Congregatione Generali coram EE$^{mis}$ ac RR$^{mis}$ DD. Cardinalibus in rebus fidei et morum Inquisitoribus Generalibus habita, proposito suprascripto casu, præhabitoque RR. DD. Consultorum voto, iidem EE. ac RR. Patres respondendum mandarunt:

*Orator acquiescat; et addatur: Se conferentes in civitatem N. ex alio loco vel paræcia, dummodo ibi commorati fuerint in aliqua paræcia per sex menses, censendos esse ibidem habere quasi domicilium in ordine ad matrimonium, quin inquisitio facienda sit de animo ibi permanendi per majorem anni partem, facto verbo cum SS$^{mo}$.*

Sequenti vero Fer. VI, die 11 ejusdem mensis et anni, in

audientia a SS. D. N. Leone Div. Prov. Pp. XIII R. P. D. Adsessori impertita, SS^mus D. N. resolutionem EE. ac RR. Patrum adprobavit et confirmavit.

I. Can.' Mancini, *S. R. et U. Inquis. Not.*

**Adnotatio.** — Sic confirmatur doctrina juxta quam ad quasi domicilium in parochia contrahendum sufficit realis habitatio saltem per sex menses etiamsi inceperit sine animo tamdiu manendi: quam tradunt Feije, *De Imped...* n. 213, Theol. Mechl. *De matrim.* n. 89. et alii; pluribus de hac hypothesi tacentibus et simpliciter requirentibus ad quasi domicilium ut quis in loco habitet cum animo manendi per integrum semestre. — Observetur tamen requiri ad hunc effectum veram et proprie dictam *habitationem* nec sufficere meram commorationem more viatoris, uti apertis verbis monet celebris Instructio S. Off. 24 Martii 1867: « Præterea manifestum quoque est actualem habitationem ineptam esse ad quasi domicilium contrahendum, si quis in ea regione more vagi et itinerantis commoretur, non autem vere proprieque habitantis, quemadmodum scilicet cæteri solent, qui in eodem loco verum proprieque dictum domicilium habent ». — In casu suprascripti decreti nupturientes domum conduxerant eamque occupabant: proinde ut vere habitantes in loco haberi poterant.

H. V. D. B.

# Jurisprudence administrative

## Fabriques d'église — Compte — Produit des offrandes faites par les pèlerins

Un arrêté royal, en date du 26 Janvier 1899 (*Moniteur*, p. 397), réforme l'arrêté du 2 Septembre précédent, par lequel la Députation permanente du conseil provincial du Hainaut a refusé d'approuver le compte pour l'exercice 1897,

de la fabrique de l'église de Saint-Amand, à Rebaix, en se fondant sur ce que la fabrique néglige de porter en recettes *le produit du pèlerinage de Saint-Servais.*

Le compte, pour l'exercice 1897, de la fabrique de l'église de Saint-Amand, à Rebaix, est approuvé.

Cette décision est fondée sur ce que l'article 36 du décret du 30 Décembre 1809 ne met, au nombre des revenus de la fabrique, que « *les oblations faites à la fabrique* »; qu'il résulte de l'instruction que les offrandes des pèlerins ne sont pas destinées à la fabrique de l'église de Rebaix et qu'aucune somme n'est entrée de ce chef, en 1897, dans la caisse de la fabrique; que, dès lors, du produit de ces offrandes, rien ne doit être porté en recette au dit compte; sur ce que les recettes et les dépenses figurant dans ce document sont appuyées de pièces justificatives régulières.

*Observation.* Comp. les *Collationes*, T. I, p. 430 ss., et T. III, p. 474; De Brabandere, *Jur. can. compend.*, T. II, n. 883; Leroy, *Instruct. pratiq. sur la comptabilité des fab. d'égl.*, p. 25 ss.

# Consultationes

## I

Quando infra missam benedicendæ sunt nuptiæ, an celebranda votiva *pro sponso et sponsa* diebus quibus permittitur, an vero missa officii occurrentis, vel, diebus quibus licet, alia votiva; casu quo nupturientes non suppeditant eleemosynam pro missa et consequenter celebrans, juxta decretum S. C. Inquisitionis 1 Sept. 1841, non tenetur applicare pro sponsis, et de facto applicat sive pro defunctis, sive in honorem alicujus Mysterii aut Sancti (1).

Resp. Missa votiva pro sponso et sponsa, diebus quibus permittitur, in casu celebrari debet. Probatur responsum ex Rituali Romano tit. VII, cap. 2, nº 4: « Si benedicendæ sunt nuptiæ, parochus *missam pro*

(1) Cfr. Collat. Brugen. 1896, p. 96 et seqq.

*sponso et sponsa*, ut in Missali Romano *celebret*, servatis omnibus quæ ibi præscribuntur ». In rubrica autem missalis præmissa huic missæ disponitur : « Si benedictio nuptiarum facienda sit die dominica vel alio die festo, dicatur missa de Dominica vel festo..... cum commemoratione sequentis missæ pro sponso et sponsa... Si autem benedictio nuptiarum facienda sit aliis diebus, etiamsi in iis occurrat festum duplex majus vel minus, *dicatur sequens missa votiva* ». Quod confirmatur decreto S. C. Rituum *in Limburgen.* 23 Junii 1853 : « Missa in nuptiis *semper debet esse votiva pro sponso et sponsa* ut in missali, præterquam in festis de præcepto et duplicibus primæ et secundæ classis », (quæ exceptio juxta alia decreta extenditur ad omnes dies duplicia secundæ classis excludentes). Omnino ad rem nostram etiam afferri potest decretum S. C. de Propaganda Fide 10 Jan. 1837 (1); ad quæstionem enim, an sacerdos qui benedicit matrimonium, si non recipit eleemosynam, obligetur dicere, tempore quo licet, missam votivam ad hoc designatam, an vero possit dicere missam de Sancto occurrente, addendo collectam ejusdem missæ votivæ, S. Congregatio respondit : « *Servetur Rubricæ præscriptio quoad missæ speciem*, ita tamen ut celebranti liberum sit mente sua convertere spiritualem missæ fructum *in favorem suppeditantis eleemosynam* ».

Ex quibus omnibus clare liquet missam, in qua benedicuntur nuptiæ, debere esse votivam pro sponso et sponsa diebus quibus per rubricas licet ; diebus autem exceptis, missam dici cum commemoratione ex eadem missa votiva, et hoc, sive celebrans recipiat stipendium a sponsis pro applicatione, sive non recipiat et applicet pro alio.

Objicitur contra hanc praxim, responsio S. C. Rituum *in Brugen.* 12 Sept. 1840, juxta quam non satisfaciunt susceptæ obligationi sacerdotes, qui his diebus, quibus per rubricas licet missas de *Requiem* et votivas cele-

(1) Collectanea S. C. de Prop. Fide, edit. 1893, nº 1547.

brare, missas privatas oblato manuali stipendio votivas in honorem alicujus Mysterii vel Sancti habentes, celebrant conformes officio, quod illa die recitarunt, quando fideles expresse non rogaverunt dici missas votivas. Ex quo sequeretur non satisfieri per missam pro sponso et sponsa obligationi susceptæ celebrandi in honorem alicujus Sancti vel Mysterii. Sed respondetur ex hac declaratione nullo modo sequi in benedictione nuptiarum missam, non votivam pro sponsis, sed aliam votivam vel missam de die celebrandam esse, contra doctrinam superius probatam; insuper notari potest, in nova collectione Decretorum authenticorum S. R. Congregationis anno 1898 ejus auctoritate promulgata, hoc dubium 7 decreti 12 Sept. 1840 expunctum esse. In eadem tamen collectione retentum est decretum 3 Martii 1761 *in Aquen.* quo declaratur: « diebus, quibus dici possunt missæ votivæ privatæ vel defunctorum sacerdos ad illas obligatus ratione fundationis, vel accepti manualis stipendii, propriæ obligationi non satisfacit, dicendo missam de die occurrente; expressa enim voluntas testatorum vel postulantium, dummodo sit rationabilis, debet adimpleri »; ex quo deduci posset, sicuti in certis casibus non satisfit per missam de die, eodem modo non satisfieri obligationi susceptæ ratione stipendii, per missam votivam pro sponso et sponsa; sed iterum non sequitur ideo loco votivæ pro sponsis (quando licet), pro benedictione nuptiarum, celebrari posse vel missam diei vel aliam votivam.

Quod autem ad satisfactionem susceptæ obligationis attinet, juxta sententiam auctorum distinguendum est: Si eleemosynam offerens explicite vel implicite missam stricto sensu liturgico votivam in honorem alicujus Sancti vel Mysterii etc. petierit, et consequenter requisiverit non solum missæ applicationem sed et missæ qualitatem, alia die, qua permittitur, celebranda foret, quia juxta decretum superius citatum expressa voluntas testatorum vel postulantium, dummodo sit rationabilis, debet

adimpleri. Si autem non ita stricte votiva postulatur: « ut si offerens stipendium consentiat ut missa diei currentis dicatur; si sola applicatio fuerit postulata, non qualitas missæ; quando scilicet, qui dedit stipendium, solum in genere petierit missam in honorem alicujus Sancti etc., non intendens ipsam missam sensu liturgico votivam; si missa votiva differri nequeat in diem liberum; ex. gr. si in aliquo festo duplici, aut æquivalenti officio, petitur missa pro graviter infirmo, vel agonizante » etc., tunc (juxta Ill. Vanderstappen *de rubr. missalis*, Sect. II, Cap. 2, q. 49) in duplicibus vel æquivalentibus oneri missæ petitæ satisfieri potest per missam diei. « Recentius 15 Aprilis 1876 litteræ privatæ S. R. C. mentem aperientes et communicatæ in folio periodico pro Unione Sacerdotum Œnipontana, si, qui dedit stipendium, solum in genere petierit missam sive in honorem alicujus Sancti, sive pro defunctis non intendens ipsam votivam missam aut missam de Requiem, in utroque casu satisfieri per missam diei currentis, etiam in ritu semiduplici, dicunt. Quare videtur ratio habenda esse diversarum regionum, in qua missa in honorem certi Sancti petitur. Si fideles norint communiter, quid sit missa votiva, atque eam communiter intendant, si in honorem certi Sancti missam postulant: aut missa votiva dicenda est, aut qui dat stipendium monendus est de impedimento, si quod forte existit *(ita impedimentum esset benedictio nuptiarum)*; si vero fideles missarum discrimen non norunt, sed sacerdotis arbitrio sese committunt, dici potest missa diei eaque in honorem Sancti solummodo applicari ». Ita Lehmkuhl, Theol. Mor. II, nº 201 (1). Jamvero, si satisfieri potest per missam diei, non videtur cur iisdem in casibus satisfieri non possit per votivam pro sponsis, eo vel magis, quod ex rubricis habeatur ratio, imo necessitas eam celebrandi propter benedictionem nuptiarum impertiendam et auctoritas legitima

(1) Cfr. Lahousse de Euchar. nº 223; De Herdt tomo I, nº 66, IV.

declaraverit hanc missam sponsis non esse applicandam, sed celebranti liberum esse mente sua convertere spiritualem missæ fructum in favorem suppeditantis eleemosynam. Si hoc autem valet pro diebus duplicibus et æquivalentibus, quæ excludunt missas votivas privatas, idem dicendum erit de diebus semiduplicibus vel inferioris ritus quæ has permittunt, quia in casu benedictio nuptiarum impertienda impedimentum ponit ne celebretur alia votiva quam illa pro sponso et sponsa, et efficit ut relate ad celebrantem illa dies sit impedita sicuti in festo duplice.

Quoad applicationem faciendam pro defunctis, juxta doctrinam auctorum (1), si agitur de missis privatis lectis, et idem dicendum videtur de cantatis quotidianis manualibus, satisfit per missam officii currentis iis diebus quibus prohibentur missæ privatæ de Requiem; imo diebus liberis pro harum celebratione, obligatio non adest celebrandi de *Requiem* « nisi expresse petita sit missa de *Requiem* vel aliunde præsumatur ea postulari, vel applicanda sit indulgentia altaris privilegiati ». (Lahousse *de Euch.* nº 223). Quoad autem anniversaria et alias missas cantatas fundatas, vide De Herdt, Tom. I, nº 66. Iis autem in casibus in quibus satisfieri potest per missam diei, propter rationem superius allatam etiam satisfactum erit per missam votivam *pro sponso et sponsa* quam celebrans juxta intentionem dantis applicat pro defuncto vel defunctis.

H. V. D. W.

II

Monsieur le Directeur des « *Collationes brugenses* »,

Je vous serais bien obligé si vous vouliez répondre dans votre estimable Revue aux deux questions suivantes:

1º La cure que j'occupe est un ancien presbytère affecté de temps immémorial, même longtemps avant la

(1) Vide De Herdt tom. I, 66; Ill. Vanderstappen, l. c. Sect. II, Cap. I. q. 74.

Révolution française, à l'habitation du curé de la paroisse. A qui appartient cet immeuble? Est-ce à la commune ou bien à la fabrique? La question est importante, parce que de la solution qu'elle recevra, dépend celle de savoir quelle administration, communale ou fabricienne, est tenue des réparations d'entretien que le Code civil met à charge du propriétaire.

2° Quelle est la nature du droit exercé par le curé sur le presbytère et ses dépendances? Le curé est-il, oui ou non, usufruitier dans le sens du Code? Si oui, a-t-il le droit de s'opposer à ce que le conseil communal, sans sa permission, désigne le mur de clôture du presbytère pour l'affichage des annonces privées de ventes, bals, théâtres, etc.

R. 1° Pour déterminer qui est propriétaire du presbytère en question, il importe avant tout d'examiner si la commune ou la fabrique ne possède pas des titres établissant son droit de propriété. En l'absence de titres, voici la solution qu'il faut donner à la question. Les anciens presbytères appartiennent *de droit* aux fabriques d'église. Cette solution, très fondée en texte, proposée par les meilleurs auteurs, confirmée par une pratique constante et par une jurisprudence sémi-séculaire, n'est cependant plus admise aujourd'hui par le gouvernement ni par les tribunaux belges. Aux termes de la jurisprudence libérale, encore en vigueur, les anciens presbytères font partie du domaine public communal, à moins que la fabrique n'établisse (ce qui est fort difficile) qu'elle en a fait l'acquisition par prescription trentenaire. Nous jugeons inutile de développer ici cette question de propriété, parce qu'elle est sans portée quant à la solution de la question des réparations, qui semble particulièrement intéresser notre honorable consultant. Si l'on excepte les réparations purement *locatives* qui incombent au curé, toutes les réparations *d'entretien* et autres constituent une charge principale de la fabrique, alors même que le presbytère appartient à la commune. Voir les *Collationes*, T. II, p. 201 ss.

2° La question de savoir quelle est la nature et l'étendue des droits du curé sur le presbytère et ses dépendances, est fort controversée. L'incertitude provient de ce fait, que le droit de jouissance du curé n'a été déterminé ni réglé expressément par aucune disposition légale, et qu'il ne se confond avec aucun de ceux qui ont été définis par le Code civil.

La plupart des auteurs enseignent que le curé a sur le presbytère un droit qui, sans avoir tous les caractères légaux de *l'usufruit*, constitue cependant un droit de jouissance qui en est l'équivalent. C'est le système qui a prévalu en France.

D'autres soutiennent que le droit du curé doit plutôt être assimilé à celui d'un *locataire*. Toutefois, le presbytère étant affecté à l'usage personnel du curé, ils n'admettent pas qu'il puisse le *louer* à son profit.

D'autres enfin désignent le droit du curé sous la qualification vague de « droit de jouissance ou d'habitation *sui generis* », sans déterminer les caractères de ce droit, et sans dire à quelles règles il est soumis.

Jusqu'à présent la question n'a pas été résolue d'une manière précise et complète. Toutefois la Cour de Cassation belge, par arrêt du 4 Novembre 1875, a décidé que les curés n'ont sur les presbytères *aucun droit réel*, ni à titre d'usufruit, ni à quelque titre que ce soit ; et qu'ils sont, par suite, sans qualité pour exercer l'action possessoire à raison d'un trouble apporté à leur jouissance. Cf. Arrêt de la Cour de Bruxelles du 26 Juillet 1884 (*Pasic.*, II, p. 879).

Au surplus, cette question est sans influence réelle sur la solution à donner à la question du droit des communes en matière d'affichage. Nous avons longuement traité cette question dans les *Collationes* (T. III, p. 408 ss.). Nous y renvoyons.

Si l'administration communale désignait les murs du presbytère pour le placement d'affiches particulières, le curé aurait à notifier son opposition au conseil commu-

nal, et à prendre son recours auprès de l'autorité supérieure. Mais, aussi longtemps que le règlement communal subsiste sans opposition, de même si l'apposition des affiches est consacrée par un long usage, les affiches pourraient être considérées comme *légitimement* apposées, et ceux qui les arracheraient dans ces conditions s'exposeraient aux peines comminées par l'article 560 du Code pénal. Cf. *Revue catholique de droit*, T. I, p. 153.

C. V. C.

**Commentarius in constitutionem SS^mi^ D^ni^ Leonis XIII « Officiorum ac munerum » de prohibitione et censura librorum**

OPERA

**CONSTANTINI VAN COILLIE**

*Juris Can. Licent. et in Semin. Brug. Prof.*

(125 pag. — Prostat apud auct. pretio 1 fr.)

Eruditissimus Professor sextam jam editionem (1) *Compendii Juris Canonici*, olim ab Ill^mo^ D. De Brabandere conscripti, parans, illius partem, quæ de libris prohibitis agit, prorsus innovare atque ad constitutionem Leonis XIII *Officiorum ac munerum* componere debuit. Bono autem consilio hunc tractatum distincto volumine in lucem edidit ut in quintæ editionis complementum aliquatenus inservire valeat.

Hujus tractatus pars prior complectitur quæstiones generales de librorum prohibitione tum juris divini præsertim naturalis, tum juris ecclesiastici maxime novissimi, præfata constitutione Leonis XIII inducti: inter illas præprimis notatu dignam censemus quæstionem utrum leges de quibus agitur, quà prohibentes, favorabiles an verò odiosæ sint habendæ et consequenter late aut stricte sint interpretandæ (n. 9): *favorabiles* esse probat Auctor, contra plures, quorum argumenta feliciter solvere videtur.

In parte altera, decreta generalia de prohibitione et censura librorum, a Leone XIII edita, singillatim expenduntur ac brevi commentario dilucidantur.

Operis meritum affatim persuadent tum peritia Auctoris, qui jam per quatuordecim annos notissima cum laude jus canonicum est interpretatus, tum singularis auctoritas Ill^mi^ ac Rev^mi^ Episcopi Brugensis, qui, lecto ac perlustrato integro commentario, testatur sese illum *libenter approbare ac clero suo instanter commendare*.

H. V. D. B.

(1) Hæc nova editio brevi e prælo exibit.

# Collationes Brugenses

## Litteræ Apostolicæ

### SS. D. N. LEONIS XIII ad Card. Gibbons

DILECTO FILIO NOSTRO
JACOBO TIT. SANCTÆ MARIÆ TRANS TIBERIM
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI GIBBONS
ARCHIEPISCOPO BALTIMORENSI

## LEO PP. XIII

DILECTE FILI NOSTER
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Testem benevolentiæ Nostræ hanc ad te epistolam mittimus, ejus nempe benevolentiæ, quam, diuturno Pontificatus Nostri cursu, tibi et Episcopis collegis tuis ac populo Americæ universo profiteri nunquam destitimus, occasionem omnem libenter nacti sive ex felicibus Ecclesiæ vestræ incrementis, sive ex utiliter a vobis recteque gestis ad catholicorum rationes tutandas et evehendas. Quin imo sæpe etiam accidit egregiam in gente vestra indolem suspicere et admirari ad præclara quæque experrectam, atque ad ea prosequenda, quæ humanitatem omnem juvant splendoremque civitatis. — Quamvis autem non eo nunc spectet epistola ut aliàs sæpe tributas laudes confirmet, sed ut nonnulla potius cavenda et corrigenda significet; quia tamen eàdem apostolica caritate conscripta est, qua vos et prosequuti semper et alloquuti sæpe fuimus, jure expectamus, ut hanc pariter amoris Nostri argumentum censeatis; idque eo magis futurum confidimus quod apta nataque ea sit ad contentiones quasdam extinguendas, quæ, exortæ nuper in vobis, etsi non omnium, at multorum certe animos, haud mediocri pacis detrimento, perturbant.

Compertum tibi est, dilecte Fili Noster, librum de vita *Isaaci-Thomæ Hecker*, eorum præsertim opera, qui aliena lingua edendum vel interpretandum susceperunt, controver-

sias excitasse non modicas ob invectas quasdam de ratione christiane vivendi opiniones. Nos igitur, ut integritati fidei, pro supremo Apostolatus munere, prospiciamus et fidelium securitati caveamus, volumus de re universa fusiori sermone ad te scribere.

Novarum igitur, quas diximus, opinionum id fere constituitur fundamentum : quo facilius qui dissident ad catholicam sapientiam traducantur, debere Ecclesiam ad adulti sæculi humanitatem aliquanto propius accedere, ac, veteri relaxata severitate, recens invectis populorum placitis ac rationibus indulgere. Id autem non de vivendi solum disciplina, sed de doctrinis etiam, quibus *fidei depositum* continetur, intelligendum esse multi arbitrantur. Opportunum enim esse contendunt, ad voluntates discordium alliciendas, si quædam doctrinæ capita, quasi levioris momenti, prætermittantur, aut molliantur ita, ut non eumdem retineant sensum quem constanter tenuit Ecclesia. — Id porro, dilecte Fili Noster, quam improbando sit consilio excogitatum, haud longo sermone indiget; si modo doctrinæ ratio atque origo repetatur, quam tradit Ecclesia. Ad rem Vaticana Synodus: « Neque enim fidei doctrina, quam Deus revelavit, velut » philosophicum inventum proposita est humanis ingeniis » perficienda, sed tamquam divinum depositum Christi » Sponsæ tradita fideliter custodienda et infallibiliter decla- » randa... Is sensus sacrorum dogmatum perpetuo est reti- » nendus, quem semel declaravit Sancta Mater Ecclesia, » nec unquam ab eo sensu altioris intelligentiæ specie et » nomine recedendum (1) ».

Neque omnino vacare culpa censendum est silentium illud, quo catholicæ doctrinæ principia quædam consulto prætereuntur ac veluti oblivione obscurantur. — Veritatum namque omnium, quotquot christiana disciplina complectitur, unus atque idem auctor est et magister *Unigenitus Filius qui est in sinu Patris* (2). Easdem vero ad ætates quaslibet ac gentes accommodatas esse, perspicue ex verbis colligitur, quibus ipse Christus apostolos est alloquutus : *Euntes docete omnes gentes... docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis ;*

(1) Const. de Fid. cath. c. IV.
(2) Joann. I, 18.

1) Vraag. Moet men [illegible] en dat [illegible] men [illegible] is)

Antw: Volgens Episcopi [illegible] er bestaat [illegible]

Zijn redenen: 1) [illegible] er [illegible] een [illegible] wijze [illegible] – Dit [illegible]

2) Er is niet [illegible] de [illegible] een uit [illegible] van [illegible] Want moet [illegible] Ryn [illegible] de [illegible] lagetheorie [illegible] – Dus de [illegible] de [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]

3) Men zegt [illegible] de [illegible] te weet [illegible] – Nu de [illegible] zeggen [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]

*et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi* (1). Quapropter idem Vaticanum Concilium : « Fide » divina, inquit, et catholica ea omnia credenda sunt, quæ » in verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesia, » sive solemni judicio sive ordinario et universali magisterio, » tamquam divinitus revelata credenda proponuntur (2) ». — Absit igitur ut de tradita divinitus doctrina quidpiam quis detrahat vel consilio quovis prætereat; id enim qui faxit, potius catholicos sejungere ab Ecclesia, quam qui dissident ad Ecclesiam transferre volet. Redeant, nil enim Nobis optatius, redeant universi, quicumque ab ovili Christi vagantur longius; non alio tamen itinere, quam quod Christus ipse monstravit.

Disciplina autem vivendi, quæ catholicis hominibus datur, non ejusmodi est, quæ, pro temporum et locorum varietate, temperationem omnem rejiciat. — Habet profecto Ecclesia, inditum ab Auctore suo, clemens ingenium et misericors; quam ob caussam, inde a sui exordio, id præstitit libens, quod Paulus Apostolus de se profitebatur : *Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos* (3). — Ætatum vero præteritarum omnium historia testis est, Sedem hanc Apostolicam, cui, non magisterium modo, sed supremum etiam regimen totius Ecclesiæ tributum est, constanter quidem *in eodem dogmate, eodem sensu eademque sententia* (4) hæsisse; at vivendi disciplinam ita semper moderari consuevisse, ut, divino incolumi jure, diversarum adeo gentium, quas amplectitur, mores et rationes nunquam neglexerit. Id si postulet animorum salus, nunc etiam facturam quis dubitet? — Non hoc tamen privatorum hominum arbitrio definiendum, qui fere specie recti decipiuntur; sed Ecclesiæ judicium esse oportet : in eoque acquiescere omnes necesse est, quicumque Pii VI decessoris Nostri reprehensionem cavere malunt. Qui quidem propositionem LXXVIII synodi Pistoriensis « Ecclesiæ ac Spiritui Dei quo ipsa regitur injuriosam » *edixit*, quatenus examini subjiciat disciplinam ab Ecclesia

(1) Matth. XXVIII, 19 s.
(2) Const. de Fid. cath. c. III.
(3) I Cor. IX, 22.
(4) Conc. Vatic. Ibid. c. IV.

» constitutam et probatam, quasi Ecclesia disciplinam con-
» stituere possit inutilem et onerosiorem quam libertas
» christiana patiatur ».

In causa tamen de qua loquimur, dilecte Fili Noster, plus affert periculi estque magis catholicæ doctrinæ disciplinæque infestum consilium illud, quo rerum novarum sectatores arbitrantur libertatem quandam in Ecclesiam esse inducendam, ut, constricta quodammodo potestatis vi ac vigilantia, liceat fidelibus suo cujusque ingenio actuosæque virtuti largius aliquanto indulgere. Hoc nimirum requiri affirmant ad libertatis ejus exemplum, quæ, recentius invecta, civilis fere communitatis jus modo ac fundamentum est. — De qua Nos fuse admodum loquuti sumus in iis Litteris, quas de civitatum constitutione ad Episcopos dedimus universos; ubi etiam ostendimus, quid inter Ecclesiam, quæ jure divino est, intersit ceterasque consociationes omnes, quæ libera hominum voluntate vigent. — Præstat igitur quandam potius notare opinionem, quæ quasi argumentum affertur ad hanc catholicis libertatem suadendam. Aiunt enim, de Romani Pontificis infallibili magisterio, post solemne judicium de ipso latum in Vaticana Synodo, nihil jam oportere esse sollicitos; quam ob rem, eo jam in tuto collocato, posse nunc ampliorem cuivis ad cogitandum atque agendum patere campum. — Præposterum sane arguendi genus: si quid enim ex magisterio Ecclesiæ infallibili suadet ratio, hoc certe est, ut ab eo ne quis velit discedere, imo omnes eidem se penitus imbuendos ac moderandos dent, quo facilius a privato quovis errore serventur immunes. Accedit, ut ii, qui sic arguunt, a providentis Dei sapientia discedant admodum; quæ, quum Sedis Apostolicæ auctoritatem et magisterium affirmata solemniore judicio voluit, idcirco voluit maxime, ut pericula præsentium temporum animis catholicorum efficacius caveret. Licentia quæ passim cum libertate confunditur; quidvis loquendi obloquendique libido; facultas denique quidlibet sentiendi litterarumque formis exprimendi, tenebras tam alte mentibus obfuderunt, ut major nunc quam ante sit magisterii usus et necessitas, ne a conscientia quis officioque abstrahatur. — Abest profecto a Nobis ut quæcumque horum temporum ingenium parit, omnia repudiemus; quin potius quidquid indagando veri aut enitendo boni

attingitur, ad patrimonium doctrinæ augendum publicæque prosperitatis fines proferendos, libentibus sane Nobis, accedit. Id tamen omne, ne solidæ utilitatis sit expers, esse ac vigere nequaquam debet, Ecclesiæ auctoritate sapientiaque posthabita.

Sequitur ut ad ea veniamus quæ ex his, quas attigimus, opinionibus consectaria veluti proferuntur; in quibus si mens, ut credimus, non mala, at certe res carere suspicione minime videbuntur. — Principio enim externum magisterium omne ab iis, qui christianæ perfectioni adipiscendæ studere velint, tamquam superfluum, immo etiam minus utile, rejicitur: ampliora, aiunt, atque uberiora nunc quam elapsis temporibus, in animos fidelium Spiritus Sanctus influit charismata, eosque, medio nemine, docet arcano quodam instinctu atque agit. — Non levis profecto temeritatis est velle modum metiri, quo Deus cum hominibus communicet; id enim unice ex ejus voluntate pendet, estque ipse munerum suorum liberrimus dispensator. *Spiritus ubi vult spirat* (1). *Unicuique autem nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi* (2). — Ecquis autem repetens Apostolorum historiam, exordientis Ecclesiæ fidem, fortissimorum martyrum certamina et cædes, veteres denique plerasque ætates sanctissimorum hominum fœcundissimas, audeat priora tempora præsentibus componere eaque affirmare minore Spiritus Sancti effusione donata? Sed, his omissis, Spiritum Sanctum secreto illapsu in animis justorum agere eosque admonitionibus et impulsionibus excitare, nullus est qui ambigat; id ni foret, externum quodvis præsidium et magisterium inane esset. « Si quis... salutari, » id est evangelicæ prædicationi consentire posse confirmat, » absque illuminatione Spiritus Sancti, qui dat omnibus » suavitatem in consentiendo et credendo veritati, hæretico » fallitur spiritu » (3). Verum, quod etiam experiendo novimus, hæ Sancti Spiritus admonitiones et impulsiones plerumque, non sine quodam externi magisterii adjumento ac veluti comparatione, persentiuntur. « Ipse, ad rem Augusti-

(1) Joann. III, 8.
(2) Eph. IV, 7.
(3) Conc. Arausic. II, can. VII.

» nus, in bonis arboribus cooperatur fructum, qui et forin-
» secus rigat atque excolit per quemlibet ministrum, et per
» se dat intrinsecus incrementum » (1). Scilicet ad communem legem id pertinet, qua Deus providentissimus, uti homines plerumque fere per homines salvandos decrevit, ita illos, quos ad præstantiorem sanctimoniæ gradum advocat, per homines eo perducendos constituit, « ut nimirum, quem-
» admodum Chrysostomus ait, per homines a Deo disca-
» mus » (2). Præclarum ejus rei exemplum, ipso Ecclesiæ exordio, positum habemus: quamvis enim Saulus, *spirans minarum et cædis* (3), Christi ipsius vocem audivisset ab eoque quæsivisset: *Domine, quid me vis facere;* Damascum tamen ad Ananiam missus est: *Ingredere civitatem, et ibi dicetur tibi quid te oporteat facere.* — Accedit præterea, quod qui perfectiora sectantur, hoc ipso quod ineunt intentatam plerisque viam, sunt magis errori obnoxii, ideoque magis quam ceteri doctore ac duce indigent. — Atque hæc agendi ratio jugiter in Ecclesia obtinuit; hanc ad unum omnes doctrinam professi sunt, quotquot, decursu sæculorum, sapientia ac sanctitate floruerunt; quam qui respuant, temere profecto ac periculose respuent.

Rem tamen bene penitus consideranti, sublato etiam externo quovis moderatore, vix apparet in novatorum sententia quorsum pertinere debeat uberior ille Spiritus Sancti influxus, quem adeo extollunt. — Profecto maxime in excolendis virtutibus Spiritus Sancti præsidio opus est omnino: verum qui nova sectari adamant, naturales virtutes præter modum efferunt, quasi hæ præsentis ætatis moribus ac necessitatibus respondeant aptius, iisque exornari præstet, quod hominem paratiorem ad agendum ac strenuiorem faciant. — Difficile quidem intellectu est, eos, qui christiana sapientia imbuantur, posse naturales virtutes supernaturalibus anteferre, mjoremque illis efficacitatem ac fœcunditatem tribuere. Ergone natura, accedente gratia, infirmior erit, quam si suis ipsa viribus permittatur? Num vero homines sanctissimi, quos Ecclesia observat palamque colit, imbecil-

(1) De Grat. Christi c. XIX.
(2) Hom. I, in Inscr. altar.
(3) Act. Ap. c. IX.

los se atque ineptos in naturæ ordine probavere quod christianis virtutibus excelluerunt? Atqui, etsi naturalium virtutum præclaros quandoque actus mirari licet, quotus tamen quisque est inter homines qui naturalium virtutum habitu reapse polleat? Quis enim est, qui animi perturbationibus, iisque vehementibus non incitetur? Quibus constanter superandis, sicut etiam universæ legi in ipso naturæ ordine servandæ, divino quodam subsidio juvari hominem necesse est. Singulares vero actus, quos supra innuimus, sæpe, si intimius perspiciantur, speciem potius virtutis quam veritatem præ se ferunt. — Sed demus tamen esse: si *currere in vacuum* quis nolit æternamque oblivisci beatitatem, cui nos benigne destinat Deus, ecquid naturales virtutes habent utilitatis, nisi divinæ gratiæ munus ac robur accedat? Apte quidem Augustinus: « Magnæ vires et cursus celerrimus, » sed præter viam » (1). Sicut enim præsidio gratiæ natura hominum, quæ, ob communem noxam, in vitium ac dedecus prolapsa erat, erigitur novaque nobilitate evehitur ac roboratur; ita etiam virtutes, quæ non solis naturæ viribus, sed ejusdem ope gratiæ exercentur, et fœcundæ fiunt beatitatis perpetuo mansuræ et solidiores ac firmiores existunt.

Cum hac de naturalibus virtutibus sententia, alia cohæret admodum, qua christianæ virtutes universæ in duo quasi genera dispertiuntur, in *passivas*, ut aiunt, atque *activas;* adduntque, illas in elapsis ætatibus convenisse melius, has cum præsenti magis congruere. — De qua quidem divisione virtutum quid sentiendum sit, res est in medio posita; virtus enim, quæ vere *passiva* sit, nec est nec esse potest. « Virtus, » sic sanctus Thomas, nominat quandam potentiæ perfectio- » nem; finis autem potentiæ actus est; et nihil est aliud » actus virtutis, quam bonus usus liberi arbitrii (2) »; adjuvante utique Dei gratia, si virtutis actus supernaturalis sit. — Christianas autem virtutes, alias temporibus aliis accommodatas esse, is solum velit, qui Apostoli verba non meminerit: *Quos præscivit, hos et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui* (3). Magister et exemplar sanctitatis omnis

(1) In Ps. XXXI, 4.
(2) I. II. a. 1.
(3) Rom VIII, 29.

Christus est; ad cujus regulam aptari omnes necesse est, quotquot avent beatorum sedibus inseri. Jamvero, haud mutatur Christus progredientibus sæculis; sed *idem heri et hodie et in sæcula,* (1). Ad omnium igitur ætatum homines pertinet illud: *Discite a me quia mitis sum et humilis corde* (2); nulloque non tempore Christus se nobis exhibet *factum obedientem usque ad mortem* (3); valetque quavis ætate Apostoli sententia: *Qui sunt Christi carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis suis* (4). — Quas utinam virtutes multo nunc plures sic colerent, ut homines sanctissimi præteritorum temporum! Qui demissione animi, obedientia, abstinentia, *potentes* fuerunt *opere et sermone,* emolumento maximo nedum religiosæ rei sed publicæ ac civilis.

Ex quo virtutum evangelicarum veluti contemptu, quæ perperam *passivæ* appellantur, pronum erat sequi, ut religiosæ etiam vitæ despectus sensim per animos pervaderet. Atque id novarum opinionum fautoribus commune esse, conjicimus ex eorum sententiis quibusdam circa vota quæ Ordines religiosi nuncupant. Aiunt enim, illa ab ingenio ætatis nostræ dissidere plurimum, utpote quæ humanæ libertatis fines coërceant; esseque ad infirmos animos magis quam ad fortes apta; nec admodum valere ad christianam perfectionem humanæque consociationis bonum, quin potius utrique rei obstare atque officere. — Verum hæc quam falso dicantur, ex usu doctrinaque Ecclesiæ facile patet, cui religiosum vivendi genus maxime semper probatum est. Nec sane immerito: nam qui, a Deo vocati, illud sponte sua amplectantur, non contenti communibus præceptorum officiis, in evangelica euntes consilia, Christo se milites strenuos paratosque ostendunt. Hocne debilium esse animorum putabimus? aut ad perfectiorem vitæ modum inutile aut noxium? Qui ita se votorum religione obstringunt, adeo sunt a libertatis jactura remoti, ut multo pleniore ac nobiliore fruantur, ea nempe *qua Christus nos liberavit* (5).

Quod autem addunt, religiosam vivendi rationem aut non

(1) Hebr. XIII, 8.
(2) Matth. XI, 29.
(3) Philip. II, 8.
(4) Galat. V, 24.
(5) Galat. IV, 31.

omnino aut parum Ecclesiæ juvandæ esse, præterquamquod religiosis Ordinibus invidiosum est, nemo unus certe sentiet, qui Ecclesiæ annales evolverit. Ipsæ vestræ fœderatæ civitates num non ab alumnis religiosarum familiarum fidei pariter atque humanitatis initia habuerunt? quorum uni nuper, quod plane vobis laudi fuit, statuam publice ponendam decrevistis. — Nunc vero, hoc ipso tempore, quam alacrem, quam frugiferam catholicæ rei religiosi cœtus, ubicumque ii sunt, navant operam! Quam pergunt multi novas oras Evangelio imbuere et humanitatis fines propagare; idque per summam animi contentionem summaque pericula! Ex ipsis, haud minus quam e clero cetero, plebs christiana verbi Dei præcones conscientiæque moderatores, juventus institutores habet, Ecclesia denique omnis sanctitatis exempla. — Nec discrimen est laudis inter eos qui actuosum vitæ genus sequuntur, atque illos, qui, recessu delectati, orando afflictandoque corpori vacant. Quam hi etiam præclare de hominum societate meruerint, mereant, ii norunt profecto qui, quid ad placandum conciliandumque Numen possit *deprecatio justi assidua* (1), minime ignorant, ea maxime quæ cum afflictatione corporis conjuncta est.

Si qui igitur hoc magis adamant, nullo votorum vinculo, in cœtum unum coalescere, quod malint, faxint; nec novum id in Ecclesia nec improbabile institutum. Caveant tamen ne illud præ religiosis Ordinibus extollant; quin potius, cum modo ad fruendum voluptatibus proclivius, quam ante, sit hominum genus, longe pluris ii sunt habendi, qui, *relictis omnibus, sequuti sunt Christum*.

Postremo, ne nimiis moremur, via quoque et ratio, qua catholici adhuc sunt usi ad dissidentes revocandos, deserenda edicitur aliaque in posterum adhibenda. — Qua in re hoc sufficit advertisse, non prudenter, dilecte Fili Noster, id negligi quod diu experiendo antiquitas comprobavit, apostolicis etiam documentis erudita. — Ex Dei verbo habemus (2), omnium officium esse proximorum saluti juvandæ operam dare, ordine graduque quem quisque obtinet. Fideles quidem hoc sibi a Deo assignatum munus utillime exequentur

(1) Jac. V, 16.
(2) Eccli. XVII, 4.

morum integritate, christianæ caritatis operibus, instante ad Deum ipsum assiduaque prece. At qui e clero sunt idipsum præstent oportet sapienti Evangelii prædicatione, sacrorum gravitate et splendore, præcipue autem eam in se formam doctrinæ exprimentes, quam Tito ac Timotheo Apostolus tradidit. — Quod si, e diversis rationibus verbi Dei eloquendi, ea quandoque præferenda videatur, qua ad dissidentes non in templis dicant sed privato quovis honesto loco, nec ut qui disputent sed ut qui amice colloquantur; res quidem reprehensione caret: modo tamen ad id muneris auctoritate Episcoporum ii destinentur, qui scientiam integritatemque suam antea ipsis probaverint. — Nam plurimos apud vos arbitramur esse, qui ignoratione magis quam voluntate a catholicis dissident; quos ad unum Christi ovile facilius forte adducet, qui veritatem illis proponat amico quodam familiarique sermone.

Ex his igitur, quæ huc usque disseruimus, patet, dilecte Fili Noster, non posse Nobis opiniones illas probari, quarum summam *Americanismi* nomine nonnulli indicant. — Quo si quidem nomine peculiaria animi ornamenta, quæ, sicut alia nationes alias, Americæ populos decorant, significare velint; item si statum vestrarum civitatum, si leges moresque quibus utimini, non est profecto cur ipsum rejiciendum censeamus. At si illud usurpandum ideo est, ut doctrinæ superius allatæ, non indicentur modo, immo vero etiam cohonestentur; quodnam est dubium, quin Venerabiles Fratres Nostri Episcopi Americæ, ante ceteros, repudiaturi ac damnaturi sint utpote ipsis totique eorum genti quam maxime injuriosum? Suspicionem enim id injicit esse apud vos, qui Ecclesiam in America aliam effingant et velint, quam quæ in universis regionibus est. — Una, unitate doctrinæ sicut unitate regiminis, eaque catholica est Ecclesia: cujus quoniam Deus in Cathedra Beati Petri centrum ac fundamentum esse statuit, jure Romana dicitur: *ubi* enim *Petrus, ibi Ecclesia* (1). Quam ob rem quicumque catholico nomine censeri vult, is verba Hieronymi ad Damasum Pontificem usurpare ex veritate debet: « Ego nullum primum, nisi Christum, se- » quens, beatitudini tuæ, idest Cathedræ Petri communione

(1) S. Ambr. in Ps. XI, 57.

» consocior: super illam petram ædificatam Ecclesiam scio;
» quicumque tecum non colligit, spargit ».

Hæc, dilecte Fili Noster, quæ, singularibus litteris, officio muneris ad te damus, ceteris etiam fœderatarum civitatum Episcopis communicanda curabimus; caritatem iterum testantes, qua gentem vestram universam complectimur; quæ sicut elapsis temporibus multa pro religione gessit, majora etiam in posterum, Deo feliciter opitulante, præstituram portendit. — Tibi autem et fidelibus Americæ omnibus Apostolicam benedictionem, divinorum subsidiorum auspicem, amantissime impertimus.

Datum Romæ apud S. Petrum die XXII mensis Januarii MDCCCXCIX, Pontificatus Nostri anno vicesimo primo.

LEO PP. XIII

# Meditationes theologicæ

*(Sequitur. — Cfr. supra, tom. IV, pag. 129.)*

## § II.

### *De Deo, suprema veritate.*

151. Posita notione veri a philosophis explicata, statim intelligitur Deus qui, vi essentiæ suæ, utpote ipsum esse (αὐτὸ ὄν), infinite intelligibilis existit, esse ipsa Veritas ontologica, ac suprema objectiva Veritas increata. Eadem vero Dei essentia, quatenus divino intellectu infinite cognoscitur perfecteque comprehenditur, esse intelligitur ipsa Veritas logica atque summa increata Veritas formalis. Porro, divina essentia, quæ in se et ex se ipsa est absoluta Veritas, eadem, quatenus imitabilis ad extra et est et a divino intellectu cognoscitur, fundamentum et fons est ac mensura relativæ veritatis omnis possibilis; quatenus vero vim ac rationem dicit ideæ rerum actuosæ, principium et causa est omnis relativæ veritatis realis, quæ de creata rerum universitate actu prædicatur (1).

152. Itaque, sicut unum, ita et verum, quæ cum ente convertuntur, in divinis essentialiter dicuntur; sed, quemadmodum ex revelata Trinitate ipsa Dei essentia, necnon perfecta unitas divina perfectius intelliguntur (2), sic et divina Veritas.

Quæ ut percipiatur sufficiet fere recitasse S. Tho-

---

(1) Ita fere P. Schrader, Theses de div. intellectu, 36 et 37.

(2) Postquam id de unitate supra ostendimus, incidimus in textum præclarum Petavii, idipsum e Patribus explicantis, ad quem non remittere lectorem non possumus, *de Deo*, lib. II, cap. IV, n. VIII. Et Cfr. etiam S. Bonav., in 1, dist. II, q. 4.

mam; et primo quidem, *quæst. disput.* q. I, *de Veritate*, art. VII, ubi respondet ad quæstionem: « Utrum veritas in divinis personaliter vel essentialiter dicatur. Dicendum, *ait*, quod veritas in divinis dupliciter accipi potest: uno modo, proprie; alio modo, quasi metaphorice. Si enim proprie accipiatur veritas, tunc importabit æqualitatem divini intellectus et rei. Et quia intellectus divinus primo intelligit rem quæ est essentia sua per quam omnia alia intelligit, ideo et veritas in Deo principaliter importat æqualitatem intellectus divini et rei, quæ est essentia ejus, et consequenter intellectus divini ad res creatas. Intellectus autem divinus et essentia sua non adæquantur ut mensurans et mensuratum, cum unum non sit principium alterius, sed sint omnino idem: unde veritas ex tali æqualitate resultans nullam principii rationem importat, sive accipiatur ex parte essentiæ, sive ex parte intellectus, quæ una et eadem ibi est: sicuti enim ibi est idem intellectus et res intellecta, ita est ibi idem veritas rei et intellectus sine aliqua connotatione principii; sed si accipiatur veritas intellectus divini secundum quod adæquatur rebus creatis, sic adhuc remanebit eadem veritas, sicut per idem intelligit Deus se et alia, sed tamen addetur in intellectu veritatis ratio principii ad creaturas, ad quas intellectus divinus comparatur, ut mensura et causa. Omne autem nomen quod in divinis rationem principii, vel quod est a principio, non importat, vel etiam importat rationem principii ad creaturas, essentialiter dicitur. Unde in divinis, si veritas proprie accipiatur, essentialiter dicitur, tamen appropriatur personæ Filii, sicut ars et cætera quæ ad intellectum pertinent. Metaphorice autem vel similitudinarie accipitur veritas in divinis, quando accipimus eam ibi secundum rationem illam qua invenitur in rebus creatis, in quibus dicitur veritas secundum quod res creata imitatur suum principium, scilicet intellectum divinum, unde et similiter hoc modo dicitur veritas in divinis summa imitatio principii, quæ Filio convenit, et

secundum hanc acceptionem veritatis, veritas proprie dicitur de Filio, et personaliter dicitur, et sic loquitur Augustinus, in lib. de vera religione (1); » — « ubi dicit quod veritas divina est summa similitudo principii, sine ulla dissimilitudine, unde falsitas oritur (2). »

153. Cum hac doctrina S. Thomæ conferendum est quod *ibid.*, *q. IV de verbo*, art. 2, demonstrat, nempe oppositum dicendum esse de Verbo in divinis: Verbum, secundum quod in divinis metaphorice dicitur, prout ipsa creatura dicitur verbum manifestans Deum, proculdubio ad totam Trinitatem pertinere et essentialiter dici; secundum vero quod proprie dicitur in divinis, personaliter dici. Ratio autem discriminis est quod, quamvis veritas sit concepta per intellectum, nomine tam veritatis non exprimitur ratio conceptionis seu emanationis, sicut nomine verbi (3). Et in nobis quidem omne intelligere est dicere, quia aliter intelligere nos non possumus nisi conceptionem aliquam seu verbum interne exprimendo; in Deo vero non omne intelligere est dicere, ita ut ex ipso aliquid realiter procedat, quia in ipso intellectus et intellectum et intelligere idem est, quod in nobis non accidit (4).

154. Præterea respectum divinæ Veritatis ad res creatas in memoriam revocamus, ut supra, in fine num. 136, advertimus, nempe quomodo Verbum divinum a Patre procedat cum respectu radicali ad creaturas, tamquam Sapientia genita, archetypa rerum, quod et luculenter declarat Angelicus Doctor, in eadem *q. IV de verbo*, art. 4, ubi quærit an Pater dicendo Verbum dicat simul omnem creaturam. « In Deo, *ait*, ad hoc quod Verbum ejus perfectum sit, oportet quod Verbum ejus exprimat quidquid continetur in eo ex quo

(1) In corp. cit. art.
(2) In eod. art., ad 1m.
(3) Cf. q. 1 *de Verit.*, art. 7, ad 3m.
(4) Cf. q. 4 *de verbo*, art. 2, ad 5m.

oritur, et præcipue cum Deus omnia uno intuitu videat non divisim. Sic igitur oportet quod quidquid in scientia Patris continetur, totum hoc per unum ipsius Verbum exprimatur, et hoc modo quo in scientia continetur, ut sit verum Verbum suo principio correspondens per scientiam, et Verbum ipsius exprimat ipsum Patrem principaliter, et consequenter omnia alia, quæ cognoscit Pater cognoscendo seipsum; et sic Filius ex hoc ipso quod est Verbum perfecte exprimens Patrem, exprimit omnem creaturam. »

Sicut supra notavimus, n. 150, per distinctionem personarum in unitate divinæ essentiæ penitius explicari, quod ipsa quidem ratione duce jam intelligimus, scilicet omnia possibilia ab æterno esse Deo intelligibilia in infinitæ suæ essentiæ imitabilitate: ita nunc addere licet, per divinam veritatem, prout e revelatione Trinitatis magis elucet, intimius intelligi quomodo omnia possibilia sint a Deo actu intellecta in perfecta comprehensione suæ infinitæ essentiæ, nempe per hoc quod « Filius, ex hoc ipso quod est Verbum perfecte exprimens Patrem, exprimit omnem creaturam », ut modo ex S. Thoma audivimus.

Ex quibus etiam hoc notatu dignum deduci adjicimus, quod et Ferrariensis exponit (1): quod scilicet Verbum divinum prius intelligitur produci quam res intelligantur. Postquam enim recitavit verba S. Thomæ, ex parte 1, q. 34, art. 1, ad 3m; dicentis quod Pater intelligendo se, et Filium et Spiritum sanctum, et omnia alia quæ in ejus scientia continentur, concipit Verbum, ut sic tota Trinitas Verbo dicatur et etiam omnis creatura; sic pergit: « Hoc autem non sic intelligo quod prius secundum rationem Deus Pater intelligat quidquid naturaliter relucet in divina essentia, quam producat Verbum, ita quod ejus intellectio actualis prius ad rem cognitam terminetur. Nam, apud S. Thomam verbum

(1) In summam *c. Gent.*, lib. IV, cap. 13.

ponitur in intellectu ad hoc ut intellectus in rem intellectam feratur, quum per ipsum verbum sit res intellecta in actu completo quantum ad esse intelligibile et objectivum: et ideo non est prius ipsum intelligere, ut ad rem intellectam terminatur, quam sit verbi productio, alioquin nulla esset necessitas ponendi verbum propter intellectionem, sed e contrario prius oportet intelligere actum intelligendi producere verbum, quam terminari ad rem intellectam, ut in se est, tamquam ultimate terminans intellectionem. Verbum enim est id in quo videtur res intellecta. »

« Videntur autem ad hunc sensum accipienda esse verba et propositum S. Thomæ, scilicet quod Deus eodem actu intelligendi quo et se et omnia alia intelligit, concipit Verbum in quo et se et omnia alia intuetur, ita quod prius secundum nostrum modum intelligendi actus divini intellectus terminatur ad Verbum tamquam ejus productio, quam terminetur ad divinam essentiam et ad creaturas, tamquam ad res intellectas: et ideo quum dicitur Verbum divinum de scientia Patris originari, intelligendum est, aut accipiendo scientiam Patris per modum actus primi, non autem per modum actus secundi, aut etiam accipiendo ipsum actum secundum, qui est cognitio, ad hunc sensum quod ab illa cognitione procedit, qua Deus Pater et se et alia cognoscit, quæ quidem prius secundum rationem ad ipsum Verbum tamquam ad terminum per ipsam productum terminatur, quam ad se et ad creaturas, tamquam ad res intellectas. »

*(Continuabitur.)*

# Quæstiones pro Conferentiis

## mensis Maii

—

I

Explana Jo. III, 17: *Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.* Versiculum hunc compone cum Jo. V, 22, 27, necnon cum Jo. IX, 39.

II

Paucis ostende ex libris Esdræ et Nehemiæ infirmari potius quàm confirmari sententiam autumantium Pentateuchum mosaicum ab Esdra aut Nehemia mutatum, adauctum completumque fuisse.

III

Expone qua in re consistat essentia Justificationis.

IV

Expone notionem necessitatis medii et necessitatis præcepti.

V

Qua præmissa notione, ex verbis Institutionis, apud Joan. XX, 22 et 23, ostende sacramentum Pœnitentiæ esse ad salutem necessarium *necessitate medii*, *in re vel in voto*, pro omnibus fidelibus graviter lapsis.

VI

Quales debent esse hostiæ consecrandæ et quoties renovandæ sunt SS. Eucharistiæ particulæ?

# Responsa

## ad quæstiones in Conferentiis mensis Februarii propositas

—

### I

Q. *Explica Jo. I, 11 : « In propria venit, et sui eum non receperunt. 12 Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine ejus: 13 qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt ».*

R. 11. *In propria*, εἰς τα ἴδια, i. e. in mundum, seu potius (crescit enim oratio) in Judæam, ad populum israeliticum *venit* Verbum, per incarnationem (v. 14), *et sui*, οἱ ἴδιοι, i. e. homines, seu potius Judæi plerique *eum* fide *non receperunt*, credere in eum noluerunt.

12. *Quotquot autem* sive rari aliqui Judæi, sive Gentiles *receperunt eum* fide, eumque ceu Messiam agnoverunt (adverte hic adhiberi nominativum absolutum), *dedit eis potestatem*, ἐξουσίαν, i. e. liberam facultatem et potentiam, seu liberam animi dispositionem et aptitudinem (non vero prærogativam, privilegium seu dignitatem) *filios* (τέκνα) *Dei* adoptivos *fieri*, nimirum per baptismum actu aut voto susceptum, *his qui credunt in nomine* (εἰς τὸ ὄνομα, in nomen) *ejus*, i. e. credentibus in ipsum, hebraico loquendi modo. His ultimis verbis declarat Evangelista quid sit *recipere Verbum incarnatum*.

13. *Qui non ex sanguinibus... nati sunt*. Hoc versu exponit Evangelista qua ratione ii qui credunt in Verbum, *potestate* suâ usi, actu fiant filii Dei, nascendo scilicet ex Deo.

*Qui*, οἱ. Relativum hoc masculinum non potest (nisi forte constructio sit ad sensum) referri ad neutrum τέκνα Θεοῦ. Refertur igitur ad id quod proxime præcedit: *his*

*qui credunt in nomine ejus. — Non ex sanguinibus... viri.* « S. Joannes hic ponit antithesim humanæ generationis et divinæ, ut hujus præ illa præstantiam demonstret » a Lapide. Jam vero « Per *sanguines* causam generationis *materialem* indicasse videtur, adhibito, præter usum, plurali numero propter utrumque parentem (vel per hebraismum). Porro per *voluntatem carnis et voluntatem viri* intellexerit causam ejusdem *efficientem*, quæ a parte appetitus sensitivi est concupiscentia, ex parte vero appetitus intellectivi est voluntas. Ita S. Thomas. Quod autem dicitur *ex Deo nasci*, hoc profecto non est ex divina substantia gigni : quod unius Verbi proprium est; sed, Spiritus sancti virtute operante, *renasci* (Jo. III, 3) seu *justificari* (Rom. III, 24), *renovari spiritu mentis* (Ephes. IV, 23), per maxima et pretiosa promissa *effici divinæ consortem naturæ* (II Pet. I, 4), itaque ab eo statu in quo homo erat *natura filius iræ* (Ephes. II, 3) transferri in statum gratiæ et *adoptionis filiorum* (Rom. VIII, 15) Dei » Liagre.

*Nota.* Quamvis verè probabilis sit, minus tamen obvia nobis videtur sententia Beelen et Liagre, juxta quam per *filios Dei* designantur filii Dei *perfecte*, seu filiorum Dei hæreditatem per beatam immortalitatem consecuti.

## Animadverte

1. Quomodo Rex cœli et terræ quemvis hominem, etiam cerdonem, quem rex terrenus nolit agnoscere cognatum, paratus sit adoptare in filium : *Quotquot autem...*

2. Quanta charitate Filius Dei factus sit homo, ut homines redderet *filios Dei*. « Immensa philanthropia Filii Dei, dignantis viles homines admittere in filios Dei, fratres suos... Ut in humanis est, rarò fit, ut filius unicus fratres habere optet, multoque minus ut adoptivos habere desideret, si non habet nativos. Atqui Verbum Dei, unigenitus Filius Dei naturà, tanta chari-

tate hominum flagrat, ut consentiente Deo Patre, hominibus det posse esse filios Dei, reque ipsà filios Dei faciat, fratres et coheredes suos, sine invidia sua hereditatem suam cum hominibus communicans, hereditatem inquam regni cælorum, quamvis communicando nihil minus sibi retineat... Non possit hac re major aut honor aut dignitas hominibus accidere ». Luc. Brug.

3. Quam pura ac sancta, quam spiritualis ac divina sit hæc filiorum adoptivorum generatio: *Qui non ex sanguinibus... sed ex Deo nati sunt.* « Hoc autem dicit, ut remotâ à filiorum Dei generatione omnis immunditiæ opinione, ostendat quam sancta ac divina sit. Opponit humanam generationem divinæ, ut appareat quantopere divina humanæ præstet... Tanto enim hac sublimior est illa, quanto sublimius est Dei esse Filium, quàm hominis ». Ita fere Luc. Brug.

4. Quænam sit *conditio sine qua non* sublimis illius filiationis : oportet *recipere* Verbum incarnatum, seu *credere* in ipsum.

5. Quomodo tamen hæc conditio non sufficiat ut quis jam actu sit filius Dei: credentibus enim in Verbum incarnatum non datur *dignitas ut sint*, sed *potestas* seu libera facultas *ut fiant* filii Dei.

6. Quomodo hæc filiatio præcipue pendeat ab operatione Dei. Dicitur enim: *Filios Dei fieri*, non vero: *Filios Dei se facere.*

7. Quomodo eadem filiatio pendeat etiam à libera cooperatione voluntatis humanæ: *Dedit eis potestatem.* « Quia hanc dicimus potestatem, ubi voluntati adjacet facultas faciendi. Unde hoc quisque in potestate habere dicitur, quod si vult facit, si vult non facit » S. August. *De spiritu et littera*, C. XXXI.

8. Quam *universalis* sit hæc *potestas.* — Gloriati fuerant antehac Judæi se, utpote filios Abrahæ, esse filios Dei, et quidem solos ex omnibus gentibus. Jam vero hæc origo ex Abrahamo juxta Joannem nec sufficit (oportet enim *recipere* Verbum incarnatum, *credere* in ipsum) nec requiritur: *Quotquot enim... filios Dei fieri.*

9. Quænam sit differenta inter justos Veteris Testamenti et justos Novi Testamenti : « An non etiam ante incarnationem fuerunt quidam justi, ac proinde filii Dei, præsertim in populo Hebraico? Proculdubio, verùm et hoc ipsum profluebat ex merito incarnationis Filii Dei, quæ etiam antequam reipsa præstita esset, operabatur adoptionem filiorum Dei, in eis qui credebant futurum, et desiderabant videre ac recipere præsentem. Quamquam restat differentia quædam, inter illos filios Dei qui ante incarnationem vixerunt, et illos qui post: nam qui post, non solùm *conditione* sunt filii Dei, verum etiam *publico Ecclesiæ statu*, accommodato filiis Dei: qui vero ante vixerunt, licet conditione fuerint filii Dei, non tamen publico Ecclesiæ statu: status enim illius temporis servorum erat, accommodatus a Deo erat servis, et filiis parvulis nihil a servis adhuc differentibus, sub Lege tamquam sub pædagogo constitutis Gal. 3. v. 13; quamquam quidam illorum, multis filiis Novi Testamenti conditione præstantiores et Deo gratiores fuerint ». Luc. Brug. Hac de re fusius Toletus in h. l.

G. V. D. P.

II

Q. Explica quomodò angelus Raphaël citra mendacium asserere potuerit se esse *Azariam*, *Ananiæ magni filium*, *ex filiis Israël*, *ex tribu Nephtali*. Tob. V, 7, 18; VII, 3.

R. Præferebat angelus Raphaël Azariæ personam, formam ac similitudinem, ejusque proinde induere poterat ac debebat actiones et nomen. Sic « Angeli, qui in V. T. Dei nomine ac jussu locuti sunt, nequaquam veriti sunt, se Deum esse, testari, ut Gen. XXXI, 13; Exod. III, XX, et passim. Tragœdiæ actor, qui Cyri partes agit, Cyrus vocatur, et S. Augustini signum, sancti illius nomen gerit. Per somnium eas nos res

vidisse dicimus, quarum species se nobis dormientibus sistebant. Loquebatur itaque Angelus secundum formam, quam exteriùs gerebat, cuique ea, quæ Azariæ erant, congruebant. » Smitsius.

Voluit autem Deus angelum Raphaëlem personam suam tegere ac celare, erroremque utriusque Tobiæ, Raguelis aliorumque permittere, ut interea paternam suam providentiam et angelorum ministerium vividè ac suaviter demonstraret. « *Deus* quidem, (inquit Bernardus Hom. 2 sup. *Missus est*) si palam opus suum facere vellet, impediri non posset. Sed quia ipse, qui non solum potenter, sed etiam sapienter quæcumque voluit, fecit, in omnibus operibus suis quasdam rerum vel temporum congruentias, propter ordinis pulchritudinem, servare consuevit ». Jam verò in præsenti casu « Celavit (angelus) in primo nomine (Azarias) dignitatem, ne faceret locatori terrorem. Si enim diceret: Ego sum Angelus, non esset Tobiæ mercenarius. Servata (tecta) est dignitas nominis, ut postremò magnitudo claresceret dignitatis. » Ps. Aug. Serm. 47 in Append., alias serm. 226 de Temp. (ll. II Noct. off. S. Raphaelis).

Illud denique notandum, non omnino defuisse cur de persona angeli dubitaretur. Etenim juvenis erat splendidus (V, 5), Tobiæ sanationem prædixit (v. 13), bonum itineris exitum promisit (vv. 15, 20), genus suum inquiri quodammodo refugit (v. 17) etc. Quoad verò nomen assumptum, « cum *Azarias*, *auxilium Dei*, et *Ananias Gratiam* seu *misericordiam Dei* significent, hoc in sensu *Raphaël* asserere poterat, se esse *Azariam*, eò quod auxilium erat, à Deo *Tobiæ* missum; se esse *Ananiæ* magni filium, eò quòd summi Dei gratiæ et misericordiæ particeps, ac ejusdem esset nuntius. Planè eodem pacto se *Raphaëlem* nominat, quod nomen est à *rapha*, sanavit, et *El*, Deus, ac *Dei medicina* seu *medicus* interpretatur. Nec aliter *Michaël* et *Gabriël* hujusmodi nomen gerunt, nisi in ordine ad officium illis à Deo demandatum. — Erat porró Angelus *ex filiis Israël*, quia per amorem et

ministerium et Dei deputationem Israëlitis aderat, ac iisdem per verum illius cultum jungebatur. Similem ob rationem dici poterat *Nephtalita:* ac generatim Angeli nobis concives et contribules appellari queunt; quemadmodum Angelus se *Joannis* Apostoli *et fratrum* ejus conservum vocat, Apocal. XIX, 10 ». Smitsius.

G. V. D. P.

III

Q. *Explica quomodo assertum de impotentia morali hominis lapsi ad observandam totam legem naturalem non repugnet veræ doctrinæ de libertate humana.*

R. Duo exponenda sunt, nempe 1/ quænam præcipue tenenda sint de libertate humana, 2/ quomodo contra hanc doctrinam oriatur ex materia proposita difficultas, et quomodo hæc solvatur.

1. a/ Libertas, de qua in præsenti agitur, est *immunitas a necessitate physica,* seu ab intrinseca determinatione ad unum. Tunc libera est aliqua facultas quando hæc, positis omnibus ad aliquem actum eliciendum requisitis, potest illum elicere vel non elicere; libertas igitur importat activam indifferentiam qua facultas potest eligere unum præ altero; « ex hoc enim liberi arbitrii esse dicimur, quod possumus unum recipere, alio recusato, quod est eligere; et ideo naturam liberi arbitrii ex electione considerare oportet » (S. Thomas, 1, q. 83, a. 3). (Ad pleniorem rei expositionem cf. Bouquillon, *Theol. Mor. fund.* 2ª Edit. n. 312 et sqq.).

b/ *Hominem, etiam lapsum, gaudere libertate a necessitate relate ad bonum et malum, veritas est de fide tenenda.*

Etenim hanc docet S. Scr. quæ asserit voluntati hominis etiam lapsi adesse facultatem *eligendi* bonum et malum. Nam « Testes (ait Moyses ad populum) invoco hodie cœlum et terram, quod proposuerim vobis vitam et mortem, benedictionem et maledictionem. Elige

ergo vitam, ut et tu vivas et semen tuum et diligas Dominum Deum tuum atque obedias voci ejus » Deut. XXX, 19. « Deus ab initio constituit hominem et reliquit illum in manu consilii sui, (i. e. in potestate consilii sui seu liberæ suæ electionis) adjecit mandata et præcepta sua: si volueris mandata servare (hæc verba ad homines præsentes, homines lapsos, diriguntur a Scriptore inspirato) conservabunt te... Apposuit tibi aquam et ignem, ad quod volueris, porrige manum tuam: ante hominem vita et mors, bonum et malum (1) quod placuerit ei, dabitur illi. » Eccli. XV, 14 sqq. Quocirca testatur Scriptura *potestatem indifferentem faciendi et non faciendi* inesse voluntati. « Beatus dives, qui inventus est sine macula... qui potuit transgredi et non est transgressus, facere mala et non fecit » Eccli. XXXI, 8-10. Igitur docetur *hominem bene facere quia vult, non facere quia non vult.*

Concilium Tridentinum definivit: « Si quis liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum, et exstinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, immo titulum sine re, figmentum denique a Satana inventum in Ecclesia: anathema sit » (Sess. VI, can. 5, apud Denzinger *Enchir.* n. 697). « Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium a Deo motum et excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti... neque posse dissentire si velit... anathema sit » (Ibid. can. 4, l. c. n. 696) « Si quis dixerit non esse in potestate hominis vias suas malas facere... anathema sit » (Ibid. can. 6, l. c. n. 698).

c) Uti docetur in morali philosophia ac theologia, occurrunt quandoque homini quædam impedimenta ad actum liberum quæ, si adsunt, minuunt vel tollunt liberum: unde fit ut actus, qui natura sua sit graviter

(1) Non innititur argumentum his verbis « bonum et malum » quæ non inveniuntur in textu græco; sed substantia testimonii citati clare exprimit libertatem a necessitate relate ad bonum et malum morale.

peccaminosus, evadat, propter minutam libertatem, leviter tantum, vel propter defectum omnis libertatis, nullo modo culpabilis. In præsenti quæstione agitur de actibus perfecte liberis qui cum plena advertentia et pleno consensu a voluntate procedunt. Quando affirmatur impotentia moralis hominis lapsi ad observandam per longum tempus totam legem naturalem, intenditur hominem lapsum, auxilio gratiæ destitutum, non posse per longum tempus abstinere a peccato mortali *formali*.

2. Inde oritur difficultas in concilianda morali impotentia quæ importat quamdam necessitatem peccandi, cum existentia veræ libertatis requisitæ in ipso actu peccati formalis. Illa difficultas clarius, *in forma*, hoc modo proponi potest: quod est necessarium non est liberum. Atqui necessaria est transgressio legis naturalis pro homine lapso, secundum ea quæ supra exposita sunt. Ergo hæc transgressio non libera est, et consequenter non formale peccatum. Respondetur: Distinguo majorem: quod est necessarium necessitate physica, id non est liberum, *conc.;* quod est necessarium necessitate morali, *subd.* si necesitas hæc ipsum actum determinate afficiat, *trans.;* si non ipsum determinate afficiat, sed solum aliquem actum indeterminate, id non est liberum, *nego*. Contradistinguo minorem: transgressio legis naturalis est necessaria necessitate physica, *nego;* transgressio legis naturalis est necessaria necessitate morali, *subd.* necessitate morali quæ aliquam determinate transgressionem in individuo afficit, *nego;* necessitate morali quæ solum aliquam transgressionem indeterminate afficit, *conc.*

Sub datis distinctionibus nego consequens et consequentiam, et breviter explico. Si adesset physica necessitas ponendi aliquem actum peccaminosum, nulla certe in illo actu foret libertas et consequenter nullum formale peccatum: libertas enim formaliter importat immunitatem a physica necessitate seu immunitatem ab intrinseca determinatione ad unum. Unde si quis cogi-

taret impotentiam hominis ad observandam legem naturalem in eo sitam esse, ut tales occurrant tentationes quæ, uno vel altero momento, necessario determinent hominem ad consentiendum peccato, ille physicam impotentiam et physicam necessitatem conciperet, eamdem nempe ac illa quæ viget ex. gr. pro oculo qui, si objectum visibile ipsi sufficienter præsens est, non potest illud non videre: talis certe necessitas excludit omne liberum et omne formale peccatum.

Altera habetur necessitas, nempe moralis, quæ fundatur in difficultate magna aliquid faciendi vel omittendi. Ut in concreto loquamur, applicemus hanc notionem ad subjectam materiam: quia nimis difficile est homini lapso observare per longum tempus totam legem naturalem, ideo de facto homo, gratia destitutus, hanc in hoc vel in illo præcepto aliquando non observat: hoc intenditur quando affirmatur necessitas moralis peccandi contra legem naturalem. Unde talis necessitas de se non tollit usum libertatis. Attamen ut clarius appareat quomodo moralis necessitas peccandi non tollat usum libertatis, et simul ostendatur quomodo voluntas humana remancat essentialiter obligata ad legem naturalem, (1) adducitur subdistinctio: necessitas moralis quæ determinate afficeret aliquem actum in individuo, (puta peccaminosum), opponitur necessitati morali quæ omnino indeterminate se habet ad aliquem actum. Quoad priorem necessitatem plura occurrerent dicenda tum de

(1) Sponte enim exsurgit nova difficultas ad conciliandam necessitatem, licet moralem peccandi, cum usu libertatis et obligatione legis naturalis. Quum enim homo ratione essentiæ suæ ad totam legem naturalem obligetur, requiritur ut vires naturales sint vere proportionatæ naturalis legis observationi: unde hæc proportio non videtur componi posse cum necessitate morali peccandi; et si illa necessitas transgressionis legis naturalis asseritur, videretur potius dicendum vel hominem de facto in illis transgressionibus, quorum necessitas moralis affirmatur, non servare usum libertatis et ita has transgressiones esse mere materiales, vel non amplius urgere legem naturalem: ad hanc præcavendam objectionem ponitur subdistinctio.

ejus possibilitate, tum de modo quo salvaretur cum illa libertas, nec eadem forsitan ab omnibus daretur solutio: unde transmittitur hæc hypothesis: non enim verificatur in materia de qua agimus: tenemus enim necessitatem moralem peccandi qua laborat homo lapsus non respicere peccata quædam determinata sive ea abstracte et absolute spectentur, sive concrete et relative ad talem hominem in determinatis adjunctis. — (1).

Restat consideranda moralis necessitas indeterminate aliquem actum respiciens.

Hæc « eo redit ut propter infirmitatem habitualem humanæ naturæ, quæ prona est ad id quod non est conveniens rationi, fieri moraliter non possit longo tempore, ut semper libere voluntas adversetur inclinationi habituali naturæ » (Palmieri, *De Gratia actuali*, Thes. XXIX, n. VIII). De hac habituali inclinatione naturæ cf. Collat. Brug. T. IV, p. 72 seq. et 139 seq.

Cum morali hac necessitate bene componitur libertas: in singulis enim tentationibus et in quolibet momento durationis earum adest physica potestas peccato resistendi, quæ utique conjungi potest cum parva vel magna difficultate: attamen si homo velit totum adhibere conatum quo capax est, vincet tentationem: ideo peccat si male agit. Unde hæc impotentia moralis non est per determinationem ad unum quæ excludit libertatem, sed per inconstantiam et infirmitatem operantis, quæ libertatem supponit, et perfectioni libertatis, atque constan-

(1) Ne dicas cum hac explicatione necessitatem moralem peccandi jam non subsistere: « ut sit moralis impossibilitas ad omnia peccata vitanda sive ad semper recte absque ulla labe agendum, debet quidem esse moralis necessitas ut aliquod peccatum fiat: verum non est opus ut sit moralis necessitas alicujus peccati in serie actuum *determinati*, sed satis est esse moralem necessitatem ut aliquod *indeterminate* peccatum fiat. Hoc enim posito, jam falsum est posse omnia vitari peccata » (Palmieri, *De Gratia actuali*, Thes. XXIX, n. VIII: Hæc citata verba cl. auctoris directe spectant impotentiam moralem justorum vitandi omnia peccata venialia, sed, ut ipse notat auctor, (l. c.) hæc quoque accipi possunt de impotentia morali hominum, gratia destitutorum, servandi longo tempore universam legem.)

tiæ et fortitudini opponitur. (Cf. Suarez, De Gratia, L. I, cap. 24, n. 37; Palmieri, l. c.) — Cum eadem morali necessitate bene etiam componitur vera obligatio legis naturalis: nam moralis necessitas non respicit ullum determinatum præceptum nec ullam determinatam præcepti applicationem.

J. V. D. M.

IV

Q. *Explica qua ratione, in SS. Eucharistia*, vere nutriamur Corpore et Sanguine *Christi Domini*.

R. In Eucharistia nutrimur Corpore et Sanguine Christi, non sane *modo materiali*, quasi Corpus et Sanguis Domini, quemadmodum cibus et potus materiales, digerantur et in nostram substantiam physicam transeant et ita vitam nostram corporalem sustentent, augeant et refocillent; quod prorsus et undequaque repugnat modo quo Christus est præsens in SS. Sacramento. Atvero nobis sunt nutrimento *spiritualiter*, idque *mediate*, quatenus Corpus et Sanguis Christi, *prouti sacramentaliter constituuntur in habitu externo cibi et potus*, sub speciebus panis et vini, sunt titulus ad gratiam infundendam, gratiam inquam sanctificantem secundam, eamque specialem eucharisticam, quæ peculiari titulo nutriat animam in vita spirituali.

Id nempe quod nos communicantes proxime et immediate pascit est gratia eucharistica, cujus effectus nutritivus refertur ad Corpus et Sanguinem Domini quæ, sub specie cibi et potus nobis præsentia, titulus sunt illam gratiam exigens, utpote res et sacramentum.

Dictam autem gratiam vero sensu esse *nutritivam*, sicut et in signo sacramentali nutritiva significatur, statim ostendemus ducta analogia ab efficacia et effectibus cibi materialis in vitam corporalem, et comparatione instituta hujus efficaciæ cum efficacia gratiæ

sacramentalis et effectibus quos operatur in animæ vitam supernaturalem.

Cibus materialis 1/ sustentat vitam corporalem cique robur præstat et virtutem præservativam contra morbos insurgentes, 2 augmentum confert (incrementi capacibus) et pinguedinem, 3 deperdita ex usura continua restaurat et 4/ dulcedinem affert et delectationem quæ homini incitamento sit ad alimenta sumenda. Quos effectus operantur cibus et potus transeundo in ipsam substantiam corporis nutriti, cui assimilantur et incorporantur.

Jamvero 1°/ quod spectat *effectus* cibi materialis enumeratos, omnes et singulos operatur gratia eucharistica, quoad vitam supernaturalem animæ, in Sacramentum digne suscipiente. (1)

Importat enim hæc gratia *per se* (2) augmentum habitus gratiæ sanctificantis, quæ, qua specialis est, connexum habet fervorem charitatis in ipso actu communionis, et relationem dicit ad beneficia pecularia et gratias actuales abundantiores, ut conservetur et augeatur charitas tam in habitu quam in actu. Ex quibus sponte fluit summo jure ipsi adscribi vim et virtutem:

a/ *augendi* nostram vitam supernaturalem, cum hujus principium præcise sit gratia sanctificans et charitas divina; quo sensu vere excrescimus et adolescimus et saginamur spirituali et supernaturali pinguedine.

b/ eamdemque vitam *sustentandi* et roborandi contra ingravescentem spiritualem morbum peccati lethalis; augendo namque gratiam, firmat in nobis ipsum principium vitæ et copiosiorem nobis infundit vitalitatem,

---

(1) Cfr. Conc. Florent. in *Decreto pro Armenis*, apud Denzinger, *Enchiridion*, n. 593; item *catech. Conc. Trident.*, l, c., n. 48: « nam quos usus corpori panis et vinum affert eos omnes animæ saluti et jucunditati, meliori quidem ac perfectiori ratione, Eucharistiæ sacramentum præbet ».

(2) Dicitur *per se*, quia valde probabiliter *per accidens* confert gratiam *primam* in « eo qui est in peccato mortali cujus conscientiam et affectum non habet ». Cfr. S. Thom. III P., qu. 79, art. 3io.

non tantum in habitu sed et in actu, per fervorem charitatis quo habitus in actum ferventiorem prorumpat. Accedit quod, quo magis crescit in nobis charitas, eo magis minuitur fomes concupiscentiæ, quæ est origo peccati; quia, sicut dicit S. Aug. « augmentum charitatis est diminutio cupiditatis »; quod docet *catech. Conc. Trid.*, ad h. l., n. 33: « dum enim charitatis igne animos magis incendit, (cibus eucharisticus) concupiscentiæ ardorem restinguat necesse est ». Insuper, vi gratiæ qua sacramentalis est et specialis, providior circa nos vigilat divina Providentia, exteriores peccandi occasiones removens, dæmones procul pellens (1); necnon et intensiores præsto sunt gratiæ actuales quibus efficaciter adjuvemur ad superandas tentationes.

Quæ cuncta beneficia et auxilia eo tendunt ut validior et robustior sustineatur in nobis vita supernaturalis, in quantum nempe interius roboramur contra interiora corruptiva et simul munimur contra exteriores impugnationes; unde merito dicitur Eucharistia a Tridentino, ss. XIII, cap. 2: « antidotum quo a peccatis mortalibus præservamur ».

c/ Præterea vim habet eadem gratia *refocillandi* animam restaurando id quod spiritualiter in nobis deperditur quotidie « ex calore concupiscentiæ per peccata venialia ». S. Thom., l. c., art. 4°. « Quidquid enim, ait *catech. Conc. Trid.*, cupiditatis ardore anima amisit, dum levi aliqua in re parum offendit, id totum Eucharistia, eas ipsas minores culpas abstergens, restituit; quemadmodum etiam, quod innati caloris vi quotidie detrahitur ac deperit, paulatim addi et refici naturali alimento sentimus ». Cum enim contrarium tollatur per suum contrarium, uti dicit S. Thom., eodem in articulo,

(1) Cfr. S. Thom., l. c., art. 6°, in corpore: « In quantum est quoddam signum passionis Christi, per quam victi sunt dæmones, repellit omnem dæmonum impugnationem; unde Chrysost. dicit: « Ut leones flammam spirantes, sic ab illa mensa discedimus terribiles effecti diabolo ».

delentur peccata venialia per fervorem charitatis cui contrariantur (1).

Denique d/ *delectandi* spiritualiter animam communicantis, dulcedine et suavitate ineffabili, qua inebrietur anima dulcedine bonitatis divinæ, emanante ex illo manna divino ex quo omnis saporis suavitas percipiatur. Porro procedit illa delectatio spiritualis proxime ex fervore charitatis in ipso actu communionis excitato, in quo fervore actu convertimur in Deum amatum sentimusque Ipsum nobis amantibus intime præsentem, ex qua actuali percepta præsentia, conjunctione et fruitione amati ad amantem consequitur delectatio spiritualis, ad modum quo ex conjunctione cibi naturalis ad corpus, ex ejus masticatione et fruitione sponte sua enascitur dulcedo et delectatio corporalis. Cfr. Lugo, *De Euch.* disp. XII, n. 93.

2°/ quod *ipsum modum* attinet, quo operetur spiritualis esca effectus nutritivos modò descriptos, et ipse analogiam habet cum operandi modo cibi naturalis. Utraque enim alimonia nutrit illam sumentem per intimam unionem ad illum, per transformationem unius in alterum. Quemadmodum nimirum pascimur in corpore per intimam assimilationem cibi ad nostram substantiam, ita et in Eucharistia alit nos Christus quoad animam, per intimam unionem cum Ipso, per mutuam immanentiam, juxta evang. S. Jo., VI, 57: « qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo ». Nutrit namque nos *gratiâ et charitate*, qua sumus in Deo et Deus in nobis, sicut amans in amato, uti habetur in ep. 1ª S. Jo., IV, 16: « qui manet in charitate, in Deo manet et Deus in eo ».

Qua in unione, cum potentius trahat ad se debilius, alimentum eucharisticum non convertitur in comeden-

(1) Peccata venialia non contrariantur charitati quantum ad habitum, juxta dictum S. Thom., l. c., art. 4°, ad 2m, et ideo non videntur deleri *directe* per augmentum charitatis, sed tantum per fervorem charitatis quia contrariantur charitati quantum ad actum.

tem (sicut fit in cibo corporali qui transit in substantiam nutriti) sed eum ad se convertit ». In IV Sent., dist. XII, qu. II, art. 1°, sol. 1ª. « Neque enim hoc Sacramentum in substantiam nostram, ut panis et vinum, mutatur, sed nos quodammodo in ejus naturam convertimur; ut recte illud divi Augustini ad hunc locum transferri possit; cibus sum grandium; cresce et manducabis me: nec tu me mutabis in te, sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me ». *Catech. Conc. Trid.*, n. 48; charitate nempe transformamur in Deum qui nobis communicat vitam suam propriam, nos deificat et vivere nos facit vita divina, in consortium vocatos divinæ naturæ.

Ex quibus vides quomodo æquivalenter dici possit gratia sacramentalis, qua specialis est, vel esse nutritio animæ vel « adunatio hominis ad Christum (Conc. Florent., l. c.), vel « transformatio hominis ad Christum per amorem ». In IV sent., l. c.

Ut autem completa sit expositio, notandum remanet qua ratione effectus hucusque laudati proprii sint et peculiares Eucharistiæ, quum videri possent communes reliquis sacramentis saltem vivorum, quippe quæ et ipsa augeant gratiam sanctificantem et charitatem. Duplici nimirum titulo peculiariter adscribantur oportet SS. Sacramento:

1/ quia in augmento gratiæ *directa intentione intenditur* ipsum incrementum habitus charitatis qua uniamur, nutriamur, et transformemur in Christum. (1)

2/ quia cum gratia eucharistica, *in quantum est specialis*, talia præcise connectuntur beneficia et auxilia quibus perficiatur et compleatur nutritio animæ super-

(1) Cfr. Suarez, Disput. 63, S° 1ª : « Reliqua sacramenta vivorum non ordinantur per se *primo et directe* ad augendam charitatem propter solam majorem perfectionem ejus majoremque unionem cum Christo; sed ordinantur ad speciales effectus, propter quos conferunt specialia auxilia et aliquod augmentum gratiæ; atvero hoc sacramentum per se *primo ordinatur* ad perficiendam unionem cum Christo.

naturalis. Qualis, uti vidimus, signanter est fervor charitatis qui excitatur in ipso actu communionis necnon et postea accendetur per gratias actuales ad hoc uberius concedendas.

*Nota*. Caute ergo tractandæ sunt nec sensu proprio proponendæ vel interpretandæ locutiones, quæ ratione nimis materiali explicant modum quo unimur ad Christum in Eucharistia et quo nutrimur pane eucharistico, quatenus v. g. caro Christi fiat nostra caro, sanguis Domini misceatur nostro sanguini etc,.. De quibus cfr. *Rapport prononcé par le R. P. G. Lahousse*, in ultimo conventu eucharistico, Bruxellis celebrato anno 1898. Utiliter etiam leges librum cui titulus: « *La Grâce et la Gloire*, auctore P. Terrien, tom. II, l. VIII.

A. D. S.

V

Q. *Parochus solus in parœcia sua, die dominica, paulo ante Summum Sacrum, recordatur se gravis peccati esse reum, et, elicito actu contritionis, celebrat absque prævia confessione. Sequenti die (feriali), missam privatam dicit, nondum confessus.*

*Quæritur quodnam, quoties et quare præceptum, a Tridentino Sess. XIII, cap. 7° introductum, transgressus sit præfatus sacerdos?*

R. Ut methodice procedamus I/ principia statuemus quorum applicatione solvetur casus propositus, quæ quidem principia sponte innotescent ex concinniore explanatione legis Tridentinæ, quam commentarii instar præmittimus.

*Duplex* datur præceptum (1) Sess. XIII, cap. 7° statutum: *primum*, prohibens quominus *quivis Christianus*

(1) Relinquimus quæstionem utrum sit præceptum *mere* ecclesiasticum necne.

« sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali confessione ad Sacram Eucharistiam accedere debeat » ; *secundum*, decernens : « quodsi necessitate urgente *sacerdos* absque prævia confessione celebraverit, quamprimum confiteatur ».

A/ *Quod spectat 1m præceptum*, ad hoc ut urgeat, requiritur penes communicantem :

1°/ *conscientia peccati lethalis*, quam excludit dubium probabile, sive juris sive facti ; ideo lex nullatenus afficit illum qui prudenter dubitat utrum vere commiserit peccatum, utrum grave an leve, utrum jam in confessione sit expositum ; nec etiam illum qui ante celebrationem vel communionem recordatur peccati mortalis in confessione inculpabiliter obliti. Hoc ultimum contra Suarez, Disp. 67, sect. 7a et plures veteres.

2°/ requiritur *ut confessio non sit moraliter impossibilis* ante communionem vel celebrationem ; quod obtineret ubi ex una parte deest copia confessarii, et simul ex alia parte nequit omitti communio absque gravi incommodo. Quæ altera conditio per se intelligitur juxta principia generalia et in ipso textu legis indigitatur. Quodsi perduret defectus confessarii et eadem urgeat necessitas, nihil impedit quominus pluries quis celebret aut communicet, etsi non confessus.

Jamvero a/ deesse censetur copia confessarii quotiescumque confessarius approbatus datur nullus, vel, si detur, adiri nequit absque gravi et notabili incommodo, confessioni extrinseco. Quodnam autem in specie sufficiat, ulterius expositum lege apud AA. passim. Cfr. inter alios Suarez, disp. 67, S. 4a ; Salm., *De Euchar.*, cap. VII, P. III ; Lugo, *De Euch.*, Disp. XIV, nn. 82-106; S. Alph., VI, n. 264 et 265; Gury, II, n. 324; Ball.-Palm., *De Euch.*, n. 133 et seq.; Bucceroni, II, n. 570; Lehmk., II, n. 151 ; Lahousse, *De Euch.* n. 127; D'Annibale III, n. 408.

b/ Pariter inquirunt AA. circa gravitatem incommodi

requisitam ut dici possit urgere necessitas communicandi vel celebrandi. Omnes admittunt sufficere 1/ si alias viatico privaretur aut ipse sacerdos aut alius quivis moribundus, vel 2/ si secus profanationi exponeretur SS. Sacramentum vel 3/ si Sacrificium Missæ imperfectum esset relinquendum. Item 4/, et hæc est causa frequentior (1), periculum gravis infamiæ vel scandali exoriturum ex omissa communione vel celebratione. Tandem 5/ urget necessitas celebrandi, etiam seposito infamiæ vel scandali periculo, pro illis qui *ratione officii* celebrare tenentur, puta parochis, die dominica, ut populus audiat missam; quod subindicavit et ipsa Tridentina Synodus, cap. 7°. Cfr. Suarez l. c.; Lugo, l. c., nn. 107-118; Bucceroni, n. 569; Lehmk., n. 152; Lahousse, n. 127. Imo 6/ non improbabiliter a nonnullis, quibus contradicunt multi, excusatur et alius sacerdos, non parochus, si, deficiente confessario, absque prævia confessione celebret ut populus præcepto audiendi missam satisfaciat. Hæc nempe ratio non minus valida videtur quam illa quam implicite approbat Tridentinum, nimirum ut parochus *officio suo fungatur*. Cfr. Ball.-Palm., l. c., n. 127 et seq. Cæterum in casu sæpe sæpius aderit periculum infamiæ vel oblocutionum.

B/ 2m *præceptum* obligat *sacerdotem* dumtaxat, non laicum, eumque solum qui *conscius peccati mortalis* (juxta dicta sub A-1°) *celebravit* (ergo non illum qui more laicorum communicavit, nec forsan et illum qui post consecrationem primùm factus est peccati memor, quippe qui stricto sensu jam non possit dici *celebrasse* cum conscientia peccati), *necessitate urgente*, adeo ut præcepto Tridentino non subjaceat sacerdos qui ex malitia non dubitaverit missam celebrare cum reatu noxæ mortalis.

---

(1) Ita communiter obtinet pro laico jam assidente scamno communionis; pro sacerdote, inchoata jam missa, nisi forsitan brevissime et, advertente nemine, posset confiteri sacerdoti assistenti etc.

« *Quamprimum* » per se interpretare: cum primum potuerit confiteri citra grave incommodum; unde minime sufficit si confiteatur tempore suo, quemadmodum constat ex propositione 39ª, expresse reprobata ab Alex. VII, qui pariter declaravit ibi agi non de consilio sed de mandato. (Denzinger, *Enchir.* nn. 1009 et 1010); nec etiam satis est quod confessurus accedat ante proximam celebrationem, quia sic frustraneum evaderet hoc 2ᵐ præceptum Concilii Tridentini.

Non tamen stricte est inhærendum vi verbi, et, ratione habita naturæ præcepti, (1) secure quis sequetur interpretationem doctrinalem, apud AA. communissimam (2), quatenus « quamprimum » *per se* valeat: « *intra triduum* »; cui communi determinationi si quis non inhæreat, ægre, in solvendo casu practico, anxietates vitabit.

Dicitur *per se*, quia advertunt AA. dictam obligationem *per accidens* posse citius incumbere sacerdoti, versanti in præhabitis adjunctis, nimirum si ante triduum ipsi occurrat copia confessarii *diu abfutura*, vel si ante triduum intendat celebrare.

Sedulo tamen notatum velimus, quod quidem in priori casu obligaretur sacerdos *vi* 2ⁱ *præcepti* Tridentini, de confitendo quamprimum, quod præceptum hic anticipare teneretur; non vero in altero casu, in quo ad confessionem adstringitur unice *vi primi præcepti*, vetantis ipsi missæ celebrationem absque prævia confessione. Unde si celebrat (extra necessitatis casum) *ante triduum*, nondum confessus, unum tantum præceptum violat; utrumque vero si *post triduum* celebrat; nullum autem si infra triduum a missa abstinet. (3)

II. *Solutio casus propositi.* 1°/ Parochus, celebrando die dominica, absque prævia confessione nullum infregit

(1) Cfr. Lugo l. c. nn. 158 et seq.

(2) Cfr. AA. citatos quasi omnes, quibus adde illos quos adducit S. Alph., VI, n. 266.

(3) Excipe juxta modò dicta casum quo infra triduum omittit confessionem, quam prævidet diu fore impossibilem.

præceptum Tridentinum, quia ipsi moraliter impossibile erat confessionem missæ præmittere.

Aderat enim necessitas celebrandi (titulo, juxta quosdam, duplici) quia, qua parochus, ex officio debebat missam celebrare ut populus præcepto satisfaceret missam audiendi. Insuper in casu difficulter declinaret periculum infamiæ vel scandali in plebe, eo vel magis quod paulo tantùm ante summum Sacrum recordatur peccati. Simul etiam deerat copia confessarii, uti patet ex tenore casus propositi.

2°/ Die sequenti, missam dicendo, vix effugere potest reatum prioris præcepti Tridentini infracti. Jam enim difficulter ipsi deesse dicetur copia confessarii adeundi per diem dominicam integram. Quod etiam si fieri posse admittamus, ulterius desideratur urgens necessitas celebrandi ; agitur enim de die feriali et de missa privata, quæ communiter omitti poterit absque graviore incommodo, nisi res sit de missa privata exequiali aut alia consimili, ad quam ex officio tenetur parochus aut quam absque oblocutionibus omittere nequit. Salvo igitur casu exceptitio, utique possibili sed parum frequenti, peccavit parochus celebrando non præmissa confessione. Non tamen, si attendantur dicta sub finem ad I, dicetur transgressus esse *secundum* præceptum Tridentinum, de quamprimum confitendo, nisi casu quo omiserit confessionem prævidens confessarium diu defuturum.

*Verbo :* violavit *semel priorem* legem Tridentinam de confessione præmittenda communioni, nimirum feria IIª celebrando ; nullatenus vero (salva restrictione facta) violavit mandatum *alterum* de confessione quamprimum peragenda.

A. D. S.

## VI

Q. *Quibusnam in casibus, et sub quibusnam conditionibus potest simplex confessarius, extra mortis articulum, absolvere a censuris R. P. reservatis?*

R. 1° « *In casibus vere urgentioribus*, in quibus absolutio differri nequeat absque periculo gravis scandali vel infamiæ, super quo confessariorum conscientia oneratur » ; vel etiam « in casu quo nec infamia nec scandalum est in absolutionis delatione, sed durum valde est pro pœnitente in gravi peccato permanere per tempus necessarium ad petitionem et concessionem facultatis absolvendi a reservatis » ; cuilibet sacerdoti approbato licet absolvere, « injunctis de jure injungendis, a censuris etiam speciali modo Summo Pontifici reservatis, sub pœna tamen reincidentiæ in easdem censuras, nisi saltem infra mensem per epistolam et per medium confessarii absolutus recurrat ad S. Sedem ». Dec. S. Officii 23 Junii 1886, et 16 Junii 1897 (*Nouv. rev. théol.*, T. XVIII, p. 378 ss., et T. XXIX, p. 540 ss.; *Collationes brugenses*, T. II, p. 594).

Quotiescumque igitur necessitas declinandi infamiam vel scandalum instat, vel etiam quando, absque tali necessitate, pœnitenti durum valde est in statu peccati permanere donec petatur et concedatur facultas ipsum absolvendi (merito durum valde videri potest in peccato manere per unum alterumve diem), quilibet confessarius potest ab omnibus censuris, etiam speciali modo R. P. reservatis (haud excepto casu complicis) *directe* absolvere (dec. S. Officii 19 Aug. 1891 ad 3$^{m}$, 30 Martii 1892 ad 6$^{m}$, et 16 Junii 1897 ad 1$^{m}$), sub hac tamen duplici conditione :

a Ut pœnitenti injungantur quæ de jure injungenda sunt. Sic, præter alia, absolvendo injungendum est ut eo quo fieri potest meliori modo scandalum, si dederit, reparet; ut ei, ob cujus offensam censuram incurrit,

prius, si potest, satisfaciat, vel si nequeat, cautionem idoneam præstet; vel saltem juret aut promittat se, quum primum poterit, satisfacturum, et, si crimen sit de atrocioribus, aut de percussione clericorum agatur, se nunquam in illud relapsurum (1). Insuper, pro varia delicti natura, speciales sæpe conditiones pœnitenti præscribendæ sunt. Si quis v. g. obvium haberet sacerdotem qui complicem absolvisset, eidem imponere deberet ut ab excipienda in posterum personæ complicis confessione prorsus abstineat, vel, si id citra grave scandalum facere non possit, ut aliis saltem remediis severioribus periculum novi lapsus præcaveat, etc.; item pro absolutione illorum qui sectis vetitis nomen dederunt, requiritur ut « a respectiva secta omnino se separent, eamque saltem coram confessario ejurent seu detestentur ». Dec. S. Officii, 5 Augusti 1898 (*Collationes brugenses*, T. III, p. 644). Cf. *Nouv. rev. théol.*, T. XXII, p. 415, et T. XXIV, p. 315 ss. et p. 634 ss; Theol. Mechl., *De Censuris*, ed. 2ª, pp. 53 et 83, ubi similes clausulæ breviter explicatæ inveniuntur.

b/ Tenetur absolutus, sub pœna reincidentiæ in easdem censuras, infra mensem novam absolutionem petere a confessario facultatem habente, vel saltem per epistolam et per medium confessarii ad S. Sedem, hoc est ad S. Pœnitentiariæ Præfectum, recurrere. Hæc obligatio existit, et quidem sub pœna reincidentiæ, etiam pro iis qui a censuris *simpliciter* Papæ reservatis absoluti fuerint (S. Off. 17 Junii 1891 ad 2m); neque ab ea excusat « hodierum periculum ne aperiantur epistolæ a potestate civili, cum in precibus nomina et cognomina sint supprimenda » (S. Pœnit. 7 Nov. 1888 ad 7m). Pœnitens tamen « non tenetur per eumdem confessarium qui eum absolvit recurrere, sed potest id præstare per

(1) Juramentum et cautio pignoratitia ad externum forum pertinent. Quoad forum internum, sufficit simplex et sincera promissio de satisfaciendo, de stando mandatis Ecclesiæ, etc. Cf. Lehmkuhl, *Theol. mor.*, T. II, n. 878; Bucceroni, *Theol. mor.*, T. II, n. 1103.

alium confessarium, et etiam per se ipsum directe, quando intercedit rationabilis causa, mentito nomine » (S. Pœnit. 28 Maii 1888). Sic, « quando missionario occurrit pœnitens censuris innodatus et transiens obiter, ita ut missionarius non possit iterum pœnitentem videre, sufficit exigere a pœnitente promissionem scribendi, tacito si vult nomine, ad S. Pœnitentiariam infra mensem, et standi illius mandatis, quin confessarius ipse scribat » (S. Pœnit. 7 Nov. 1888 ad 6m). Imo, « quando neque confessarius neque pœnitens epistolam ad S. Pœnitentiariam mittere possunt, et durum sit pœnitenti adire alium confessarium, in hoc casu licet confessario pœnitentem absolvere etiam a casibus S. Sedi reservatis absque onere mittendi epistolam » (S. Off. 9 Nov. 1898). Cf. *Nouv. rev. théol.*, T. XVIII, p. 582 ss.; T. XXII, pp. 357 ss. et 411 ss.; T. XXIV, pp. 158 ss., 315 ss,, et 391 ss.; T. XXIX, p. 540 ss., et T. XXXI, p. 49 ss.; *Analecta ecclesiastica*, an. 1898, p. 374 ss., et an. 1899, p. 5; Lehmkuhl, *Theol. mor.*, T. II, n. 410 ss. coll. n. 874 ss.

2° Extra prædictos casus, et secluso mortis articulo, simplex confessarius non potest a censuris R. P. reservatis absolvere, nisi speciali gaudeat potestate ipsi delegata; sive hæc directe fuerit ipsi concessa, ut si v. g. *Folium S. Pœnitentiariæ* obtinuerit, sive concessa fuerit mediante Episcopo vi cap. *Liceat* aut indulti a S. Sede obtenti, sive ipsi competat ex privilegio pœnitentibus concesso. (1)

Circa hanc delegatam potestatem notentur sequentia:

a/ In quibuscumque concessionibus ac privilegiis, quæ ab Apost. Sede concedi cuivis contigerit, nullo modo ac ratione intelligi unquam debet aut potest comprehendi facultas absolvendi a casibus et censuris quibuslibet Romano Pontifici reservatis, *nisi de iis formalis*,

(1) Quanam autem potestate ab Episcopo delegata gaudeant confessarii diœceseos Brugensis, videre est in *Tract. de cas. reserv.*, p. 20 ss.

*explicita ac individua mentio facta fuerit.* Const. *Apost. Sedis.*

b/ *Generalis* concessio absolvendi a casibus et censuris, sive excommunicationibus Romano Pontifici reservatis, nullo pacto sufficit ut quis absolvere valeat ab excommunicationibus quarum absolutio R. P. *speciali modo* reservata est. Pro his enim *specialis* requiritur delegatio. « Absolvere autem præsumentes sine debita facultate, etiam quovis prætextu, excommunicationis vinculo R. P. reservatæ innodatos se sciant ». Const. *Apost. Sedis.*

c/ In facultate absolvendi ab *omnibus* omnino casibus et censuris etiam speciali modo R. P. reservatis, non comprehenditur absolutio a casu *complicis.* (1)

d/ Ille qui ab Episcopo accepit facultatem simpliciter absolvendi a casibus reservatis, ideo tamen non habet facultatem absolvendi a casibus pontificiis, etsi facti sint episcopales, nisi specialiter id ipsi concedatur. Neque, qui haberet facultatem absolvendi a casibus Papæ reservatis, ideo posset absolvere a casibus Episcopo reservatis Cf. cit. *Tract. de cas. reserv.*, p. 17.

Cæterum, casu quo confessarius generalem petit facultatem absolvendi a casibus et censuris in decursu ejusdem confessionis occursuris, « hæc est mens Episcopi concedentis, ut tribuat facultatem absolvendi ab omnibus casibus et censuris, a quibus absolvi eget pœnitens, exceptis semper duobus expresse et specialiter petendis, nempe casu absolutionis complicis et falsæ denuntiationis ». Cf. cit. *Tract. de cas. reserv.*, p. 30.

e/ Quamvis de jure communi confessarius, qui legitima gaudet potestate absolvendi a censuris reservatis, eam possit, præterquam in jubilæo, extra confessionem exercere; de jure tamen particulari Diœcesecos Brugen-

(1) Item, semper excipitur casus *falsæ denuntiationis confessarii*, qui absque censura specialissimo modo reservatur Summo Pontifici. Cf. Ben. XIV, Const. *Sacramentum pœnitentiæ.*

sis, idem præstare non valet, nisi specialem ad hoc habuerit commissionem. Cf. cit. *Tract. de cas. reserv.*, p. 17.

C. V. C.

# Evangelia Dominicarum

## Dom. IX post Pentec.

*Jesus Jerosolymæ cladem prædicit ac deflet, negotiatoresque e templo ejicit.* Luc. XIX, 41-47. Cf. Matth. XXI, 12, 13; Marc. XI, 15-17.

* * *

Te dien tijde, 41 toen Jesus nabij Jerusalem kwam, en de stad zag, weende hij over haar, zeggende: 42 Och of gij ook bekendet, toch nog op dezen uwen dag, wat tot uwen vrede dient! Maar nu is het verborgen voor uwe oogen. 43 Want er zullen over u dagen komen, dat uwe vijanden u met eenen wal zullen omgeven, en u omsingelen, en u van alle zijden benauwen; 44 en zij zullen u ten gronde toe verdelgen, en uwe kinderen in u, en niet eenen steen zullen zij in u op den anderen laten, omdat gij den dag uwer bezoeking niet bekend en hebt.

45 En in den tempel gegaan zijnde, begon hij uit te drijven die daarin verkochten en kochten, 46 tot hen zeggende: Er staat geschreven: Mijn huis is een huis des gebeds, maar gij hebt er een roovershol van gemaakt. 47 En hij leerde dagelijks in den tempel.

* * *

### Notationes

41 *Cum appropinquaret Jesus Jerusalem,* civitate scilicet jam in conspectu posità, cum descenderet ex monte

Oliveti, *flevit super illam*, « id est, propter illam, cùm perpenderet, hinc ejus ingratitudinem, obduratamque cæcitatem, illinc verò impendentium calamitatum magnitudinem. Flevit ergo intimo compassionis affectu, in mediis festivis acclamationibus et gaudiis, ut ostenderet non sibi honorem illum, sed salutem civitatis esse cordi. Hoc contigit eodem loco ac tempore anni, quo postea Romani castra posuerunt, ut patet ex Josepho lib. 6 de bello Jud. c. 3 et 4.

42 *Quia si cognovisses et tu;* quasi diceretur: o si cognovisses etiam tu, videlicet sicut ego, et hæc turba discipulorum meorum! Sed quid? nempe, *quæ ad pacem tibi*, supple pertinent. *Pacis* autem nomine Hebraico more intelligitur salus ac prosperitas: q. d. Utinam intelligeres ea, ex quibus salus tua ac prosperitas dependet, nempe me Salvatorem tuum præsentem, fidem ac prædicationem meam: *et quidem in hac die tua*, quà te Deus adhuc benignis oculis aspicit, dum te per meipsum, tamquam humilem et mansuetum Regem, ad salutem tuam visitat. Abruptus est sermo, sicut flentium, et ex intimo pectore gementium esse solet, quibus affectûs vehementia interrumpit orationem. *Nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis*, id est, ignota tibi sunt, supple ea, quæ faciunt ad pacem et salutem tuam: nimirum quia mentis oculos claudis, ne agnoscas. Non enim hoc dicitur ad levandam culpam ejus, sed ad arguendum stuporem.

43 *Quia venient dies in te, et circumdabunt*, id est, in quibus circumdabunt *te inimici tui vallo*. De Romanis loquitur, qui ducibus Tito et Vespasiano totam civitatem uno continuo vallo circumcinxerunt, triginta novem stadiorum longitudine, tridui labore, ita ut nemini pateret introitus vel exitus. Hinc orta fames intolerabilis; qua de re vide Josephum l. 6 de bello Judaico c. 13. Et hoc est, quod adjicit, exponendo, *et circumdabunt te*. Græce aliud verbum est à præcedente, και περικυκλωσουσι σε, id est, et in circuitu te cingent: ex quo sequitur,

quòd *coangustabunt te undique*, id est, ad illas angustias te redigent, ut fame et miseriis pereas. Nam hinc præcipue factum est, ut toto obsidionis tempore undecies centena millia perierint.

44 *Et ad terram prosternent te*, id est, solo te æquabunt ac destruent, te *et filios tuos*, id est, cum civibus seu incolis tuis. *Et non relinquent lapidem super lapidem*, id est, lapidem lapidi cohærentem. Phrasis hyperbolica est, nihil aliud significans, nisi extremam ejus eversionem ac desolationem, q. d. funditus destrueris. Quod completum esse testis est Josephus lib. 7 c. 18, ubi dicit Cæsarem jussisse totam funditus erui civitatem ac templum. Itaque civitatis ambitum ita complanavere diruentes, ut qui ad eam accessissent, inquit, habitatam aliquando esse vix crederent. Relictæ tamen fuerunt tres turres, et muri pars occidentalis, ut esset indicium posteris, qualem civitatem expugnasset. Postea tamen et illa destructa sunt, civitate in alium locum translatâ, ut perfectius Christi prophetia impleretur. *Eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ*, quo scilicet te Deus per Filium suum visitavit, doctrinaque et miraculis ad pacem et salutem provocavit. Quo significat causam perditionis ejus fuisse ingratitudinem et impietatem in Filium Dei » Jans. Ipr.

Porro duo *circa Domini fletum* sunt notanda : « Primùm, quàm Dominus nihili fecerit mundanam illam gloriam et honorificas populi acclamationes, cùm inter eas etiam flere libuerit. Secundò, quanta charitate civitatem ingratam, et se persequentem prosecutus fuerit, cùm inter tam faustas populi aggratulationes recogitans mala civitati nobilissimæ et florentissimæ ob ipsius cæcitatem obventura, adeo est misericordia commotus, ut etiam lacrymas profuderit non super se occidendum a Hierosolymitanis, sed *super illam,* id est, propter illam et illius exitium. Adimpletum est sane nunc in Christo illud Psalmi : *Si oblitus fuero tui Hierusalem, oblivioni detur dextera mea. Si non proposuero Hierusalem in principio lætitiæ meæ* » Jans. Gand.

Ulterius « ex hoc fletu et verbis istis Domini discendum nobis *imprimis*, quàm Dominus non gaudeat, sed plane doleat interitum impiorum, ut verè per Prophetam (Ezech. 33) dixerit : *Nolo mortem peccatoris, sed magis convertatur et vivat;* et subjicit veluti lamentando : *Convertimini, convertimini a viis vestris pessimis, et quare moriemini domus Israel?* Et Jerem. 8 significat quàm desideret et expectet peccatorum pœnitentiam, dicens : *Numquid qui cadit, non resurget? et qui aversus est, non revertetur?* Ubi etiam post pauca conqueritur populum Israeliticum non cognoscere ea quæ ei ad pacem offeruntur et tempus visitationis suæ. *Milvus*, inquit, *in cœlo cognovit tempus suum, turtur et hirundo, et ciconia custodierunt tempus adventûs sui, populus autem meus non cognovit judicium Domini.*

Discendum *secundò*, quod et nos exemplo Christi ex animo dolere et deplangere debeamus impiorum cæcitatem et perditionem, etiamsi sint inimici, eorumque perditionem deplorandam magis quàm mala quæ ab eis nobis inferuntur, quomodo David deflevit mortuum Saul et Absalon. Sic et Jeremias (4) prævidens vastationem Judaici populi : *Ventrem*, inquit, *meum doleo, ventrem meum doleo, sensus cordis mei turbati sunt in me, non tacebo, quoniam vocem buccinæ audivit anima mea, clamorem prœlii.* Et post pauca subjicit causam vastationis similem ei quæ hic redditur : *Quia stultus populus meus me non cognovit, filii insipientes sunt et vecordes : sapientes sunt ut faciant malum, bene autem facere nescierunt.*

Discendum *tertiò*, quam grave et intolerabile sit futurum gehennæ supplicium, cùm temporale Hierusalem excidium tantum prævisum a longe Christo etiam excusserit lacrymas, quod tamen longe inferius est supplicio æterno, utpote cujus illud tantùm est umbra quædam et exemplum, quemadmodum Petrus subversionem Sodomæ et Gomorrhæ factam testatur (II Petr. II) in exemplum æterni supplicii, parati iis qui impiè agunt.

Cavendum proinde etiam nobis, ne similiter lacrymis Christi et eorum qui Christi exemplum induerunt, digni simus, si cum terrena Hierusalem etiam nos qui delecti sumus ut essemus Deo civitas sancta et Hierusalem spiritualis, non agnoscamus, nec amplexemur varias salutis et pacis occasiones, quæ a Deo nobis peculiariter Christianis offeruntur. Nunc enim nostra dies est, in qua ea curare possumus quæ ad pacem pertinent. Venient alii dies qui non nostri erunt, sed divinæ remunerationis, quando qui oblatas modo salutis occasiones non sunt amplexi, tradentur inimicis suis, dæmonibus scilicet, torquendi, qui eos veluti vallo circumdatos, ita in inferni pœnis concludent et coarctabunt, ut nullum unquam egrediendi locum sint concessuri, fame, gladio, et peste, hoc est, dirissimis tormentis et morte æterna eos affligentes ». Jans. Gand.

45 *Et ingressus in templum, cœpit ejicere vendentes in illo, et ementes etc.* « Ex hoc Domini facto, ejusque verbis discendum nobis quanta cum religione versandum sit in domo Dei, et quàm impie nimis profanentur a plerisque templa Christianorum, quibus tamen longè plus debetur meritò reverentiæ quàm templo debebatur Hierosolymitano, ob veriorem Dei in ipsis præsentiam, et sacramentorum sacratiorem administrationem. Si enim tantam Dominus (alioquin ubique omnem mansuetudinem præ se ferens) indignationem ostendit in eos qui vendebant et emebant in templo quæ ad cultum Dei pro illo tempore erant necessaria ex Dei statuto, quàm detestandum in templis Christianorum similem fieri mercatum earum rerum, quæ etsi piè pro Dei et Sanctorum cultu adhibentur, non tamen ex Dei constitutione sunt introductæ.

Et ut hoc parvi momenti esse videatur, quod tamen Christo non est visum parvum, quàm intolerandum est domos Dei, quæ deberent esse domus orationis, fieri domos fabularum, et negociationis etiam rerum plane profanarum?

Omnium autem maxime id dolendum, plerosque cultui divino deputatos, etiam ex sacris rebus, quas in templis, ipsisque adeo templorum adytis tractant, nec vendi possunt, avidissime lucrum quærere, ut, vel solius lucri temporalis gratia, vel potissimùm lucri respectu sacris actibus occupentur, tanto graviùs peccantes præ his qui jam ejecti sunt a Domino, quanto pejus est sacra quæ vendi non possunt, vendere, quàm animalia quæ vendi poterant.

At his omnibus cogitandum est, quòd quemadmodum ob templi inhonorationem aliquoties Dominus quosdam severè ejecit è templo: ita illos severissime è Sanctorum consortio suo tempore est ejecturus. Cogitandum item se templi ingressu, et sacrarum rerum participatione et tractatione non fieri sanctiores, sed coram Deo reputari velut latrones, ac templum Dei illis coram Deo reputari speluncam latronum. Et hæc quidem juxta historiam.

Mystice autem docemur, quòd quandoquidem et nos singuli facti sumus templum Dei sanctum, in quo longe veriùs Deus habitat, quam in quovis templo materiali, non debet domus pectoris nostri esse domus sollicitudinum temporalium, sed præcipue in ea vigere devotionem, gratiarum actionem, ac omnem pietatem oportet.

Rursùm mysticè templum Dei est Ecclesia Christi, e quâ Christus ejecturus est quotquot emunt aut vendunt sacra, et altaria Dei per suam avaritiam faciunt mensas numulariorum, ac dona Spiritus sancti veluti columbas pretio largiuntur. Sic D. Hieronymus ». Jans. Gand.

G. V. D. P.

# Ordo Missæ

SEU

## precum et ceremoniarum Missæ interpretatio

—

*(Sequitur. — Cfr. suprà pag. 163.)*

—

Jam ipsum hymnum angelicum breviter explicemus: *Gloria... voluntatis.* Hæc angelorum verba aptius, ut videtur, sensu optativo explicantur, q. d. « Gloria sit in altissimis Deo, id est laudetur et glorificetur Deus in cœlo, omnes cœlites benedicant et glorificent Deum, quod dignatus sit christum mittere in terram, ut in ea incarnatus hominibus pacem, id est reconciliationem, gratiam, salutem omniaque bona afferat. Laudent ergo Deum cœlum et terra; jubilent illi cœlites omnes et terrigenæ, quia natus est Christus, qui est gloria Dei, gaudium angelorum, pax hominum... Pax sit hominibus, hominibus, inquam, quos Deus hac gratia, et bona voluntate, id est benevolentia et amore suo gratis sine hominum merito dignatur et prosequitur, ut scilicet det eis salvatorem talem et reconciliatorem, qui pacem inter se et homines, ac inter cœlum et terram, putà inter cœlites et terrigenas, constituet » (1). Quod votum angelicum perfecte impletur in Missa; ibi enim Deus summum recipit honorem ac gloriam, dum Christus homo Deus, persona infinitæ dignitatis sese exinanit et immolat ad recognoscendam et adorandam supremam Ejus majestatem; atque eodem sacrificio homines veram consequuntur pacem, obtinendo veniam et gratiam, quarum favore in pace cum Deo, cum proximo ac secumipsis vitam degere valeant. Verba ista angelorum totius hymni sunt quasi thesis, quam sequentia evolvunt.

(1) Corn. a Lapide, in Luc. II, 14.

*Laudamus te* seu agnoscimus et proclamamus tuam infinitam perfectionem. — *Benedicimus te*, speciatim te tanquam omnium bonorum fontem et auctorem profitemur. — *Adoramus te*, supremæ majestati tuæ cultum qui ipsi soli convenit tribuimus. — *Glorificamus te*, nos nostraque omnia gloriæ tuæ addicimus, tibi in sanctitate et justitia servientes, aliosque ad te colendum tibique serviendum provocantes. — *Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam,* np. propterea quod gloriam internam, infinitam perfectionem tuam, potentiam, sapientiam, justitiam, bonitatem ac misericordiam tuam operibus ad extra, præsertim autem opere redemptionis nostræ per Filii tui unigeniti incarnationem, revelare dignatus es, ex quo maxima tibi gloria externa, nobis vero omne bonum profluit: nam summa gloria tua est summum bonum nostrum.

Dein ad singulas SS^mae^ Trinitatis personas dirigitur laus et oratio: *Domine Deus, Rex cœlestis, Deus Pater omnipotens;* exaltatur videlicet Patris potentia, supremum ejus dominium super omnem creaturam sive quæ in cœlo sive quæ sub cœlo est, ubi e sede majestatis suæ regit et gubernat universa, rex sæculorum immortalis, rex regum et dominus dominantium, cujus potestati nemo potest resistere.

*Domine, Fili unigenite;* non minus Dominus, Deus Filius, solus a Patre genitus, ei perfecte æqualis. At in his non sistit Ecclesia, dum alloquitur divinum hunc Filium, qui sponsus ipsius per incarnationem est factus; sed accumulat titulos et argumenta, quibus amorem suum ei exhibeat atque gratiam ejus sibi conciliet.

*Jesu Christe,* tu qui es salvator noster, et in Pontificem novi Fœderis divinitus unctus et consecratus. *Domine Deus*, qui simul Deus es et homo et quà homo *Agnus Dei*, victima propitiationis sola Deo grata, *Filius Patris* in quo Deus Pater sibi complacuit.

Tu igitur qui immolatione tui redemisti nos a peccatis in sanguine tuo, *qui* proinde *tollis peccata mundi,*

*miserere nobis* peccatoribus, applicans nobis fructum redemptionis tuæ. Siquidem adeo misericors es, ut in te assumpseris peccata mundi expianda, hanc non repelles *deprecationem nostram*, sed illam benigne *suscipies* seu exaudies. *Qui sedes ad dexteram Patris*, tanquam advocatus noster, *miserere nobis*, interpella pro nobis, causam nostram age apud Patrem, « ut misericordiam consequamur et gratiam inveniamus in auxilio opportuno » (1).

*Quoniam tu solus sanctus... cum sancto Spiritu in gloria Dei Patris;* post illas supplices preces, Ecclesia rursus exaltat divinitatem sui sponsi Jesu-Christi, confitens illum esse cum Patre et Spiritu Sancto solum Deum, qui essentialiter est *sanctus, Dominus, altissimus.*

Animadverte, sacerdotem, jubente Rubrica, inclinare caput non tantum cúm in initio hymni dicit *Deo*, ac dum pronuntiat Sanctissimum nomen *Jesu Christe*, sed etiam ad verba: *Adoramus te — Gratias agimus tibi — Suscipe deprecationem nostram.* Juvat autem has reverentias faciendo recordari sublimes fines divini sacrificii, quatenus est latreuticum *(adoramus te)*, eucharisticum *(gratias agimus tibi)*, propitiatorium et impetratorium (*suscipe deprecationem nostram:* tu, agnus Dei, divina victima propitiationis, exaudi nos rogantes veniam et gratiam).

11. Absoluto hymno, celebrans et populus sibi mutuo gratiam et benedictionem Dei apprecantur, *Dominus vobiscum etc.* (2); prius autem sacerdos osculatur altare, ut a Christo, quem altaris petra figurat tanquam fonte omnis benedictionis hauriat gratiam fidelibus exoptandam. Dicens *Dom. vob.* aperit manus, quo gestu videtur exprimere affectum vividum quocum hanc populo salutem dicit.

12. Sequitur *oratio.* quæ etiam vocatur *collecta*, cujus denominationis ratio est, « vel quia populo in unum

(1) Hebr. IV, 16.
(2) Cfr. suprà n. 6.

congregato et collecto recitatur; vel quia sacerdos legatione apud Deum pro omnibus fungens omnium vota in unum colligit; vel quia ex selectis S. Scripturæ et Ecclesiæ verbis compendiosa brevitate colligitur; vel quia omnes collectis animis affectus suos et mentem ad Deum attollunt » (1).

Ante orationem sacerdos dicit: *Oremus*, quo se ipsum excitat et fideles hortatur ad orandum, quatenus unanimis sit precatio omnium ad sacrificii divini oblationem concurrentium.

Durante oratione, sacerdos tenet *manus extensas et ad humeros* (non suprà) *elevatas* (rubr.); ad exemplum Prophetæ de se ipso testantis: *expandi manus meas ad te* (ps. 141); *extollo manus meas ad templum sanctum tuum* (ps. 27), et juxta monitum S. Pauli I Tim. II, 8: *Orate, levantes puras manus*. Per manuum elevationem apte exprimitur vividum desiderium consequendi quod petitur.

Formam orationum quod spectat observa inprimis eas fere omnes dirigi ad Deum *Patrem*, tum quia Sanctissimæ Trinitatis est persona prima a qua cæteræ originem ducunt, tum quia Missa repræsentatio est ejus oblationis, qua Christus se Patri obtulit; tum quia Christus nos sic orare docuit, dicens: « Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis » (Joan. XVI, 23). — Concluduntur autem eædem orationes clausula: *Per Dominum nostrum Jesum-Christum*, qua agnoscimus Christum esse mediatorem et advocatum nostrum apud Deum, et sic, juxta monitum Ipsius, petimus Patrem *in nomine ejus*. Ceterum eadem conclusio continet professionem solemnem fidei in SS^mam^ Trinitatem, dum additur: *qui tecum vivit.... sæculorum.* »: circa quam Card. Bona (l. c. § 5) post S. Fulgentium et ex doctrina S. Augustini animadvertit « ideo nos unitatem Spiritus Sancti cum Patre et Filio prædicare, ut ex

(1) Card. Bona, *Rer. liturg.* lib. II, c. 5, § 3.

ipso *unitatis* nomine una essentia, et ex hac unum regnum, et in eodem uno regno una Trinitatis potestas, unaque majestas a fidelibus agnoscatur. Ne putetur aut Filius, aut Spiritus Sanctus secundum divinam naturam ita cum Patre regnare quemadmodum cum potiori regnat inferior; sed illa unitas Spiritus Sancti quæ est communio Patris et Filii, dum in illo regno unitatem divinitatis monstrat, unam esse regnandi æternitatem, unam potestatem atque majestatem, unamque dominationem summæ Trinitatis edoceat ».

*(Sequetur).*

H. V. D. B.

# Ex S. Rom. Univ. Inquisitione

## Dubia circa licentiam ab Ordinario concessam ad assistendum matrimonio.

Infrascriptus Archiepiscopus N. N. Supremæ S. R. et Univ. Inquisitionis Congregationi sequentia dubia proponit, ut securius in administranda Diœcesi officium suum adimpleat.

I. In hac magna Civitate N., quo undique concurrunt homines variæ conditionis, frequenter a multis domicilium mutatur. Reperiuntur præsertim famuli qui nunc apud unam familiam degunt, nunc apud alteram, ita ut in nulla parochia domicilium vel quasi domicilium acquirant. Venerunt quidem, in dictam civitatem N. ut ibidem commorentur ad sustentationem quærendam, et revera in Diœcesi N. habitant per majorem anni partem, vel etiam per plures annos, ita ut si non acquirant domicilium aut quasi domicilium in hac vel illa parochia, ob frequentem mutationem habitationis, dici possunt habere domicilium in Diœcesi, quo venerunt ad habitandum in perpetuum vel saltem ad longum tempus.

Quum autem agatur de matrimonio contrahendo ab illis,

hactenus Archiepiscopus existimavit suos esse subjectos et posse delegare, ad matrimonium celebrandum, Rectorem parochiæ, ubi de facto habitant, dummodo in Diœcesi versati fuerint per tempus sufficiens ad constituendum domicilium vel quasi domicilium, sive nullum aliud domicilium extra Diœcesim N. habeant, sive adhuc conservent alibi aliquod domicilium, v. g. paternum vel fraternum in loco, unde oriundi.

His ultimis temporibus, nonnulli Canonistæ dubitarunt utrum commoratio in Diœcesi sufficeret ad matrimonium, quando non acquiritur domicilium vel quasi domicilium in aliqua parochia determinata.

Quærit igitur Archiepiscopus utrum recte se gerat in delegandis parochis suæ Diœcesis, ad matrimonium eorum qui reperiuntur in circumstantiis supra expositis.

II. Frequenter evenit in hac Civitate N. ut quis, nuptiis jam paratis in Parochia ubi domicilium vel quasi domicilium habet, aliquot dies ante matrimonium, transit ad aliam parochiam, sive habitando apud amicum, vel in aliquo diversorio usque ad nuptias; sive in domo ubi proponit habitare post matrimonium.

Res ita se habent frequenter pro famulis et famulabus; attamen bona fide celebrant suum matrimonium in parochia prioris domicilii, parocho inscio discessus eorum.

Ad præcavendam nullitatem matrimoniorum quæ fiunt hoc modo, Archiepiscopus generali statuto edixit liberum esse suis diœcesanis matrimonium contrahere sive coram parocho actualis domicilii, sive coram parocho domicilii anterioris per tres menses a die discessus eorum; declarando se delegationem necessariam utrique parocho concedere. Sedulo autem voluit parochos monitos hoc statutum tantum valere pro iis qui in Diœcesi N. commorari non desierint; non vero pro iis qui e Diœcesi N. egressi in Diœceses vicinas sese contulerant ante matrimonium.

## *Feria IV, die 9 Novembris 1898.*

In Congregatione Generali coram EE$^{mis}$ ac RR$^{mis}$ DD. Cardinalibus in rebus fidei et morum Inquisitoribus Generalibus habita, propositis suprascriptis dubiis, iisque maturrime discussis, præhabitoque RR. DD. Consultorum voto, EE. ac RR. Patres respondendum mandarunt:

*Ad I. Reformato dubio: An Ordinarius parochis licentiam concedere possit assistendi matrimoniis eorum, qui diu in diœcesi versati sunt, sed in nulla paræcia domicilium, vel quasi-domicilium acquisierunt?*

*Resp. Negative; nisi diligenti inquisitione facta, constet eos, de quibus est quæstio, neque in civitate N., neque alibi, in nulla paræcia verum vel quasi domicilium canonicum habere; sed esse vagos.*

*Ad II. Reformato dubio: An licentiam generaliter Ordinarius concedere possit, tum parocho actualis domicilii contrahentium, tum parocho anterioris, per tres menses a die discessus eorum?*

*Resp.: Archiepiscopus utatur jure suo, præ oculis habita responsione S. C. Concilii in causa Coloniensi de die 18 Martii 1893.*

Sequenti vero sabbato die 12 novembris ejusdem mensis et anni, in audientia a SS. D. N. Leone Div. Prov. Pp. XIII R. P. D. Adsessori impertita, SS^mus^ D. N. resolutionem EE. ac RR. Patrum adprobavit et confirmavit.

I. Can. MANCINI, *S. R. et U. Inquis. Not.*

## Adnotationes

Ut notum est, ubi decretum Tridentum *Tametsi* viget, matrimonum, ut valide contrahatur, celebrari debet coram parocho unius saltem nupturientium *proprio*, i. e coram parocho in cujus parochia sponsus vel sponsa habet domicilium aut quasidomicilium; potest tamen contrahi etiam coram sacerdote a parocho proprio in hunc finem delegato seu commisso. Præterea, quando uterque vel alteruter contrahere volentium est *vagus*, seu nullibi habet domicilium aut quasidomicilium, matrimonio assistere valet Parochus in cujus parochia pars vaga actu commoratur: sed ad hujus assistentiæ liceitatem, requiritur ex Trid. sess. XXIV, cap. 7 *De reform. Matr.* licentia Ordinarii.

Attamen juxta communem et certam doctrinam decreto S. C. C. 17 Nov. 1736 firmatam, ipsi quoque Ordinarii (i. e Episcopus et Vicarii Generales) parochi sive per se sive per sacerdotem a se commissum, parochianorum ejus matrimoniis assistere possunt.

Porro in dubio I suprascripti decreti quæritur utrum

Ordinarius loci possit assistere matrimoniis eorum qui diu quidem in diœcesi sunt commorati, quin tamen in ulla parochia domicilium aut quasi domicilium acquisiverint. Responsum autem est cum distinctione: vel sunt vagi, seu nec in alius diœcesis parochia domicilium aut quasi domicilium habent, aut secus.

In priori casu resolvitur Ordinarium dictam licentiam posse concedere; et meritò: nam si juxta tradita potest in casu assistere parochus loci ubi actu degunt vagi, aut sacerdos ab illo parocho delegatus, similiter poterit Ordinarius aut sacerdos ab ipso commissus.

In altero vero casu, negativa est responsio: et re quidem verà, nisi agatur de vagis, matrimonium, ita statuente Tridentino (ibid. cap. I), est contrahendum coram *paracho* proprio, vel coram sacerdote ab eo vel ejus Ordinario delegato; atqui in casu nullus in diœcesi illorum nupturientium est parochus proprius; ergo nec Ordinarius loci commissionem de qua quæritur concedere potest. Esto proinde quod quis possit habere quasi domicilium in diœcesi, quin idem habeat in determinata illius diœceseos parochia, nihilominus non censebitur Episcopi ejusdem diœceseos subditus *in ordine ad contrahendum matrimonium,* obstante dicta ordinatione Tridentina.

Dubium II tangit casum non infrequenter occurrentem, quo np. domicilium aut quasi domicilium quis habens in una parochia, ubi vult matrimonium contrahere, ante nuptiarum celebrationem, ad aliam transit parochiam sine animo ad primam redeundi: unde jam prioris parochiæ parochus non potest matrimonio assistere utpote quia non amplius est parochus proprius. Cum autem hæc circumstantia facile ignoretur a præfato parocho, fit quandoque ut nihilominus assistat atque matrimonium invalide coram eo contrahatur. Quare prudenter nonnulli Ordinarii per licentiam generalem concedunt ut in casu etiam parochus anterioris domicilii matrimonio assistere valeat; et præsenti decreto agno-

scitur Ordinario jus similem licentiam impertiendi : *Archiepiscopus utatur jure suo*. Simul tamen pro prudenti juris usu, additur: *Præ oculis habita responsione S. C. Concilii in causa Coloniensi de die 18 Martii 1893*. Hac autem responsione declaratur, juxta mentem S. C. C., opportunum esse « ut eadem generalis delegatio limitanda sit ad casum quo res per petitionem proclamationum factam non est jam intregra, id est restringenda ad solos parochos domicilii a *sponsis* derelicti; et quoad durationem, ità determinanda sit ut expiret si a die ultimæ proclamationis (exclusive) elapsi sint duo menses, sive 60 dies completi, vel tot dies completi quot juxta diœcesana statuta requiruntur ut denuo fiant proclamationes, si intra illud tempus matrimonium non fuerit celebratum ». Subjungitur tandem: « Optandum ut E^mus^ Archiepiscopus (Coloniensis) hujusmodi facultate utatur tantummodo pro majoribus suæ archidiœceseos civitatibus ». (1)

In dubii propositione ad finem notatur licentiam de qua quæritur non valere pro iis qui domicilio relicto, *in diœcesim alienam* discedunt. Et merito quidem, quia in ista occurrentia Episcopus jam non est Ordinarius parochi, qui de jure matrimonio assistere debet.

H. V. D. B.

---

(1) Cfr. *Nouv. rev. théol.* T. XXV, p. 229 sqq. ubi reperire est una cum dubii expositione votum theologi in hac celebri causa, quoad magnam partem, relatum.

# Jurisprudence des cours et tribunaux

## Inhumation non autorisée, ou tout au moins précipitée

### Jugement du tribunal correctionnel d'Ypres, 2 Février 1899

Le tribunal correctionnel d'Ypres, jugeant en degré d'appel, vient de rendre, en matière d'inhumation, une décision très intéressante que nous avons jugé utile de rapporter dans les *Collationes*.

Afin de permettre aux lecteurs d'apprécier en connaissance de cause la décision dont s'agit, nous donnerons préalablement un exposé succinct des faits qui l'ont occasionnée, ainsi que des savantes plaidoiries qui l'ont précédée.

Le 16 Septembre 1898, mourut à Moorslede, vers *11 heures du matin*, un enfant de cinq mois, atteint de diarrhée fétide et de furonculose généralisée (certif. méd. joint au dossier).

Le même jour, dans la soirée, l'officier de l'état civil délivra le permis d'inhumation, libellé comme en note (1). L'enfant fut porté à l'église le lendemain matin, et l'inhumation eut lieu par les soins du fossoyeur, vers *9 heures du matin*.

Le bourgmestre de la localité fut informé du fait dans la journée; et, fort soucieux du respect de la loi, il adressa

(1) Nous donnons en caractères *italiques* la partie *imprimée* du permis.

*De Ambtenaar van den Burgerlijken Stand der gemeente* MOORSLEDE, *bemachtigd* (sic) *die het behoort, te begraven 24 uren na deszelfs* (?) *overlijden* B....

*overleden* 16 September 1898 *ten* elf *ure voormiddag*.

*Moorslede, den* 16 September *1898*.

VOOR DE AMBTENAAR
DE BEDIENDE
**N.**

immédiatement une dénonciation au parquet de M. le Procureur du Roi, à Ypres.

Une ordonnance de la chambre du conseil du tribunal renvoya le père de l'enfant et le fossoyeur devant le tribunal de simple police de Passchendaele, sous la prévention « d'avoir, sans l'autorisation préalable de l'officier public, fait procéder ou procédé à une inhumation ; — ou du moins, d'avoir contrevenu aux lois et règlements relatifs aux inhumations précipitées, en faisant inhumer ou en inhumant un enfant qui n'était pas décédé depuis vingt-quatre heures ». (1)

Par jugement en date du 6 Décembre 1898, le juge de simple police de Passchendaele renvoya les prévenus des fins de la poursuite.

Le Procureur du Roi près du tribunal de 1re instance d'Ypres interjeta appel de ce jugement.

Devant le tribunal d'appel, le défenseur du fossoyeur O..., Me L. Lebbe, du barreau d'Ypres, déposa les conclusions suivantes :

Vu les pièces versées au litige (le permis d'inhumation et le certificat médical), l'article 77 du code civil, le décret impérial du 4 Thermidor an XIII, et l'article 315 du code pénal ;

Plaise au tribunal

Dire qu'O...., n'a procédé à l'inhumation de l'enfant B..., qu'après avoir reçu un permis écrit, délivré par l'officier de l'état civil de Moorslede ou par une personne déléguée par lui ;

Qu'il est vrai, qu'actuellement il est établi que ce permis fut délivré irrégulièrement, puisqu'il le fut sans que l'officier public eût constaté le décès par la visite de l'enfant décédé et en dehors des délais prescrits par l'article 77 du code civil ; mais que ces circonstances étaient ignorées d'O...., et que les termes contradictoires et ambigus de l'autorisation écrite n'étaient pas de nature à les lui révéler.

---

(1) Voici le texte de l'ordonnance.

« A/ Zonder voorafgaande verlof van den openbare beambte tot eene begrafenis te hebben doen overgaan of te hebben overgegaan ; of ten minste B/ de wetten en verordeningen tot de overhaaste begravenissen betrekkelijk, te hebben overtreden met een kind welk sedert nog geen vier en twintig uren gestorven was, te hebben doen begraven of te hebben begraven ».

Dire, par suite, qu'O...., s'est strictement conformé aux dispositions de la loi civile lui applicables ; et que, en toute hypothèse, il a agi de bonne foi et sans intention de contrevenir à la loi.

Ce faisant, dire n'y avoir lieu de lui faire application de l'article 315 du code pénal ; et, confirmant le jugement *a quo*, renvoyer le prévenu des fins de la poursuite, sans frais.

A l'appui de ces conclusions, le défenseur d'O... fit valoir l'argumentation suivante :

Il appert des discussions préparatoires et de la doctrine unanime des commentateurs du code pénal, que « l'article 315 a pour but d'apporter une sanction pénale aux articles 77 et 81 du code civil » (Nypels, T. I, p. 822). Dès lors, pour apprécier si un fait tombe sous l'application du dit article, il importe avant tout de rechercher si le fait incriminé a été posé en violation de la loi civile ; et plus spécialement, en l'espèce, s'il a été posé en violation de l'article 77.

Or cet article porte : « *Aucune inhumation ne sera faite sans une autorisation, sur papier libre et sans frais, de l'officier de l'état civil, qui ne pourra la délivrer qu'après s'être transporté auprès de la personne décédée pour s'assurer du décès, et que vingt-quatre heures après le décès, hors les cas prévus par les règlements de police* ».

Examinons donc la portée de cet article, et les obligations qu'il impose.

L'article 77 renferme deux dispositions bien distinctes qui visent deux diverses catégories de personnes. La première s'adresse à la généralité des citoyens, et leur défend d'une manière absolue de faire aucune inhumation sans avoir, au préalable, obtenu *une autorisation écrite* de l'officier de l'état civil ; la seconde vise l'officier de l'état civil lui-même, et détermine les conditions auxquelles il pourra délivrer l'autorisation prescrite : il ne pourra donner le permis d'inhumer que *lorsqu'il aura acquis la certitude du décès*. A cet effet, il est tenu tout d'abord de se transporter auprès de la personne décédée pour s'assurer du décès ; et, en outre, malgré cette précaution, de crainte qu'il ne se soit trompé et n'ait constaté un décès purement apparent, il doit différer de délivrer le permis jusque vingt-quatre heures après le décès, sauf les cas exceptionnels prévus par les règlements de police. Cf. Circ. du min. de l'intér. de France, du 24 Déc. 1866.

La simple lecture de l'article 77 semble imposer cette interprétation.

Il y a, il est vrai, des auteurs, tels que Demolombe et Baudry la Cantinière, qui soutiennent, sans toutefois justifier leur opinion, que la disposition finale de l'article 77 (*et que vingt-quatre heures*, etc.) se rapporte à *la défense d'inhumer*, et non pas à celle de délivrer le permis; lequel, dès lors, peut être délivré moins de vingt-quatre après le décès. Mais cette explication se concilie difficilement avec le texte même de la clause en question: le législateur, en faisant suivre les mots « *que vingt-quatre heures après le décès* » de ceux-ci: « *hors les cas prévus par les règlements de police* », signifie clairement que la défense relative au délai prescrit, concerne la même personne qui a qualité pour décider si tel ou tel cas rentre dans ceux prévus par les règlements de police. Or, c'est le bourgmestre, dont l'officier de l'état-civil est le délégué, qui est seul chargé de l'exécution des règlements de police; et les particuliers n'ont aucunement mission pour juger de cette question. D'ailleurs, l'interprétation que nous avons donnée se trouve confirmée par les termes et l'esprit du décret du 4 Thermidor an XIII, qui fut porté en vue d'assurer l'exécution de l'art. 77.

Aussi est-elle admise par la plupart des auteurs. Dalloz, *Répertoire*, V° Actes de l'état civil, n^os^ 285 et 286, V° Cultes, n° 761, et *Supplément*, V° Cultes, n. 841; *Les pandectes belges*, V° Inhumation, n^os^ 13 à 17, et 22 à 26; Roland et Wouters, *Guide pratique de l'officier de l'état civil*, n^os^ 778, 780 à 782, 785 et 798, enseignent formellement que l'officier de l'état civil ne peut délivrer le permis d'inhumer que vingt-quatre heures après le décès.

En conséquence, le fossoyeur O..., dès qu'il était muni du permis d'inhumation, procédait légalement à la sépulture; et il ne lui appartenait de contrôler la régularité de l'autorisation obtenue.

Dans son requisitoire, fait après les plaidoiries à l'audience du 12 Janvier 1899, l'honorable organe du ministère public admit, au moins tacitement, ce système; mais il chercha à établir la culpabilité des prévenus en se basant sur ce que le permis mentionne que l'inhumation ne pouvait avoir lieu que vingt-quatre heures après le décès.

Le défenseur de O... fit observer, non sans raison, que les

termes du permis délivré sont fort ambigus; que, le dit permis visant l'art. 77 du code civil, le prévenu ne pouvait raisonnablement supposer qu'il était délivré en violation de l'article visé; que, dès lors, le prévenu, qui n'avait d'ailleurs pas qualité pour discuter les mentions contradictoires du permis, ne pouvait les interpréter autrement qu'en supposant que l'on se trouvait dans un cas spécial permettant l'inhumation avant l'expiration du délai légal, d'autant plus que la maladie à laquelle avait succombé l'enfant B... semblait motiver une inhumation précipitée; et que, partant, le fossoyeur avait, en toute hypothèse, agi de bonne foi et sans intention de contrevenir à la loi.

En vain objectera-t-on que la bonne foi n'est pas élisive du délit prévu et puni par l'article 315 du code pénal. Ce principe, admis par les auteurs et consacré par la jurisprudence, est vrai et juridique en ce sens que celui qui procède ou fait procéder à une inhumation *sans permis* ne saurait exciper de son ignorance de l'article 77; mais il cesse de l'être lorsque le prévenu a été induit en erreur par *la production d'un permis irrégulièrement délivré*. En ce cas, celui de l'espèce, la contravention ne saurait être imputée au prévenu, attendu qu'il a ignoré les vices du permis et qu'il a pu raisonnablement croire qu'il était régulièrement délivré. Cette théorie a d'ailleurs été admise par les Cours de Belgique dans des espèces où les circonstances étaient beaucoup moins favorables aux prévenus que dans l'espèce actuelle. Cf. Arrêts de la Cour de Liège, 25 Mars 1875 (*Pasic.* 1876, II, p. 70); de la Cour de Gand, 19 Mars 1883 (*Pasic.*, II, p. 176), et 3 Déc. 1884 (*Pasic.* 1885, II, p. 56).

En conséquence, il n'y a pas lieu de faire application au prévenu O... de l'art. 315 du code pénal.

Le tribunal accueillit ces conclusions, et confirma, le 2 Février 1899, la décision du premier juge, dans les termes suivants: (1)

Le tribunal; — Attendu qu'il est établi qu'un permis écrit d'inhumation a été délivré au prévenu B..., par l'officier de l'état civil de Moorslede;

Attendu, il est vrai, que le dit permis mentionne que

(1) Nous donnons la traduction du jugement, qui a été rendu en flamand.

l'inhumation ne pouvait avoir lieu que vingt-quatre heures après le décès de l'enfant; mais que néanmois, par la seule remise du permis, le prévenu se trouve justifié; qu'en effet, en vertu de l'article 77 du code civil, l'autorisation d'inhumer ne peut être délivrée que lorsque l'inhumation est permise; et que, dès lors, la délivrance même de la pièce officielle devait faire croire aux prévenus qu'ils pouvaient procéder à la sépulture;.

Attendu qu'on ne peut obliger les intéressés à prendre connaissance des conditions sous lesquelles l'autorisation est accordée et qui sont consignées dans le permis, d'autant plus que fréquemment les pièces de cette nature sont délivrées à des personnes dépourvues d'instruction;

Par ces motifs, confirme le jugement dont appel, et renvoie les prévenus acquittés de la poursuite, sans frais.

Aucun pourvoi n'ayant été formé en temps utile contre cette décision, le jugement du 2 Février 1899 est passé en force de chose jugée.

C. V. C.

# Consultatio

*Coll. Brug.* Tomo I, p. 100, juxta decretum S. Congreg. Inquisitionis 31 Aug. 1881 docetur; « benedictionem nuptialem semper impertiendam esse in matrimoniis Catholicorum extra tempus feriatum, omnibus conjugibus qui eam in contrahendo matrimonio quacumque ex causa non obtinuerint (si v. gr. matrimonium contraxerunt tempore clauso), etiamsi petant, *postquam diu jam in matrimonio vixerint,* dummodo mulier, si vidua, benedictionem ipsam in aliis nuptiis non acceperit ». Jamvero in Periodico « *Le Prêtre* », 22 Sept. 1898, p. 670 et 672, sub titulo: « *Manuel des Décrets de la S. Congr. des Rites, annotés et classés méthodiquement* », legitur: « *Bénédiction nuptiale.* Elle ne doit pas être donnée.... en temps prohibé; le temps prohibé écoulé,

on peut la donner ensuite pendant la messe solennelle, *à une condition essentielle, à savoir que les époux n'aient pas habité la même maison depuis leur mariage* (25 Sept. 1875)... *Si les époux ont cohabité après leur mariage célébré sans messe,* on ne doit plus dire pour eux la messe votive ni leur donner la bénédiction (1858).... La messe de mariage et la bénédiction nuptiale peuvent être célébrées le lendemain du mariage ou plusieurs jours après, lorsqu'on a des raisons sérieuses pour les différer, *à la condition que les époux n'habitent pas ensemble* (1870) ». Jamvero si decreta citata sunt authentica et retinuerunt suam vim, vix unquam benedictio nuptialis dari poterit postea, si scilicet in ipsa celebratione matrimonii non fuerit data. Quid ergo tenendum?

*Resp.* Standum est decreto S. C. Inquisitionis 31 Augusti 1881, quod est *generale,* posterius omnibus decretis particularibus S. Congregationis Rituum in contrarium citatis, et quod habet clausulam revocatoriam generalem: « *Contrariis quibuscumque non obstantibus* ». Consequenter benedictio nuptialis dari potest conjugibus « *etiamsi*, ut expresse declarat hoc decretum, *petant postquam diu jam in matrimonio vixerint.* »

Dicendum ergo est decretum generale S. C. Inquisitionis in hoc puncto derogare anterioribus à Sacra Rituum Congregatione datis præscriptionibus. (Cfr. Schöber, *de Cœremoniis Missæ*, Append. III, cap. 7). Nihil ergo mirum, quod dubium secundum decreti 14 Aug. 1858 *in Montis Albani*, in Periodico citatum, expunctum sit e nova Collectione decretorum authenticorum S. C. R. anno 1898 ejusdem auctoritate edita. Inde etiam conjicere licet duo alia decreta citata 25 Sept. 1875 (*in Mexicana* ad IV) et anni 1879 (27 Sept. *in Celsonen.*) æque, saltem in quantum eamdem restrictionem ponunt, eliminanda esse ex tertio volumine edendo novæ collectionis. Limitatio enim posita, utpote contraria recentiori decreto generali Congregationis Inquisitionis, eo ipso revocatur clausula: « *Contrariis*

*quibuscumque non obstantibus* ». In hoc decreto *(Inquis.)*, aiunt *Ephemerides liturgicæ* tom. VII, p. 341, « statuitur, ut non denegetur benedictio nuptiarum, *quamvis mulier jam cum viro suo post matrimonium cohabitaverit:* licet Rituale Romanum Parochum doceat, monendos ei esse conjuges, ut ante benedictionem sacerdotalem in templo suscipiendam, in eadem domo non cohabitent (Tit. VII, cap. I, nº 14) ». Et tom. X, p. 125: « Sequitur, Parochum, si aliter fieri non possit *(agitur de casu matrimonii contracti post meridiem)*, instruere potius sponsos debere, ut alio tempore benedictionem postulent, *quæ in præsenti dari etiam potest postquam simul sponsi cohabitaverint* ». (1)

H. V. D. W.

## FABRIQUES D'ÉGLISE

### Séance légale du mois d'Avril

Les conseils de fabrique doivent se réunir en séance ordinaire le dimanche, 2 Avril prochain. Art. 10 du décret du 30 Décembre 1809. — L'objet principal de cette séance consiste dans les diverses élections ou nominations que le conseil est appelé à faire. — Il pourvoit d'abord, s'il y a lieu, au remplacement des membres décédés, démissionnaires, etc. (Art. 6 de l'arr. roy. du 12 Mars 1849). Il procède ensuite au renouvellement du mandat de son président et de son secrétaire (art. 9 du décret de 1809). Il réélit enfin ou remplace le marguillier le plus ancien en exercice (art. 11, 15 et 17 du décret). — Le même jour, les membres du bureau des maguilliers nomment ou renouvellent leur président, leur secrétaire et leur trésorier.

Cf. *Collationes*, T. I, p. 206; T. II, p. 143; et T. III, p. 178; coll. *Calend. liturg.*, an. 1899, p. 40.

(1) Cfr. etiam De Herdt III, nº 278; Ill. Vanderstappen *de admin. Sacram.*, q. 280; Nouvelle Revue Théol. 1882, p. 248.

Collationes Brugenses

# Meditationes theologicæ

*(Sequitur. — Cf. supra, tom. IV, pag. 204.)*

## SCHOLION.

### De summa Dei pulchritudine.

155. Hic locus est addendi verbulum de infinita Dei pulchritudine, prout e revelata Trinitate perfectius elucet. Cum uno enim, vero et bono intime cohæret pulchrum, et propius quidem cum vero : pulchra siquidem a S. Thoma (1), ab effectu definita, dicuntur quæ visa (sive sensu, sive intellectu) placent. Intrinseca autem ratio pulchri est *multiplicitatis* (tamquam materiæ) *unitas* (tamquam pulchritudinis forma). Jamvero divina essentia summe una, in hac sua simplicitate perfecta omnes complectitur omnium perfectionum rationes, quas nos multipliciter in infinitum distinguere possumus : comprehendit eo ipso, ut imitabilis ad extra, eminenter omnes rationes omnium existentium et possibilium, comprehendit Deus in sua essentia uno intuitu intellectuali, qui est ipsa eadem essentia sua, omne verum, unaque substantiali volitione omnes omnis boni rationes, ita ut vere sit summa et simplicissima unitas supereminens multiplicitatis imitationum infinitæ, et merito dicatur a S. Dionysio : « ipsum secundum se atque secum uniforme semper existens pulchrum, atque fontanam universi pulchri pulchritudinem in seipso eminenter anticipans (2). »

(1) 1a, q. V, a. 4, ad 1m.
(2) *De div. nom.*, c. IV, § 7.

Et hæc quidem de pulchritudine Dei, prout e creaturis elucet, et relate ad creaturas consideratur. Ex revelata vero Trinitate, quadamtenus altius ascendere possumus ut pulchritudinem Dei absolutam in se, a longe tamen, aspiciamus, considerando nempe unitatem simplicissimam essentiæ infinitæ, cum bina processione mirabili et reali trium personarum inter se distinctione, numero et ordine perfecto, in identitate cum essentia tum singulorum tum trium omnimoda.

Remanet ostendere quomodo hæc pulchritudo summa Dei, essentialis, merito approprietur Filio seu Verbo, unde et proxima affinitas pulchri cum vero confirmabitur. Hoc autem delectabiliter præstat Seraphicus Doctor Bonaventura. « Filius, *ait* (1), emanat per modum naturæ et ideo emanat per modum *perfectæ* et *expressæ* similitudinis. Nam natura producit sibi simile et æquale. Et quia habet in se rationem expressæ similitudinis, ideo et cognitionis, quia expressa similitudo est ratio cognoscendi; et quia per modum perfectæ similitudinis et rationis habet in se rationem et exemplar omnium, inde est quod habet rationem perfectæ pulchritudinis. Quia enim est perfecta et expressa similitudo, ideo pulcher est in comparatione ad eum quem exprimit. Quia vero rationem cognoscendi habet, et non unius tantum sed totius universitatis, ideo pulchrum pulcherrimus ipse mundum mente gerens, pulchritudinem habet in comparatione ad omnem pulchritudinem exemplatam. Ex his duobus relinquitur perfectissima pulchritudo. Sicut enim dicit Augustinus: Pulchritudo non est aliud quam æqualitas numerosa. Quoniam igitur in comparatione ad *Patrem* habet pulchritudinem æqualitatis, quia perfecte exprimit sicut pulchra imago; in comparatione vero ad *res*, habet omnes rationes, secundum quod dicit Augustinus, quod « est ars plena omnium rationum viventium »: ideo patet quod in Filio recte

(1) In 1 *sent.*, dist. 31, p. 2, a. 1, q. 3.

reperitur ratio omnis pulchritudinis. Eo igitur quod Filius per modum naturæ emanat, habet rationem perfectæ et expressæ similitudinis; eo quod habet rationem perfectæ similitudinis, habet rationem cognitionis, et ratione utriusque habet rationem pulchritudinis. Quoniam igitur nomen *speciei* importat *similitudinem* et importat *cognoscendi rationem*, importat etiam pulchritudinem,..... ideo elegantissime appropriatur Filio. »

## § III.

### *De Deo, summo bono.*

156. Notionem boni, et quomodo bonum idem secundum supposita sit cum ente, id est, cum ente convertatur, solummodo secundum rationem ab ente differens, seu ei aliquid addens, luculenter exponit S. Thomas, sequentibus verbis:

« Oportet... quod verum, et bonum super intellectum entis addant respectum perfectivi. In quolibet autem ente est duo considerare: scilicet ipsam rationem speciei, et esse ipsum quo aliquid subsistit in specie illa. Et sic aliquod ens potest esse perfectum dupliciter: Uno modo secundum rationem speciei tantum, et sic ab ente perficitur intellectus, qui perficitur per rationem entis: nec tamen ens est in eo secundum esse naturale. Et ideo hunc modum perficiendi addit verum super ens. Verum enim est in mente, ut philoso. dicit in 6 Meta.; et unumquodque ens in tantum dicitur verum, in quantum conformatum est, vel conformabile intellectui. Et ideo omnes recte definientes verum, ponunt in ejus definitione intellectum. Alio modo, ens est perfectivum alterius, non solum secundum rationem speciei, sed etiam secundum esse, quod habet in rerum natura. Et per hunc modum est perfectivum bonum. Bonum enim in rebus est, ut philoso. dicit 6 Meta. In quantum autem unum ens est secundum esse suum perfectivum alterius, et conservativum, habet rationem finis respectu

illius, quod ab eo perficitur. Et inde est quod omnes recte definientes bonum ponunt in ratione ejus aliquid, quod pertineat ad habitudinem finis. Unde philos. dicit in 1 Eth. quod bonum optime definiunt dicentes, quod bonum est quod omnia appetunt. Sic ergo primo, et principaliter dicitur bonum, ens perfectivum alterius per modum finis; sed secundario dicitur aliquod bonum, quod est ductivum in finem, prout utile dicitur bonum, vel natum est consequi finem, sicut et sanum dicitur non solum habens sanitatem, sed perficiens, et conservans et significans » (1).

157. Eodem loco, paulo infra (2) addit Angelicus Doctor quo ordine se invicem excipiant ens et transcendentalia quæ cum ente convertuntur; quæ quidem doctrina viam aptissime sternit ad ea quæ de divina bonitate sunt explicanda.

« Dicendum, ait, quod tam verum quam bonum, sicut dictum est, habent rationem perfectivorum, sive perfectionum. Ordo autem inter perfectiones aliquas potest attendi dupliciter, uno modo, ex parte ipsarum perfectionum; alio modo, ex parte perfectibilium. Considerando ergo verum et bonum secundum se, sic verum est prius bono secundum rationem, cum sit perfectivum alicujus secundum rationem speciei; bonum autem non solum secundum rationem speciei, sed secundum esse quod habet in re, et ita plura includit in se ratio boni quam ratio veri, et se habet quodammodo per additionem ad illa. Et sic bonum præsupponit verum; verum autem præsupponit unum, cum veri ratio ex apprehensione intellectus perficiatur, unumquodque autem intelligibile est, in quantum est unum. Qui enim non intelligit unum, nihil intelligit, ut dicit philoso. in 4. Metaph. Unde istorum nominum transcendentium talis est ordo, si secundum se considerentur, quod post ens

(1) QQ. disp., q. XXI, *de bono*, art. 1, in corp.
(2) Art. 3, in corp. Et cfr. de his notionibus, 1ª, q. v.

est unum, deinde verum, deinde post verum bonum. Si autem attendatur ordo inter verum et bonum ex parte perfectibilium, sic bonum est naturaliter prius quam verum, duplici ratione: primo, quia perfectio boni ad plura se extendit quam perfectio veri. A vero enim non sunt nata perfici, nisi illa quæ possunt aliquod ens percipere in seipsis, vel in seipsis habere secundum suam rationem, et non secundum illud esse quod ens habet in seipso, et hujusmodi sunt solum ea, quæ immaterialiter aliquid recipiunt, et sunt cognoscitiva. Species enim lapidis est in anima, non autem secundum esse, quod habet in lapide; sed a bono nata sunt perfici illa, quæ secundum materiale esse aliquid recipiunt, cum ratio boni in hoc consistat, quod aliquid sit perfectivum tam secundum rationem speciei quam secundum esse, ut prius dictum est; et ideo omnia appetunt bonum, sed non omnia cognoscunt verum: in utroque enim ostenditur habitudo perfectibilis ad perfectionem, quæ est bonum et verum, scilicet in appetitu boni, et cognitione veri. Secundo, quia illa quæ nata sunt perfici bono et vero, per prius perficiuntur bono quam vero. Ex hoc enim quod participant esse, perficiuntur bono ut dictum est; ex hoc autem quod cognoscunt aliquid, perficiuntur vero. Cognitio autem est posterior quam esse. Unde et in hac consideratione ex parte perfectibilium bonum præcedit verum ».

158. His præmissis, jam intelligere poterimus, et ex revelata Trinitate perfectius, Deum esse summum bonum.

Et statim quidem perspicis, sicut unitatem et veritatem, ita bonitatem in divinis essentialiter dici, quemadmodum bonum, sicuti verum et unum cum ente convertuntur. Nihilominus, quoniam prius ratione est ens ac unum quam verum et verum quam bonum, verumque relationem dicit ad intellectum, bonum ad appetitum, haud difficulter rursum percipies merito bonitatem appropriari Spiritui sancto, qui est persona ordine

tertia, per spirationem voluntatis seu amoris a Patre Filioque procedens, quemadmodum Patri, utpote Principio sine principio, fonti totius deitatis, appropriatur omnipotens esse et unitas, Filio vero appropriatur veritas, utpote personæ ordine secundæ, Verbo intellectualiter procedenti a Patre.

Igitur, prius considerando Deum secundum essentiam, ostendamus breviter eum vere esse summum bonum, tum absolute in se, tum relative ad creaturas inspectum; deinde ex divinæ Trinitatis mysterio illud ipsum intimius intellectu prosequamur.

159. Deus, utpote ipsum esse perfectum, eo ipso intelligitur esse summum bonum ontologicum, ipsa absoluta bonitas. In ordine vero morali, cum sit essentialiter ipsa rectitudo, et ejusdem rectitudinis ac bonitatis infinitus amor, intelligitur esse ipsa summa sanctitas. Est etiam bonum summum veluti finale, id est plenitudo boni et summum bonum sibi, seu objectum perfectæ beatitudinis.

Relate ad res creatas, sequentia breviter rursum indicata sufficiant, utpote quæ latius infra sunt explicanda. Bonum cum sit suî diffusivum, intelligitur summum bonum summe diffusivum suî, ita ut, tum in ordine ontologico, tum in ordine morali, sit prima causa omnis boni extra se. Et causa quidem exemplaris est, necnon efficiens ac conservans omnis entis bonique finiti; est in ordine morali causa exemplaris omnis sanctitatis seu norma suprema omnis rectitudinis. Est causa finalis, id est, ultimus finis objectivus omnis creaturæ, ultimusque finis formalis seu beatitudo creaturæ rationalis cujusvis; nec vero causa motiva Deo extra se aliqua esse potest ad effundendum bonum extra se, sed ex sola infinita dilectione suæ bonitatis efficit Deus, quæcumque extra se efficit.

Est igitur Deus vere summum bonum, et causa omnis boni; quamvis bonum creatum seu participatum non sit proprie bonum formaliter ipsa divina bonitate, causa

enim formalis proprie dicta Deus esse non potest, ob imperfectionem huic causalitati inhærentem, sed « unumquodque dicitur bonum bonitate divina, sicut primo principio exemplari, effectivo et finali totius bonitatis. Nihilominus tamen unumquodque dicitur bonum similitudine divinæ bonitatis sibi inhærente, quæ est formaliter sua bonitas denominans ipsum. Et sic est bonitas una omnium, et etiam multæ bonitates (1) ».

Atvero, nondum exhausimus communicationem divinæ bonitatis cum creaturis. Oportet addere, uno saltem verbo, postea exponendam effusionem mirabilem divini boni in ordine supernaturali. Itaque, licet omnis proprie dicta informatio imperfectionem formæ implicet sitque a Deo aliena, Deus tamen optimus mirabili modo ipsum suum bonum divinum cum creatura intellectuali ita communicat, ut hanc in modum causæ formalis, seclusis imperfectionibus, ad statum sublimem extollat, quem Patres vocare solent θέωσιν. Quæ quidem communicatio quasi tres gradus habet, per unionem gratiæ in filiationem adoptivam, per unionem gloriæ in beatificationem dignitati filiorum respondentem, per unionem hypostaticam in filiationem naturalem; hæc ultima, licet sit solius humanæ naturæ Christi, pertinet tamen moraliter ad universam creaturam, siquidem Christus est caput omnium hominum et Angelorum, de cujus plenitudine nos omnes accepimus, et cæterum reliquæ creaturæ rationalibus creaturis deserviunt, ipsa corporalis natura in corpore Christi mirabiliter fuit exaltata, in justis corpus est templum Spiritus sancti, aliquando configurandum corpori claritatis Christi; natura corporea assumpta est in instrumentum sanctificationis ab ipso Christo, et ab Ecclesia multis modis consecratur in adjumentum divini cultus; tandem, sicuti cum homine collapsa est universa natura, aliquando, meritis Redemptoris, in fine mundi perfecte reparabitur et gloriose renovabitur.

---

(1) S. Thomas, 1ª, q. VI, art. 4, in corp.

160. Quæ modo dicebamus dimanant e mysterio Verbi incarnati, adeoque intime cohærent cum mysterio Trinitatis; attamen, tota efficientia divina in hisce, sicut et in ipsa incarnatione Verbi, ut effectu ad extra, totius Trinitatis est, et divinam bonitatem essentialem, perfectius quidem quam in ordine naturæ, declarant per actum divinum ad extra; unde altius adhuc ascendamus atque ex ipsa revelata Trinitate et ex Deo, ut est actus ad intra, divinam bonitatem intimius, si fieri potest, scrutemur. Videamus ergo, cum Doctore Seraphico, alteram illam omni modo perfectam diffusionem boni, quæ est in ipsa mirabili processione divinarum personarum. Ita loquitur S. Bonaventura: « Nam bonum dicitur diffusivum sui. Summum igitur bonum summe diffusivum est sui. Summa autem diffusio non potest esse, nisi sit actualis et intrinseca, substantialis et hypostatica, naturalis et voluntaria, liberalis et necessaria, indeficiens et perfecta. Nisi igitur in summo bono æternaliter esset productio actualis et consubstantialis, et hypostaticalis æque nobilis sicut est producens per modum generationis et spirationis, ita quod sit æternalis principii æternaliter comprincipiantis, ita quod esset dilectus et condilectus, genitus et spiratus, hoc est Pater et Filius et Spiritus sanctus, nequaquam esset summum bonum, quia non summe se diffunderet. Nam diffusio ex tempore in creatura, non est nisi centralis vel punctalis respectu immensitatis bonitatis æternæ. Unde et non (1) potest aliqua [al. unde et potest aliqua] diffusio cogitari major illa, ea videlicet in qua diffundens communicat alteri totam substantiam et naturam. Non igitur summum bonum esset, si re vel intellectu illa carere posset.

Si igitur potes mentis oculo contueri puritatem bonitatis, quæ est actus purus principii charitative diligentis amore gratuito et debito et ex utroque per-

(1) *Et non* male lectum videtur pro *etiam*.

mixto, quæ est diffusio plenissima per modum *naturæ et voluntatis*, quæ est diffusio per modum *verbi*, in quo omnia dicuntur, et per modum *doni*, in quo cætera dona donantur, potes videre per summam boni communicabilitatem, necesse esse Trinitatem Patris et Filii et Spiritus Sancti. In quibus necesse est propter summam bonitatem esse summam communicabilitatem, et ex summa communicabilitate summam consubstantialitatem, et ex summa consubstantialitate summam configurabilitatem, et ex his summam coæqualitatem, et per hoc summam coæternitatem, atque ex omnibus prædictis summam cointimitatem, qua unus est in altero necessario per summam circuminsessionem, et unus operatur cum alio per omnimodam indivisionem substantiæ et virtutis et operationis ipsius beatissimæ Trinitatis.

Sed cum hæc contemplaris, vide ne te existimes comprehendere incomprehensibilem (1). Habes enim adhuc in his sex conditionibus considerare, quod vehementer in stuporem admirationis inducit oculum mentis nostræ. Nam ibi est summa communicabilitas cum personarum proprietate, summa consubstantialitas cum hypostasum pluralitate, summa configurabilitas cum discreta personalitate, summa coæqualitas cum ordine, summa coæternitas cum emanatione, summa cointimitas cum emissione. Quis ad tantorum mirabilium aspectum non consurgat in admirationem? Sed hæc omnia certissime intelligimus esse in beatissima Trinitate, si levamus oculos ad superexcellentissimam bonitatem. Si enim ibi est summa communicatio et vera diffusio, vera est ibi origo et vera distinctio. Et quia totum communicatur, non pars, ideo ipsum datur, quod habetur, et totum

(1) Cave præsertim ne credas heic mysterium Trinitatis a priori demonstari, aut id velle S. Bonaventuram. Hæc enim omnia in unum tendunt, quo et nos ea adhibemus, ut scilicet, Trinitate per revelationem cognita, demonstrentur congruere consequentes effectus, ut supra de mysterio hoc, qua tali, agentes diximus.

Igitur emanans et producens et distinguuntur proprietatibus et sunt essentialiter unum. Quia igitur distinguuntur proprietatibus, ideo habent personarum proprietates, et hypostasum pluralitatem, et originis emanationem, et ordinem non posterioritatis sed originis, et emissionem non localis mutationis, sed gratuitæ inspirationis, per rationem auctoritatis producentis, quam habet mittens respectu missi. Quia vero sunt unum substantialiter, ideo oportet quod sit unitas in essentia, et forma, et dignitate, et æternitate, et existentia, et incircumscriptibilitate. Dum ergo hæc per se singillatim consideras, habes unde veritatem contempleris. Dum hæc ad invicem confers, habes unde in admirationem altissimam suspendaris: et ideo ut mens tua per admirationem in admirabilem ascendat contemplationem, hæc simul sunt consideranda (1) ».

Ex hac perbelli Bonaventuræ expositione luculenter patet ex revelato mysterio Trinitatis intimius ac perfectius intelligi summam Dei bonitatem essentialem; necnon merito eamdem appropriari Spiritui sancto, quod mox ulterius declarabitur.

*(Continuabitur.)*

---

(1) *Itinerarium mentis in Deum,* cap. VI, n 66-68.

# Quæstiones pro Conferentiis

## mensis Junii

—

I

Ostende 1° Judith ornatu suo et blandiloquentia noluisse pellicere Holofernem ad libidinem (Judith IX, 13, X, 2, 3); 2° eamdem suo ad Holofernem accessu neque turpitudinis periculo se temerè exposuisse, neque illius libidini vere consensisse (XII, 12-14).

II

Explana Jo. VI, 64: *Spiritus est, qui vivificat: caro non prodest quidquam. Verba, quæ ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt.*

III

Quæritur utrum Spiritus Sanctus sit causa formalis nostræ justificationis?

IV

Ex verbis Institutionis, apud Joan. XX. 22 et 23, ostende Sacramentum Pœnitentiæ esse institutum *per modum judicii.*

V

Solve sequentem difficultatem contra honestatem attritionis proponi solitam: Qui atteritur de peccatis ex metu inferni, plus timet infernum quam horret peccatum. Atqui hoc est inordinatum. Ergo inhonesta est attritio ex metu gehennæ concepta.

VI

*Quid in Const.* « OFFICIORUM AC MUNERUM » **De prohibitione et censura librorum** statuitur de libris acatholicorum? Brevis detur in hac re decretorum commentatio.

# Responsa

## ad quæstiones in Conferentiis mensis Martii propositas

—

### I

Q. Legitur in libro Judith IX, 2, 3: *Domine Deus patris mei Simeon, qui dedisti ei gladium in defensionem alienigenarum...* Quæritur 1° quid ibi veniat nomine *defensionis;* 2° an et quà ratione factum Simeonis laudabile fuerit atque à Juditha laudatum sit.

R. Ad 1um. Nomine *defensionis* hic venit vindicatio seu ultio in Sichimitas alienigenas, de quà Genes. XXXIV, 13-29.

Ad 2um. Factum Simeonis, quatenus profectum à Simeone, vituperabile fuit simpliciter, laudabile atque à Juditha laudatum secundum quid; quatenus vero profectum à Deo, laudabile ac laudatum fuit simpliciter.

Factum illud, quatenus à Simeone (et Levi) profectum, simpliciter vituperabile fuisse non solùm ex eò liquet quod illud Jacob tenuiter quidem Genes. XXXIV, 30, gravissimè verò ibid. XLIX, 5-7 reprehenderit, sed ex omnibus etiam illius facti adjunctis. Ubi nota multiplex Simeonis et Levi peccatum: « *Primum imprudentiæ et temeritatis*, cum adolescentes vix annorum viginti, inscio et invito patre rem tam arduam, tam periculosam in medio vicinorum hostium aggressi sunt. *Secundum, injustitiæ, et usurpationis juris alieni*, cum privata auctoritate, nullo justo titulo, bellum moverunt, principe familiæ suæ nec probante, nec consulto, penes quem tamen unum illud jus erat. *Tertium, perfidiæ ac proditionis*, cùm ulciscuntur injuriam jam à se condonatam, et justa satisfactione abolitam, mutuoque fœdere, quin et connubio extersam. *Quartum sacrilegii*, cùm ad dolos

et fraudes suas, et injustam cædem abutuntur circumcisione, re apud ipsos sacratissima. *Quintum, crudelitatis* et *tyrannidis*, cùm graviter læsos et afflictos, idque ex suggestione sua et in gratiam sui, jamque quasi moribundos, hostiliter invaserunt et jugularunt. *Sextum, oppressionis innocentum:* neque enim solum raptorem, ejusque familiam, sed et omnes urbis masculos, etiam innoxios et omnium inscios, jugularunt: pueros et feminas captivas abduxerunt, agros et domos spoliarunt, greges prædati sunt, mœnia suffoderunt. Unde et gravissime eos reprehendit Jacob, et moriturus etiam maledixit Gen. 49. vers. 5 ». Tirinus.

Idem porro factum, quatenus a Simeone profectum, laudabile atque à Juditha laudatum fuisse secundum quid, quatenus vero profectum à Deo, laudabile ac laudatum fuisse simpliciter, sic egregiè exponit Bonfrerius (In Genesim XXXIV, 27): « Difficultatem aliquam facit locus Judith IX, 2, 3, ubi et factum illud laudari, et quasi à Deo profectum commendari videtur his verbis: *Domine Deus patris mei Simeon, qui dedisti illi gladium in defensionem alienigenarum, qui violatores extiterunt in coinquinatione sua, et denudaverunt femur virginis in confusionem: Et dedisti mulieres illorum in prædam, et filias illorum in captivitatem; et omnem prædam in divisionem servis tuis, qui zelaverunt zelum tuum.* Verum ad hanc difficultatem respondeo, eo loco commendari et laudari hoc factum, *Primò*, quatenus profectum à Deo, quâ ratione non potuit non esse absolutè et ex omni parte laudabile. *Secundò*, quatenus à Simeone profectum; et hac ratione non absolutè, sed secundum quid laudari. Quatenus profectum à Deo, commendatur, ut qui in hoc facto partim positivè se habuerit, partim permissivè: positivè quidem, tum dando vires et arma Simeoni in sui suorumque defensionem et justam vindictam, cum non esset judex ad quem possent recurrere, volendo Sichimitarum ob hoc et alia scelera antecedentia justam punitionem, ob idque tum inspirando Simeoni

justam indignationem ob admissum stuprum, et desiderium vindictæ justæ et benè ordinatæ, licet hæc omnia deindè Simeon converterit in injustam et impiam vindictam. Permissivè verò se habuit Deus, supposità Simeonis malitià ad injustum, perfidum, sacrilegum, et crudelem modum, quo usus est Simeon in punitione et vindictà expetendà; quæ tamen omnia à Judith videntur tribui Deo positivè agenti, more Scripturæ, quæ ea quæ Deus permittit, justis et sapientissimis de causis dicit Deum facere et operari. Porrò quatenus hoc factum à Simeone profectum, erat simpliciter impium, secundum quid tamen, ratione videlicet zeli et justæ indignationis, ac detestationis stupri admissi, et desiderii initiò concepti id facinus vindicandi, seu justè in particulari, seu in genere abstrahendo à justitia et injustitia, erat laudabile, utpotè Dei voluntati positivæ consentaneum: et ob hunc pudicitiæ zelum à Judith dicuntur esse à Deo remunerati bonorum temporalium ac mulierum prædà. Cum hoc tamen stat, ut ratione aliorum, quæ in ipso facto admiscuit, simpliciter peccarit, paternamque maledictionem meruerit. Neque id novum est, ut in eodem facto aliquid sit laudabile, aliquid impium, imò absolutè sit impium, Deoque displiceat, esto secundum quid mereatur commendationem etiam apud Deum, et præmium aliquod temporale ».

G. V. D. P.

II

Q. Expone Jo. I, 14: *Et verbum caro factum est, et habitavit in nobis.*

R. *Et verbum caro factum est.* Hisce verbis declarat Evangelista *modum* quo Verbum *in propria venit* (11); simul vero « causam explicat quare Verbo tamquam proprium attribuerit, esse *lucem* et *vitam* hominum, potiùs quàm Patri; nimirum, quia caro factum, quod non Pater, meruit hominibus illuminationem vivifica-

tionemque cælestem; ut Deus Pater, merito incarnationis Filii, largiretur hominibus fidem, justitiam, adoptionem ». Luc. Brug. « Factus est enim filius hominis, dilectissimus Filius Dei, ut filios hominum faceret filios Dei ». S. Chrysost.

*Verbum*, ὁ λογος, illud Verbum. Non dicit Evangelista *Filius Dei*, sed *Verbum*, et quidem *cum articulo*, ut intelligamus illud idem esse, de quo hactenus locutus est, et nominatim in exordio sui sermonis, dicens: *In principio erat... apud Deum.*

*Caro*, hebraïsmus pro *homo* « Synecdoche est, quâ â parte totum significatur, per *carnem*, *homo* (Cf. Is. XL, 5; Luc. III, 6; Ps. LV, 5; Jo. XVII, 2; Rom. III, 20 etc.), ut e contrario *anima*, altera hominis pars, pro *toto homine* ponitur (Cf. Is. XLVI, 27; Rom. XIII, 1; I Pet. III, 20). Adeoque nihil est in veteri novoque Testamento hoc loquendi modo frequentius: quo ut non intelligitur homo carnis expers, quando anima vocatur, ita nec homo exanimis, quando caro dicitur, sed homo integer, constans anima rationali et carne sive corpore: nam et altera hîc latet synecdoche, carnis pro corpore ». Luc. Brug.

Porro dicit Evangelista *caro*, potius quam *homo* factum est:

1. Quia, ut notat Toletus, « sic magis Verbi cum natura nostra declaratur conjunctio. Si enim tantum dictum esset: Verbum *homo* factum est, posset existimari, hoc esse factum, quia animam sumpsit, quæ in carne est, non tamen quia ipsam carnem sibi immediate unierit: at dum dicitur: *caro* factum est, non relinquitur dubitandi locus: si enim sibi carnem, quæ remotior et dissimilior est, Verbum univit, etiam animam, quæ vicinior est, et similior, cum sit spiritualis et immortalis, univisse non dubitabitur ».

2. Ut duorum extremorum distantiam magis exprimat. « Opponit Verbo carnem, summo infimum, beato miserum, observandam præbens conjunctionem duorum longissimè à se mutuò distantium..., ut intelligatur,

quantus Deus, quantulum factus sit, et quantum *exinanierit semetipsum* (Philip. II, 7), ad quam inquam vilitatem nostrâ causâ se abjecerit, *formam* hominis, id est *servi, accipiens*. » Luc. Brug. *Caro* enim in S. Scriptura connotat hominis vilitatem, imbecillitatem, fragilitatem, miseriam ac mortalitatem, neque homo ante peccatum, sed post peccatum tantùm *caro* dicitur, per extenuationem et contemptum quemdam.

*Factum est*, ἐγένετο, cœpit esse quod antea non erat. Verbum, quod *erat* in principio adeoque ab æterno apud Deum, quodque erat Deus seu habens naturam divinam, in tempore factum est homo seu habens naturam humanam. « Id quod factum est in hoc mysterio, non est Verbum, sed caro sive natura humana, illiusque unio ad personam Verbi : quæ unio fuit actio illa qua humana natura juncta est personæ Verbi, ita ut in illa subsisteret non minus quàm divina natura. Facta autem fuit, non à solo Verbo, quamquam solum Verbum factum sit caro, sed à totâ Trinitate ». Luc. Brug.

Jam verò, his verbis non significatur aliqua mutatio in *Verbo*, sed solum in natura assumpta. Nam, ut notat S. Thomas in h. l. « *Verbum caro factum est,* per unionem ad carnem : unio autem relatio quædam est ; relationes autem de novo dictæ de Deo in respectu ad creaturas, non important mutationem ex parte Dei, sed ex parte creaturæ novo modo se habentis ad Deum ». — Quod autem dicitur *Verbum caro factum est*, « hoc utique non sic accipiendum est perinde quasi Verbum conversum sit in carnem ; quod vel cogitare absurdum est æque ac impium ; aut caro conversa sit in Verbum : quod vel ipsi rationi repugnat ; aut ex Verbo et carne conflata sit nescio quæ natura, ex divina et humana commixta : quæ fuit hæresis Eutychetis ; aut Verbum homini subsistenti semet conjunxerit, ita ut alia fuerit persona seu suppositum Verbi, et alia persona seu suppositum hominis in Christo : qui fuit error Nestorii, manifesto adversans dicto evangelico, *et Verbum caro factum est ;*

nam, quod observat S. Thomas ad h. l., « ad hoc *fit* aliquid ut sit ». Sed *Verbum caro factum est* quatenus persona Verbi humanam assumpsit naturam, quæ scilicet eo ipso temporis puncto quo à Spiritu sancto formata est in utero Virginis, præventa ne per se subsisteret velut persona, sic personæ Verbi conjuncta est ut in ipsa subsistentiam haberet, et utraque natura, divina et humana, integra, inconfusa, incommutabilis, indivisa et inseparabilis, in unitate personæ subsisteret: ut adeo unus et idem vere esset Deus et homo ». Liagre.

*Et* caro factum, *habitavit*, ἐσκήνωσεν, *tabernaculum posuit*, h. e. « habitavit visibile, et conversatum est, *in nobis*, inter nos homines, tamquam unus ex nobis, ut quivis alius homo mortalis ». Luc. Brug. Id longe ante prædixerat Baruch III, 38: « *Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est* ».

Nota cum Corluy: 1/ *Habitavit*, ἐσκήνωσε, tabernaculum posuit. Evidens allusio ad hebraicum *Schechen:* Exod. 25, 8; 29, 45; Ps. 73 (74), 2; Zach. 2, 10; Apoc. 7, 15; 21, 3. In mysterio incarnationis adimpleta est illa σκήνωσις, cujus in V. T. figura habetur.

2/ τὸ *habitavit in nobis* adhibent Hilar., Cyrill. et Ambros. contra eos qui dicunt, Verbum in carnem conversum esse. Si habitavit, ergo mansit Verbum. Notetur etiam quomodo Evangelista ab incarnatione *(et Verbum caro factum est)* transeat ad cohabitationem *(et habitavit in nobis)*, nimirum a communicatione Verbi cum *natura* humana ad ejusdem communicationem cum *societate* humana. Namque « *Deliciæ* ejus *esse cum filiis hominum* ». Prov. VIII, 31. Unde « ne quis existimaret carnem hanc a Verbo sumptam absconditè, ut à nemine videretur, et cum nemine conversaretur, adjunxit, *et habitavit in nobis*, conversando, commorando, convivendo, ut unus ex nobis ». Toletus. Stupenda plane Dei Filii philanthropia!

G. V. D. P.

III

Q. *Explica et demonstra hanc propositionem: Gratia est omnino gratuita, seu nulla opera ordinis naturalis possunt eam sive de condigno, sive de congruo, mereri.*

R. I. Jam ex ipsa « gratiæ » notione (cf. *Collat. Brug.* T. III. p. 510 seq.) constat gratiam esse aliquid indebitum. Hanc *gratuiti* notionem ulterius nunc investigantes, consideremus oportet ex duplici ordine, physico nempe et morali, exsurgere posse exigentiam ad aliquid.

Ex ordine *physico* oritur exigentia quando adest in subjecto physica quædam dispositio de se et positive appellans aliquam formam physicam: ita quando materia corporalis sufficienter disposita est ut actuetur ab anima rationali tunc adest physica exigentia animæ rationalis. Jamvero ex ipso conceptu gratiæ evidenter sequitur nullam dari posse in homine *physicam* dispositionem positive exigentem aliquam gratiam: est enim gratia auxilium *supernaturale* et qua tale positive indebitum naturæ. (cf. *Collat. Brug.* l. c.)

Ex ordine *morali* oritur exigentia per valorem moralem alicujus operis humani. In præsenti autem sola occurrit consideratio de valore ad bonum præmii, seu de merito.

*Meritum* definitur: « Obsequium cedens in utilitatem vel honorem alterius munere aliquo compensandum. » Meritum considerari potest et in *actu primo* et in *actu secundo*. Meritum in actu primo est id quod per se valorem aliquem habet ad præmium obtinendum: hic valor est ipsi operi intrinsecus. Meritum in actu secundo est id, quod præterea propter debitas conditiones, puta acceptationem præmiantis, de facto exigit præmium: quare meritum in actu secundo pendet etiam ab extrinseco. Præcipua autem meriti distinctio illa est qua meritum in *condignum* et *congruum* dividitur. Est

autem meritum *condignum* illud cujus valor secundum moralem rei existimationem est æqualis cum præmio, ita ut illud opus possit vere *exigere* præmium. Meritum autem *congruum* illud est cujus valor non est æqualis cum præmio, sed tale est ut possit allicere animum benevolum alterius ad conferendum præmium, ita ut adsit in opere aliqua *congruitas* ad hoc ut præmium detur.

In præsenti responsione ostendendum est operibus naturaliter factis nullam inesse exigentiam vel congruitatem moralem ad gratiam (1) quamlibet obtinendam a Deo. Et, ut patet, sermo hic est de *prima gratia:* nam si homo aliquam receperit gratiam, illa adjutus potest ulteriores gratias, sive de condigno sive de congruo, mereri.

II. Demonstratio. 1/ *Hominum operibus bonis naturaliter factis nullum inest* ad primam gratiam *meritum in actu secundo consideratum.*

A. Ex S. Scr. Arg. 1um. S. Scr. docet a/ non solum opera naturalia non reddere hominem gratum ac justum coram Deo, b/ sed id quo evadat homo vere justus coram Deo esse aliquid unicuique homini prorsus gratuitum, utpote concessum a Deo non intuitu operum ab homine factorum, sed ex effectu solius misericordiæ Dei, c/ et ideo (qua in re est valida confirmatio præcedentis asserti) nullam adesse rationem cur homo de suis operibus glorietur.

Ecce verba S. Scr.: a/ « Quia ex operibus legis (qua talibus) non justificabitur omnis caro » (i. e. nullus homo) Rom. III, 20. Quod autem Apostolus hic dicit de lege mosaica, potiori titulo valet de lege mere naturali.

---

(1) Quamvis gratuitas sit de ratione gratiæ generatim ac proinde competat non modo gratiæ *entitative* supernaturali, sed etiam gratiæ *quoad modum* supernaturali, tamen hic proprie consideramus gratiam *entitative* supernaturalem, quia ab hac proprie incipit ordo salutaris in homine ac salus ejus.

b/ « Justitia autem Dei per fidem Jesu Christi in omnes et super omnes, qui credunt in eum: non est enim distinctio..... Justificati gratis (h. e. dono gratuito respectu uniuscujusque justificati) per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Jesu... » (Ibid. 22-24). « Cum autem benignitas et humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei: non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam, (h. e. dono mere gratuito, non ratione aliquorum bonorum operum quibus mereremur nostram justificationem) salvos nos fecit..... » Tit. III, 4-5.

c/ « Ubi est ergo gloriatio tua? Exclusa est. Per quam legem? Factorum? Non: sed per legem fidei. Arbitramur enim justificari hominem per fidem sine operibus legis » (Rom. III, 27-28). *Justificari per fidem sine operibus legis* est justificari nulla talium operum ratione habita. (Beelen. Comm. in h. l.) Cf. Rom. XI, 5; Ephes. II, 8.

Arg. 2$^{um}$. Initium omnis justificationis est fides. (1) Atqui ipsa vocatio ad fidem est omnino gratuita seu independens ab operibus ante ipsam factis Ergo totum negotium justificationis est independens ab operibus naturaliter factis.

« Justitia autem Dei per fidem Jesu Christi » (Rom. III, 22). Sed « (Deus) nos liberavit et vocavit vocatione sua sancta non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum et gratiam » (2 Tim. I, 9). « Gratia enim estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis: Dei enim donum est, non ex operibus, ut ne quis glorietur. » Ephes. II, 8-9.

Ex duplici argumento supra exposito evidentur se-

---

(1) « Cum vero Apostolus dicit, justificari hominem per fidem et gratis; ea verba in eo sensu intelligenda sunt, quem perpetuus Ecclesiæ catholicæ consensus tenuit et expressit: ut scilicet per fidem ideo justificari dicamur, quia fides est humanæ salutis initium, fundamentum et radix omnis justificationis... » (Conc. Trid. Sess. VI, cap. 8, apud Denzinger *Enchir.* n. 683).

quitur a Deo *opera bona naturaliter facta nullo modo accipi ut ipsis justificatio, vel omne id quod ad ipsam positive ducit, retribuatur;* imo hoc inculcat S. Scr.: totum negotium salutis et nominatim ipsam vocationem ad fidem esse prorsus gratuitam, et nulla ratione præmium vel mercedem. Ergo omne meritum in actu secundo ad gratiam excluditur ab operibus naturaliter factis. (1)

B. Ex documentis Ecclesiæ. Cœlestinus I dicit: « Et non dubitemus, ab ipsius gratia omnia hominis merita præveniri, per quem fit, ut aliquid boni et velle incipiamus et facere. » (Epist. contra Semipelagianos, cap. 12, apud Denzinger, *Enchir.*, n. 96). Conc. Araus. II, docet: « Si quis sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, studentibus, petentibus, quærentibus, pulsantibus nobis misericordiam dicit conferri divinitus, non autem ut credamus, velimus, vel hæc omnia sicut oportet agere valeamus, per infusionem Sancti Spiritus in nobis fieri confitetur, et aut humilitati, aut obedientiæ humanæ subjungit gratiæ adjutorium, nec ut obedientes et humiles simus, ipsius gratiæ donum esse consentit, resistit Apostolo dicenti: Quid habes quod non accepisti? et: Gratia Dei sum id quod sum. » (Can. 6, apud Denzinger, *Enchir*, n. 149) Conc. Trid. declarat: « Ipsius justificationis exordium in adultis a Dei per Christum Jesum præveniente gratia sumendum esse: hoc est, ab ejus vocatione, qua, nullis eorum existentibus meritis, vocantur. » (Sess. VI, cap. 5, apud Denzinger, *Enchir.*, n. 679).

2. *Hominum operibus naturaliter factis nullum inest ad primam gratiam meritum in actu primo consideratum.*

Hoc ex ratione theologica demonstratur. Meritum,

(1) Quomodo hæc omnimoda gratiæ gratuitas concilietur cum asserto: « *Facienti quod in se est Deus non denegat gratiam* » vide apud Jungmann, *De Gratia*, n. 214; Palmieri, *De Gratia actuali*, Thes. XXXIV, n. II et III, et *Collat. Brug.*, t. II, pag. 179 et sqq.

in actu primo importat valorem aliquem operi intrinsecum qui de se par est obtinendo præmio: valorem, dico, qui de se capax sit vel vere exigendi præmium, et tunc est meritum condignum, vel alliciendi alterum ad præmium ex benevolentia concedendum, et tunc est meritum congruum. « Actus autem cujuscumque rei non ordinatur divinitus (nec de se ordinabilis est) ad aliquid excedens proportionem virtutis quæ est principium actus; hoc enim est ex institutione divinæ providentiæ ut nihil agat ultra suam virtutem. Vita autem æterna (et omnis gratia, quippe quæ ad vitam æternam positive ducit) est quoddam bonum excedens proportionem naturæ creatæ... Et inde est quod nulla natura creata est sufficiens principium actus meritorii vitæ æternæ (et gratiæ) nisi superaddatur aliquod supernaturale donum, quod *gratia* dicitur. » (S. Thom. 1-2, q. CXIV, a. 2).

J. V. D. M.

IV

Q. *Qui mane communicavit ex devotione vel ad satisfaciendum præcepto paschali, an et quare potest vel debet eadem die viaticum suscipere, subitò instante mortis periculo?*

R. Ad præsens dubium solvendum quadruplex, apud S. Alph., VI, n. 285, refertur sententia:

1ª *affirmat* illum posse et debere viaticum suscipere. Citantur sententiæ patroni; 2ª sent. dicit ipsum non teneri sed posse communicare; 3ª sent. « dicit (ipsum) nec teneri nec posse communicare »; 4ª autem sent., cui qua probabiliori subscribit S. Doctor, *distinguit:* « *Potest* communicare imo (probabilius).... *tenetur*, si periculum *ex causa extrinseca* proveniat, puta ex vulnere...., quia tunc revera nondum communicavit in mortis periculo constitutus; *non potest* si *ex causa intrinseca* oriatur, puta ex apoplexia.., quia tunc jam aderat mane mortis

periculum, etsi ignotum ». Aertnys, *Theol., mor.*, II, n. 91, qu. 5°. (1)

Jamvero præferendam ducimus *sententiam secundam* ita ut respondeamus : *potest sed non debet* viaticum suscipere, ille qui mane communicavit et eadem die subitó periclitatur *undecumque periculum exoriatur*, ex causa extrinseca vel intrinseca. Quam solutionem sic proponimus vindicandam:

*Ad 1/ :* « *Non tenetur* ». Ad minus enim *probabile est intrinsece et extrinsece* ipsum satisfecisse jam præcepto divino suscipiendi SS. Eucharistiam in articulo mortis ; et eo ipso obligatio denuo communicandi evadit incerta adeoque imponi nequit. Ponimus autem ipsum digne communicasse.

Revera a/ *extrinsecam* probabilitatem fundat auctoritas tot ac tantorum AA., quos adducit S. Alph. l. c., tam sub 3ª sent. quam sub 2ª , quibus accedunt recentiores non pauci dictam sententiam saltem qua probabilem habentes. Ita inter alios Lehmk., II, n. 146; Ball-Palm., IV, n. 186; Bucceroni, II, n. 562 ; Lahousse, *De Euchar.*, n. 147; Suarez, Disp. 69, Sect. III, qui testatur alteram sententiam « esse contra omnes Doctores »

b/ nec *intrinseca* desideratur probabilitas. Unicum enim fundamentum sententiæ obligationem sustinentis, est in hoc quod mane nondum currebat tempus utile ad præcepti adimpletionem, cum nondum adesset articulus mortis. Quod stringens non videtur argumentum. Mortis namque articulus, in quo ex præcepto divino ad communionem obligamur, nequaquam est stricte intelligendus pro momento physico mortis proxime instantis, imo nec ita ut causa mortis jam operetur, sed morali modo est sumendus pro fine vitæ, seu pro tempore mortem brevi præcedente. Cfr. Suarez, Disp. 69,

(1) De Lugo, disp. XVI, sᵉ III, ad quem provocat S. Ligorius distinguit quidem inter duplicem speciem periculi repentini, sed *in utraque prohibet* quominus viaticum suscipiatur (n. 58 et seq.)

Sect. III et De Lugo, disp. XVI, n. 40. Quod plane consonum est ipsi fini ob quem mandatum divinum est inductum. Nimirum sumenda est Eucharistia, morte appropinquante, ut robur accipiat anima et virtutem ex cibo eucharistico, « in illo articulo ex quo pendet ultimò æternitas, et imminet ultima lucta cum hoste ad decernendum de tota re ». Lugo, *De Euch.*, l. c. n. 35. Ex SS° verò Sacramento robur accipitur non tantum ipso susceptionis momento, sed continuò quasi ex fonte dimanat ex ipso virtus illa divina, mediantibus gratiis specialibus, ad quas ordinem dicit gratia eucharistica.

Ad hoc igitur ut vigeat præceptum viatici, ipsique fieri queat satis, sufficit aliqua propinquitas mortis, eaque, notate, *quacumque ex causa imminens*, sive ab extrinseca sive ab intrinseca; sola namque Extrema Unctio postulat periculum ab intrinseco seu ex infirmitate exoriens. Nec officit penes sic communicantem defectus intentionis SS. Sacramentum sumendi *ad modum viatici*, cum intentio adimplendi præceptum minime requiratur, uti explicatur in tractatu de Legibus. Cfr. et De Lugo, *De Euchar.*, l. c., n. 38.

Confirmatur hæc solutio ex eo quod, si ante periculum mortis in se vel in suis causis jam operantibus præsens, non possit præcepto viatici satisfieri, *non deberet* capite damnatus postera die plectendus viaticum suscipere, etiamsi prævideret sibi ante supplicium SS. Sacramenti copiam defuturam; quemadmodum non tenemur sabbato audire sacrum quia prænoscimus impedimentum obfuturum postera die.

Ad II/. Nec solida deest probabilitas alteri parti theseos asserentis ipsum in casu *posse* denuo SS. Sacramento refici, *etiamsi periculum ab intrinseco proveniat.*

Huic praxi opponitur lex ecclesiastica de non communicando bis de die; nec dicendum est hanc legem cedere præcepto divino viatici sumendi, cum sub I, ostenderimus illud præceptum probabilius fuisse adim-

pletum. Censemus tamen Ecclesiam dictam suam legem relaxare in casu, coram suprema illa necessitudine, in qua versatur sic subitò in mortis amplexu constitutus. Movet nos tum materna Ecclesiæ sollicitudo circa moribundos, quibus omni quo potest adminiculo succurrere non desinit; tum analogia cum severiori præcepto jejunii, quod Ecclesia remittit in mortis periculo: indulget nimirum pia Mater periculosè decumbentibus ut communicent non jejuni, non modò semel, ad divinum viatici præceptum exequendum, sed etiam pluries, durante eodem periculo, pro singulari devotione uniuscujusque; nolens prohibere infirmos in limine æternitatis constitutos ab iterata fruitione panis angelici, in cujus fortitudine ambulent usque ad montem Dei.

Equidem non sineret Ecclesia ut moribundus, qui manè, *periculi instantis conscius*, viatico est refocillatus, eadem die rursus ex devotione communicet; et hoc facile intelligitur. Sed plane diversa est hypothesis nostra, in qua agitur de aliqua persona quæ mane, *periculi inconscia et de morte non cogitans*, ad sacramenta accessit, et eodem die inopinatè periclitatur: huic, non illi, sane durum esset negare supremam hanc consolationem sic in mortis angustiis subito versanti (1). Quamvis namque, uti diximus, SS. Eucharistia accipienti non proficiat in solo susceptionis momento, potissimus tamen fructus percipitur in ipsa panis cœlestis manducatione.

Hanc opinionem practice tutam esse testantur AA. recentiores vix non omnes (2), verbis Bened. XIV (de syn. diœc., l. VII, cap. 11, n. 2) controversiam concludentes: « In tanta opinionum varietate, Doctorumque

(1) Supponimus aliquod notabile intervallum inter utramque communionem intercedere.

(2) Cfr. inter alios S. Alph., l. c., Ferraris, *Prompta Biblioth.*, V° Eucharistia, n. 36; Gury, II, n. 319; Baller. — Palm., l. c.,; Bucceroni, l. c.; Lehmk.; l. c.,; Lahousse, l. c.,; Haine, *De Euchar.*, qu. 31; Gasparri, *tractatus de SS. Euchar.*, II, n. 1152, etc...

discrepantia, integrum erit parocho eam sententiam amplecti, quæ sibi magis arriserit ».

Nec prorsus aliena est ab usu Ecclesiæ, in nostris saltem regionibus, et sic infirmatur præcipuum argumentum contradicentium veterum, uti Suarez l. c. et De Lugo, l. c. n. 55, qui arguunt ex consuetudine contraria.

A. D. S.

V

Q. *Qui non potest ad sacram synaxim accedere tempore paschali, an et quare 1/ debet communicare postea, 2/ satisfacit præveniendo?*

R. Ad I/ respondetur *affirmative*. Debet nempe communicare postea, quia præceptum communionis paschalis est virtualiter duplex, urgens nimirum 1/ ad communionem *annuam*, eamque 2 *determinate in paschate* sumendam. Unde qui non potest ad sacram synaxim accedere tempore paschali, adeoque excusatur ab hac parte legis Lateranensis, non ideo liberatur à communione per reliquam partem anni suscipienda; quod principium exhibetur in trita formula: « tempus paschale determinatur non ad finiendam obligationem sed ad urgendam ». Cfr. S. Alph., l. VI, n. 297, cum AA. citatis.

Porro virtualis præcepti duplicitas deducitur cum ex ipso Lateranensi textu, tum ex ipsius authentica interpretatione, ab Eugenio IV tradita in Constit. « *Fide digna* », in qua legimus: « Cum dicat canon Ecclesiæ: omnis utriusque sexus fidelis saltem semel in anno confiteatur, et infra, suscipiens *ad minus* in Pascha reverenter Eucharistiæ Sacramentum... »,[1] necnon et in canone 9° sess. XIII Conc. Trid.: « si quis negaverit omnes:... teneri *singulis annis*, *saltem in Paschate*, ad communicandum... anathema sit ».

Ad II respondetur *negative :* non satisfacit præveniendo seu ante tempus paschale communicando, nisi ab auctoritate competente ipsi facultas fuerit facta anticipandi impletionem prædicti præcepti.

Ratio est quia lex impleri nequit antequam existat, uti dictum est in responso ad IV^m^ quæstionem ; lex autem paschalis in geminata sua parte non incipit existere nisi Dominica Palmarum ; communio ergo ante hunc terminum instituta non esset « impletiva præcepti » juxta dictum Suarez, disp. 70^a^, sect. II^a^.

Et sane a/ quod spectat alteram præcepti partem, de communione *determinatè in Paschate* suscipienda, tempus impletionis stricte delineatur a Dominica Palmarum ad Dominicam in Albis. Habetur enim in prælaudata Eugenii IV constitutione : « Intelligimus itaque optimo jure esse satisfactum canoni (Lateranensis concilii), si *in hebdomada sancta*, vel *infra octavam Resurrectionis dominicæ*..... fideles præparatione debita, sanctum Eucharistiæ pignus accipiant ».

b/ quod attinet præceptum *communionis annuæ*, nec illud inchoatur ante Dominicam Palmarum. Computandus est enim annus paschalis (infra quem currit tempus utile instituendæ communionis annuæ) ab uno tempore paschali ad alterum. Quod principium rursus proclamatum invenimus in præcitato documento pontificio, mentem legislatoris Lateranensis interpretante : « Dicimus expresse (legislatorem) *terminum statuisse a Pascha ad Pascham* (1) ; cum dicit semel in anno et infra ad minus in Pascha (2) ».

(1) Pascha hic sumendum est pro tempore paschali, adeo ut formula Eugenii IV æquivaleat : ab una Dominica Palmarum ad alteram.

(2) Hanc nostram solutionem sub II, ad b, propositam rejicit Card. De Lugo, Disp. XVI, s^n^ 4^a^. Ipse concedit quidem præoccupari non posse communionem *paschalem*, uti dictum est sub a/, sed posse satisfieri præcepto communionis *annuæ*, communicando ante tempus paschale. Sed hæc opinio, in quantum recedit a nostra, nititur falso fundamento, a Lugone supposito, quatenus annus paschalis sit computandus juxta computum civilem ; tenet nempe tempus instituendæ communionis *annuæ*

Dictum est: nisi ab auctoritate competente facultas fuerit facta anticipandi... Quæ profecto facultas nequit concedi a parocho vel confessario; vi nempe decreti Lateranensis valet quidem proprius sacerdos, ob rationabilem causam, permittere ut subditus vel pœnitens ad tempus *proroget* impletionem præcepti paschalis, minime vero ut *præoccupet* ipsam. Hoc ultimum contra Gasparri, *De Euchar.*, II, n. 1156, qui hic erronee citat Ferraris, *Prompta Bibliotheca*, V° Eucharistia, I, n. 10.

*Conclusio.* Qui non potest ad sacram synaxim accedere tempore paschali 1/ *tenetur* (1) communicare postea, idque *per se usque ad sequens tempus paschale* (2); sed 2/ *non tenetur* prævenire tempus paschale, nec absque legitima facultate præveniendo, præcepto *satisfacere potest.*

A. D. S.

---

currere a 1a Januarii usque ad 31m Decembris. Quod agnoscit S. Alph., VI, n. 298, qui postquam dixit sententiam Lugonis de præoccupanda communione annua, in se spectatam, ipsi videri multo probabiliorem, addit: « sed advertendum quod ipsa (sententia) procederet tantum juxta opinionem illorum, qui dicunt obligationem hujus annuæ communionis incipere a Januario et terminari ad Decembrem ».

(1) Siquidem, in casu, non obligatur jam nisi ad communionem *annuam*, ideo per se non est cogendus ut *quamprimùm* communicet et stricte sufficit ut ante finem anni paschalis satisfecerit. Cfr. De Lugo, l. c., n. 62.

(2) Manet enim, uti vidimus, obnoxius legi communionis annuæ, donec annus sit revolutus, adeoque, juxta dicta, usque ad alterum Pascha. Cui conclusioni logice coguntur subscribere, quiqui admittunt duplicem partem in canone Lateranensi, et simul annum paschalem computandum censent juxta computum Eugenii IV. Ideo non videmus quo jure nonnulli ex illis AA. (uti Genicot, II, n. 208, post Berardi; P. Van Gestel, *studiën*, 1897, II, p. 477) hanc obligationem communicandi restringant *ad breve tempus*, post Pascha elapsum. Nisi quod forte dicere velint præfatam obligationem objective existentem non semper esse inculcandam pœnitentibus, quippe qui nonnunquam in bona fide sunt relinquendi: bona autem fides facile aderit, si jam plures menses a Paschate effluxerint.

## VI

Q. *Quænam requiritur ratio ut parvuli plures simul baptizentur solemniter et quomodo in casu procedendum?*

R. Quæstio intelligi potest vel de ipso baptismo pluribus simul collato seu de ipsa ablutione sacramentali facta simul pluribus sub unica forma et plurali locutione « *Ego vos baptizo* » etc.; vel intelligitur de toto ordine cæremoniarum, exorcismorum et precum, an scilicet communiter super plures fieri vel in numero plurali super plures recitari possint.

Jamvero quoad primum casum, quamvis valide plures simul baptizentur sub hac forma *Ego vos baptizo* etc., dummodo cætera requisita adsint, attamen ad liceitatem requiritur urgens necessitas, ut scilicet immineat mortis periculum vel alia urgentissima causa et tempus non patiatur ut singuli separatim baptizentur (1). Quod probatur ex rubricis Ritualis Romani. Hoc enim agens, tit. II, cap. 1, nº 20, de monstro « de quo dubium est unane aut plures sint personæ » vult ut non baptizetur, donec id discernatur, et si constat homines esse distinctos « eo casu, ait rubrica, *singuli seorsum* sunt baptizandi, unicuique dicendo: *Ego te baptizo* etc. Si vero periculum mortis immineat, tempusque non suppetat, *ut singuli separatim* baptizentur, poterit minister singulorum capitibus aquam infundens omnes simul baptizare, dicendo: *Ego vos baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*. Quam tamen formam in *iis solum, et in aliis similibus mortis periculis et ubi tempus non patitur, ut singuli separatim baptizentur, alias nunquam, licet adhibere* ». (2) Expresse ergo docetur singulos, quantum fieri potest, seorsum esse baptizandos et formam: *Ego vos* etc. ad plures simul baptizandos, nonnisi in mortis

(1) Cfr. Clericati, *de Baptismo*, decis. XXXIV, nº 1.
(2) Cfr. Rit., tit. II, cap. 4, nº 45.

periculis et ubi tempus non patitur singulos baptizare, licite adhiberi.

Causa autem sufficiente existente, in casu tali modo est procedendum, ut, sub pronuntiatione formæ communis, singuli baptizandi, quantum satis est, abluantur (1), sive per infusionem, sive per immersionem, sive etiam, necessitate impellente, per aspersionem administretur hoc sacramentum (2).

Si autem quæstio ponitur de ordine cæremoniarum et precum, quæ ipsum baptismum singulis seorsum collatum, præcedunt, comitantur vel sequuntur, ex Rituali liquet *quasdam* aliquando posse peragi vel recitari semel super plures baptizandos, quum tit. II, cap. 2, *Ordo baptismi parvulorum*, nº 27, rubricam specialem ponat: « Si vero fuerint *plures* baptizandi... omnia pariter dicantur ut supra in proprio genere et numero plurali » etc. Inquirendum autem an vel quænam exigatur ratio ut hoc fieri possit. Baruffaldus (3) quem alii sequuntur, docet « nonnisi cum *urgentissima causa* hanc rubricam et ejus regulas esse adhibendas, nempe in casu conversionis ad fidem multarum familiarum infidelium et pene innumerabilium personarum tempore alicujus suspicionis, invasionis, incendii vel alicujus magni periculi ». Alii indulgentius opinantur de liceitate hunc ritum adhibendi, sed tamen hoc fieri licere dicunt, non pro libitu sed tantum in necesitate (4) et passim fieri non debere (5). Sed opposita sententia tenet hoc fieri posse sine necessitate, quia nulla ratio requiritur in Rituali, l. c., et insolitum non est ut quædam, ne repetantur, dicantur in plurali numero; favet etiam Pontificale quod in appendice sub titulo: « Pontificalis ritus pro baptismo parvulorum », clare et explicite in ipso

(1) Ballerini-Palmieri, *de Baptismo*, nº 53.
(2) Cfr. O'Keane, *Explication des rubriques du Rituel* nº 527.
(3) Ordo baptismi parvulorum, 56.
(4) Ill. Vanderstappen, *de Adm. Sacr.* q. 107.
(5) Pourbaix-Coppin, nº 619.

ordine baptizandi tradit regulas sequendas pro casu, quo Episcopus plures parvulos baptizat, notando expresse quænam « singulariter singulis », quænam « in plurali pro omnibus », quænam « sine mutatione pro omnibus », recitanda vel facienda sunt, quin ullam rationem exigat ad hunc ritum adhibendum. Ita *Mélanges Théologiques* (1) dicunt arbitrarie Baruffaldum exigere causam gravissimam, cum Rituale nullam mentionem de hac faciat et ordinem cæremoniarum pro pluribus exhibeat tanquam rem usualem. Falise (2) censet irrationabiliter exigi causam gravissimam, cum teste ipso Baruffaldo, « in plurali numero pauca, imo paucissima fieri possint », et ipsi videtur nullam rationem requiri cum Rituali nullam supponat. Plures etiam auctores, uti Martinucci, Romsée, tradunt ritus servandos, nullam mentionem facientes de causa requisita ad liceitatem eos adhibendi. Unde merito concludit O'Keane, l. c., nº 360, posse sacerdotem hanc rubricam Ritualis tuto in praxim deducere, quando plures simul parvuli ad baptismum offeruntur.

Quomodo autem in casu sit procedundum, ipsum Rituale in rubrica citata et ex professo Pontificale Romanum, l. c., indicant et regulas exhibitas interpretantur auctores. « Si fuerint plures baptizandi, sive masculi, sive feminæ, in catechismo masculi statuantur ad dexteram, feminæ vero ad sinistram », quod communiter ita intelligitur ut masculi sint ad dexteram feminarum. « Omnia pariter dicuntur ut supra (in ordine baptismi), in proprio genere, et numero plurali », scilicet illa quæ recitari possunt semel pro pluribus dicuntur in numero plurali, in genere femineo si omnes sunt feminæ, in genere autem masculino si omnes masculi vel si fuerint masculi et feminæ simul baptizandi, « etiamsi sint plures feminæ quam masculi » ; ita, ubi legitur *hunc electum tuum* dicendum erit *hos electos tuos*, nisi omnes baptizandi sint feminæ, quo casu dicitur *has electas tuas*.

(1) VI Série, p. 503.

(2) *Cours abrégé de liturgie pratique*, Sect. V, § IV, 8 in nota.

Verum plura « singulariter singulis et primum masculis deinde feminis fieri debent » (Rit.) et « quædam non in numero plurali pro omnibus, sed in numero singulari pro singulis dici oportet. » (Pontif. *l. c. in fine*). Ita singulariter singulis facienda sunt: 1° Prima nominis interrogatio et Catechismus, exsufflatio, crucis impressio seu signatio, quæ fiunt unico tractu successive super unumquemque, à verbis: N. *quid petis* etc. usque ad: *ut templum Dei jam esse possis.* 2° Prior manus impositio singulorum capiti per momentum; antequam sacerdos, sustinens manum extensam versus baptizandos, super omnes in plurali dicat orationem: *Omnipotens, sempiterne Deus* etc. — 3° Immissio salis in ore cum verbis *N. accipe sal* etc., *Pax tecum* etc. — 4° Crucis impressio in fronte singulorum sub verbis: *Et hoc signum* etc. — 5° Secunda manus impositio capiti, quam sequitur oratio in plurali *Æternam ac justissimam*, manu sacerdotis extensa ad omnes baptizandos. — 6° « Tactus aurium et narium cum saliva » sub formulis *Ephpheta* etc., *In odorem* etc..... *judicium Dei.* — 7° « Abrenuntiationis interrogatio et unctio olei catechumenorum » à verbis: « *N. abrenuntias satanæ* » usque « *habeas vitam æternam. Amen.* » — 8° « Interrogatio de fide seu symbolo » (*N. credis in Deum* etc.) et reliqua omnia quæ sequuntur scilicet « ipse baptismus, inunctio Chrismatis, candidæ vestis impositio, atque accensæ candelæ traditio », quæ fiunt, juxta Ill. Vanderstappen (1), unicò tractu super unumquemque usque ad dimissionem infantis sub verbis *Vade in pace* etc. inclusive. Juxta tamen O'Keane (2), cui rubrica Pontificalis non contradicit, post baptismum omnibus collatum, fit successive singulis unctio Chrismatis; et hac omnibus facta et digitis abstersis, sacerdos singulis successive imponit vestem candidam, tradit candelam et dicit *N. Vade* etc.

(1) l. c., q. 108.
(2) l. c. n° 377.

Notari etiam potest, pro introductione parvulorum in ecclesiam post orationem *Æternam et justissimam* etc., sufficere ut sacerdos imponat extremitatem stolæ primo infanti introducendo, quem alii sequantur ex ordine, et ita omnes simul introducat sub formula in plurali: *N.N. ingredimini in templum Dei ut habeatis* etc. (1) Juxta Martinucci (2) potest Parochus extremitatem dexteram stolæ imponere capiti primi baptizandi et extremitatem sinistram capiti primæ baptizandæ.

« Possunt itaque tantum quædam orationes in numero plurali dici, et in eis quidem, ubi occurrit nomen baptizandi exprimendum, debent omnia nomina exprimi. » (3)

H. V. D. W.

# Evangelia Dominicarum

## Dom. XII post Pentec.

*Præceptum de dilectione. Parabola de Samaritano.*
Luc. X, 23-37.

***

Te dien tijde zei Jesus tot zijne leerlingen: 23 Zalig zijn de oogen, die zien hetgene gij ziet! 24 Want ik zeg u: vele profeten en koningen hebben begeerd te zien wat gij ziet, en hebben het niet gezien: en te hooren wat gij hoort, en hebben het niet gehoord.

25 En zie, zeker wetgeleerde stond op om hem te beproeven, en zei: Meester! met wat te doen zal ik het eeuwig leven bezitten? 26 En hij zei tot hem: Wat staat er in de Wet geschreven? hoe leest gij? 27 Hij ant-

(1) Nouv. Revue Théol. III, p. 433.
(2) Lib. IV, cap. 2, nº 21.
(3) Ill. Vanderstappen, l. c.

woordde en zei: Gij zult den Heer uwen God liefhebben uit geheel uw hert, en uit geheel uwe ziel, en uit al uwe krachten, en uit geheel uw verstand; en uwen naaste als u zelven. 28 En hij zei tot hem: Gij hebt goed geantwoord; doe dat, en gij zult leven. 29 Maar hij, willende hemzelven rechtveerdigen, zei tot Jesus: En wie is mijn naaste? 30 En Jesus hernam en zei: Zeker mensch kwam af van Jerusalem naar Jericho; en hij viel onder roovers, die hem ook uitschudden, henengingen, en hem half dood lieten liggen. 31 Nu gebeurde het, dat een zeker priester dienzelfden weg afkwam; en toen hij hem zag, ging hij voorbij. 32 En even zoo ook een leviet, als hij nabij die plaats gekomen was en hem zag, ging voorbij. 33 Maar een zeker Samaritaan, die op reis was, kwam omtrent hem, en hem ziende, werd hij van medelijden bewogen. 34 En hij kwam bij, en verbond zijne wonden, gietende daarop olie en wijn; en hij hief hem op zijn *eigen* lastdier, en bracht hem in eene herberg, en verzorgde hem. 35 En des anderen daags haalde hij twee penningen uit, en gaf ze aan den weerd, en zei: Draag zorg voor hem, en wat gij meer te koste zult leggen, dat zal ik u wedergeven, als ik terug kom. 36 Wie van deze drie dunkt u de naaste geweest te zijn van dezen die onder de roovers gevallen was? 37 En hij zei: Die bermhertigheid aan hem gedaan heeft. En Jesus zei tot hem: Ga heen, en doe desgelijks.

*
* *

## Notationes

Quoad *præceptum de dilectione Dei et proximi*, vide *Collat. Brug.* t. III p. 463, *Dom. XVII post Pentec.*

*Scopus et explicatio litteralis parabolæ de Samaritano.*

« Quoniam Pharisæi et Scribæ *proximi* nomine interpretabantur fere significari suæ gentis homines, aut qui eis benefacerent, ita ut huic legi adderent (Matth. V), *odio habebis inimicum tuum*, hinc Dominus hac parabola

indicat, proximum non concludi Judaicis terminis, sed unumquemque hominem sub hac appellatione comprehendendum. Non tamen Domino curæ fuit simpliciter tantùm respondere ad propositam quæstionem, et ei satisfacere, sed accepta occasione pro more plus docere voluit quàm quærebatur. Quoniam enim Judæi de religione et pietate gloriabantur, ac Samaritanos veluti irreligiosos abominabantur, nec ut proximos habebant, hac parabola, simul ad reprimendum Judæorum fastum, notare voluit illos gentilibus et Samaritanis in vera pietate, et dilectionis proximi observatione esse inferiores, cum inventus sit Samaritanus illi misericordiam exhibuisse, quem hi qui primas religionis partes in Judaico populo obtinebant, sacerdos, scilicet, et Levita, præterierant: indicans etiam veram pietatem et religionem magis consistere in sublevatione miserorum, quàm in externis cæremoniis, de quibus sibi placebant sacerdotes et Levitæ. Rursùm, quoniam Scribæ magis studebant intelligere quam servare legem, curiose de dictionibus disputantes, Dominus hoc exemplo proposito non tantùm docere voluit quis proximus habendus, sed quomodo sit diligendus: unde concludens admirationem (ad imitationem?) provocat, dicens: *Tu fac similiter...*

*Primò* ergo in hac parabola ob oculos ponit hominem valde miserum et miseratione dignum, locum convenientem calamitati ejus observans. *Homo*, inquit, *quidam descendebat ab Hierusalem in Jericho*, (Hierusalem enim in montanis est locis, Jericho vero in convallibus) *et in via incidit in latrones*. Periculosus enim fuit locus inter Hierusalem et Jericho, quemadmodum patet testimonio D. Hieronymi, qui epistola ad Eustochium virginem, dicit inter Hierusalem et Jericho fuisse locum qui dictus est Adomnim, hoc est, sanguinum, quia multus in eo sanguis crebris latronum fundebatur incursibus... Itaque apte hunc locum in sua narratione delegit Dominus. Duplicem autem hominis istius calamitatem notat cum

subdit latrones primùm spoliasse eum omnibus quæ habebat, ac deinde non hoc contentos, etiam vulnera inflixisse, ita ut semivivus relinqueretur in via: mox periturus si nemo succurreret, ut qui sibiipsi opem ferre, et medicum quærere non posset. Multis ergo nominibus hunc notat miseratione dignum, nempe quia homo, quia omnibus exutus, quia graviter vulneratus, quia mox periturus, quia ab omnibus desertus, postremùm quòd sibi succurrere non valeret.

Tam misero autem homine ob oculos posito, ut Judæorum crudelitatem, et immisericordiam graphicè depingeret, *secundo* loco producit sacerdotem et Levitam, quorum maxime intererat huic misereri, tum quòd primas religionis partes sibi vendicarent, tum quòd hic homo in eorum regione inventus esset, imò etiam Judæus esset atque Hierosolymitanus, quemadmodum satis indicatur cum e Hierusalem descendisse dicitur in Jericho; qui tamen nulla erga tam miserum commoti sunt misericordia. *Accidit*, inquit, *ut sacerdos quidam descenderet per eamdem viam*, et cum vidisset illum, non solùm nullum impendit beneficium, sed sine etiam commiseratione *præteriit*, cum et ob religionis professionem potissimùm debuisset præstitisse Dei præceptum, cujus observatio illi gratior est quàm victima, et holocausta, et ob generis ac civitatis vinculum maximè erga illum misericordià moveri. Post hæc accidit, ut eadem transiret Levita quidam, a quo meritò quis item expectasset observationem præcepti divini, quòd deditus templo frequenter sacris operaretur. Sed et is quoque viso saucio præteriit, neque quicquam opis attulit fratri et populari suo.

Hac autem narratione cum jam Dominus Judæorum crudelitatem et præposteram religionem notasset: e regione intolerandæ hujusmodi in sacerdote, et Levita crudelitatis, opponit *tertio* loco summam humanitatem ejus a quo minime illa expectanda videbatur, ita ut ex oppositione, magis et illorum crudelitas, istius huma-

nitas ostendatur. Itaque Samaritanum introducit, quales præ omnibus gentibus Judæi maxime aversabantur, sicut et illi Judæos, ut a Samaritano minime expectanda videretur tanta humanitas Judæo homini exhibita. *Samaritanus*, inquit, *quidam dum iter faceret, venit juxta eum, et cum vidisset eum, mox misericordia motus est erga eum* etsi Judæum, cum ipse esset Samaritanus. Nec tantum misertus est, sed neglecto itineris dispendio, propiùs accessit, et obligavit vulnera ejus, infundens priùs oleum et vinum quæ forte secum pro viatico assumpserat, quorum commistura vulneribus curandis commoda erat, quòd oleum sit lenitivum, vinum verò malorum humorum arrosivum. Nec hoc officio contentus, imposuit illum in jumentum suum, ac deportavit in stabulum, hoc est, diversorium et hospitium meritorium, ne quis intelligat de stabulo jumentorum. Nam Græce est πανδοχεῖον, vox hinc dicta, quod quoslibet recipiat, quod Latini vocant diversorium meritorium... Deductum autem hominem in suum diversorium, etiam diligentiùs curare studuit, advocans scilicet chirurgum. Et cum altera die itineris necessitas urgeret, nondum tamen satisfactum sibi putabat, nec illum hospiti proprio sumptu curandum reliquit, sed prolatis duobus denariis dedit stabulario, id est, hospiti meritorio, ut tantisper illius curam haberet, quousque ipse peracto itinere rediisset, dicens: Habes pretium, de meo cura hunc, et quicquid ultra summam hanc impenderis, non peribit tibi, sed ego reversus resolvam.

His omnibus cùm Dominus pulchre exaggerasset hujus humanitatem, subjecit: *Quis horum trium videtur tibi proximus fuisse illi, qui incidit in latrones?* i. e.: Quis horum trium videtur tibi se exhibuisse proximum, et proximi officio functus erga eum qui incidit in latrones?

Postquam autem Dominus significavit, Samaritanum, etsi genere alienum, se proximum misero illi præbuisse, et illum pro suo proximo recte agnovisse, illudque

Scriba ipse affirmavit, tum subjungens: *Vade, et tu fac similiter:* significat pro proximo habendum omnem eum qui ope nostra indigeat, in quem incidere contigit, sine discrimine gentis et personarum; nec simpliciter habendum, sed etiam dilectionem, quam proximo debemus, opere comprobandam, atque in hujusmodi misericordia miseris exhibita putandum majorem et solidiorem consistere pietatem, quam in sacrificiis illis legalibus, ob quæ sacerdotes et Levitæ se religiosos putabant. Itaque sensus illius: *Vade, et tu fac similiter*, est iste: Sicut hic Samaritanus, etsi a misero illo genere alienus, se proximum illi exhibuit, et pro proximo suo agnovit: ita et tu proximum tuum agnoscito, in quemcumque incideris ope tua egentem, nec satis sit tibi agnoscere eum tibi esse proximum, sed ut impleas dilectionis proximi præceptum, eum pro viribus juvato, atque ad Samaritani exemplum veriorem religionem existima sitam esse in juvando miseros, quàm in externorum sacrificiorum oblatione, ob quam sibi placent sacerdotes, et Levitæ, cùm erga proximorum miseriam nullo charitatis affectu moveantur, non advertentes illud (Matth. 9), *Misericordiam volo, et non sacrificium...*

Cæterum hac Domini parabola præmuniti esse debent sacerdotes et religiosi apud Christianos, ac quotquot præ aliis meritò sanctiores esse debent, ne in externis cæremoniis, quibus præ aliis plus dediti esse debent, adeo fidant, ut interim negligant miseris pro viribus succurrere, ne ipsi ab his qui profani habentur, et minus sancti, apud Deum in vera pietate inveniantur inferiores. » Ita Jans. Gand.

*Interpretatio mystica.*

« Hanc porro historiam, etsi eo fine potissimùm afferat in medium Jesus ut doceat quis sit proximus noster,... nihil obstat tamen quin et parabolam esse voluerit continentem mysterium tum lapsus, tum reparationis humani generis: quemadmodum jam inde ab initio nascentis Ecclesiæ, christiani tractatores docuerunt. » Luc. Brug.

Itaque mystice: « Homo ab Jerusalem in Jericho descendens Adamum refert, in eoque totum hominum genus, qui a gratia Dei et de alto dignitatis gradu in abjectum peccati et miseriæ statum est dejectus. Latrones sunt dæmones, qui homini, gratia et donis opera ipsorum spoliato, plurima insuper vulnera inflixerunt, adeo ut æternæ morti proximus esset. Sacerdos et Levita legem veterem cum suis cæremoniis et sacrificiis referunt, quæ hominem sanare non valebant. Samaritanus autem Christus est, qui in hunc ipsum mundum, in quo homo jacebat vulneratus, descendit, et prope accedens ad eum, ineffabili misericordia motus, vulnera ejus proprio suo sanguine lavit et oleo gratiæ suæ unxit; eum porro in Ecclesiam suam deduxit, et, in cœlum reversurus, commisit eum Ecclesiæ præpositis, quibus Sacramenta, sanguinis sui pretium, tradidit homini dispensanda ad perfectam hujus sanitatem et tutelam, donec ipse quondam in terras rediens singulis pro meritis rependat. » Liagre.

G. V. D. P.

# Ordo Missæ

SEU

## precum et ceremoniarum Missæ interpretatio

—

*(Sequitur. — Cfr. suprà pag. 240.)*

—

Finita oratione respondetur *Amen*. « Hæc vox hebraica est, et interdum est *affirmantis;* quandoque est *desiderantis*, aliquando etiam est *assentientis*. Cum post aliquod fidei dogma adhibetur, exempli causa post symbolum seu *Credo in Deum*, etc., tunc rem ita esse affirmat. Si vero post aliquam orationem, qua alicui opem a Deo imploramus..., tunc desiderium significat

consequendi finis in quem intendit oratio. Denique si sacerdotis oratio rem aliquam respicit, quam nostrum est exequi et perficere, ut cum sacerdos orat ut laudes Deo conferantur et illi ut æquum est gratiæ agantur, tum vox *Amen* nostrum consensum significat » (1).

13 Subsequitur *Epistola*, sic vocata quia plerumque desumpta est ex epistolis Apostolorum maxime S. Pauli. Ejus lectio necnon lectio Evangelii inserviunt instructioni non tantum sacerdotis sed et populi adstantis, et ideo alta voce legi jubentur. « Hæc autem omnia, ait Card. Bona, magna cum attentione et reverentia legenda sunt tanquam sermones Dei, gratias ei agendo quod mundum doctrina sua illuminare et instruere dignatus est (2); promptumque animum offerendo ad servanda ipsius mandata tam in prosperis quam in adversis. De hoc autem nos monent in Epistolæ lectione manus super librum (vel super altare) positæ, et veluti operi admotæ » (3).

14 Epistolæ adduntur *graduale*, aut *tractus*, vel *alleluia* cum *versu* aut *sequentia*, pro diversitate temporum; de quibus pro scopo nostro nihil occurrit notandum, nisi quod vox *Alleluia* sit vox hebraica significans *Laudate Deum* et exprimens animi præ lætitia exultantis affectum, et ideo omittitur temporibus pœnitentiæ et mœroris. « Sæpe, ait S. Augustinus, dicimus *Alleluia*, *Laudate Dominum*, ad laudandum Deum nos invicem excitantes. Verùm id agite, ut quidquid in vobis est cum laudet, lingua, vox, conscientia, omnis vitæ ratio, facta denique » (4).

15 Sacerdos lecturus Evangelium, quasi timens ne in ipsum cadat exprobratio Domini, qua dixit peccatori:

---

(1) Bened. XIV, *op. cit.* lib. II, cap. V, n. 7. — Cfr. Lebrun *op. cit.*, part 2ª, art. IV in fine.

(2) Hæc est ratio cur in fine Epistolæ respondeatur *Deo Gratias*, atque in fine Evangelii *Laus tibi, Christe.*

(3) *Tract. ascet. de Missa*, Cap. V, § 6.

(4) In ps. 148.

« quare tu enarras justitias meas et assumis testamentum meum per os tuum? », profunde sese inclinat, in signum humilitatis et reverentiæ, atque orat Deum ut *mundet cor ipsius et labia; quatenus Sanctum Evangelium ejus digne valeat nuntiare. Sicut*, ait, *labia Isaiæ Prophetæ calculo mundasti ignito:* Isaias np. et ipse protestatus erat quòd esset *vir pollutus labiis* et indignus qui divina eloquia proferret: quare Seraphim quidam calculo ignito quem forcipe sumpserat de altari, ubi offerebantur holocausta in remissionem peccatorum, tetigit os ejus, hoc ritu externo significans operationem internam gratiæ qua mundabatur cor ipsius; et dixit ei: « Ecce tetigit hoc labia tua, et auferetur iniquitas tua, et peccatum tuum mundabitur » (1). Sic purificatus tandem ausus est Propheta suscipere missionem verbum ac mandatum Dei nuntiandi populo suo: « *Ecce ego, mitte me* ».

Addit sacerdos: *Jube* (quod hic significat: *dignare*) *Domine, benedicere;* et exprimit quam benedictionem exoptet, nimirum ut *Dominus sit in corde ejus*, illud gratia sua replens, et *in labiis ejus*, quasi ipsemet Dominus loquatur per os ipsius, quatenùs dignus fiat præco verbi divini, seu *digne et competenter annuntiet Evangelium* Dei.

16 Antequam Evangelii recitationem inchoet, signat sacerdos Missale (super primum vel prima verba *textus* ipsius Evangelii) signo crucis, tanquam si dixerit: Hic est liber *crucifixi:* imitans Paulum qui doctrinam evangelicam vocat *verbum crucis* (2); eodem signo signat seipsum in fronte, ut probet se de Evangelio Christi non erubescere, juxta illud Augustini: « Usque adeo de cruce non erubesco, ut non in occulto habeam crucem Christi, sed in fronte portem » (3); dein in ore et in pectore, significans se libere confiteri ore quod corde

(1) Isaias, VI, 5 sqq.
(2) I Cor. I, 18.
(3) In ps. 141.

credit evangelium Christi : *Corde enim creditur ad justitiam : ore autem confessio fit ad salutem* (1).

In fine Evangelii *osculatur librum* ad exprimendum reverentiæ, amoris ac spiritualis lætitiæ sensum, quem divina eloquia in corde nostro excitare censentur. Simul dicit: *Per evangelica dicta deleantur nostra delicta.* — *Delicta* intellige peccata venialia, ad quorum remissionem sufficit attritio, quæ per evangelicam lectionem facile concipitur.

*
* *

17 Recitato Evangelio, certis diebus (2) legitur *Credo* seu symbolum fidei Constantinopolitanum: ubi post professionem fidei in *Deum unum*, asseritur dogma SSmæ Trinitatis, dum singulæ tres personæ divinæ, Pater, Filius et Spiritus Sanctus, separatim nominantur, unicuique divinitas adscribitur, enuntiatis quoque earum relationibus personalibus seu originis, quibus dicitur Flius a Patre genitus ac Spiritus Sanctus a Patre Filioque procedens. Tandem Deo Patri tribuimus, per modum appropriationis, creationem rerum omnium; Filium agnoscimus ut nostrum Redemptorem; Spiritui Sancto nostram sanctificationem adscribimus. — Enucleatius autem enuntiantur mysteria Redemptionis, scil. incarnatio, passio et mors, resurrectio et ascensio Christi, propter eorum maximum momentum in œconomia salutis.

Sub verbis : *Et incarnatus est.... homo factus est*, sacerdos genuflectit « in repræsentationem ac venerationem eximiæ humilitatis, qua humiliavit et exinanivit se ipsum Filius Dei, formam servi accipiens et habitu inventus ut homo. (3) »

Pulcherrimam ac doctissimam totius symboli expli-

(1) Rom. X, 10.

(2) Rationes ob quas aliis diebus recitetur symbolum aliis vero omittatur scite exponit Gihr op. cit. T. II, p. 136 sqq.

(3) Bellotte, ap. Bened. XIV, l. c.

cationem exhibet Lebrun Op. cit. Part. II, art. VIII, § 5 sqq. — Cf. S. Thomam, Opusc. VI: *Expositio super Symbolo Apostolorum.*

*(Sequetur).*

H. V. D. B.

## Quænam indulgentiæ juxta decretum « Delatæ sæpius » possint lucrifieri pluries de die.

De variis indulgentiis (viæ crucis, recitationis sex *Pater*, *Ave* et *Gloria*, coronæ seraphicæ) pluries quæsitum fuit utrum sæpius de die lucrifieri possint. Hæc autem quæstio solvi non potest nisi ex interpretatione decreti « *Delatæ sæpius* » dati die 7 Martii 1678 (ap. *Decreta Authentica n. 18*). Jamvero auctores sæpius « sensum præfati decreti pro respectivo casu investigare conantur modo potius interrogatorio » et, quin generatim argumenta addantur, tres suggeruntur sententiæ (1). Operæ igitur pretium duximus hujus quæstionis accuratius examen instituere et variis rationibus perpensis, sententiam quam ultro amplectimur proponere.

*1 Textus authentici.*

1. In decreto *Delatæ sæpius* sic legimus:

« Semel autem dumtaxat in die plenariam indulgentiam in certos dies ecclesiam visitantibus concessam, vel aliud pium opus peragentibus, lucrifieri ».

2. Præterea *Raccolta*, quæ utpote authentica, legis vim habet, eamdem decreti pericopam exhibens et authentice declarans, hæc habet (ex italico idiomate versa) p. XXVI:

« S. Congregatio Indulgentiarum, die 7 Martii 1678, expressis verbis declaravit: *Indulgentia plenaria concessa illi qui visitabit aliquam ecclesiam quibusdam determinatis*

(1) Cf. Mocchieggiani, *Collectio indulgentiarum* n. 1405 et *Nouv. Rev. Théol.* (A. H.) XXX p. 191-195 et auctores ibidem citati.

*diebus, sicut etiam illa quæ concessa est ei qui peraget aliquod opus pium, non potest lucrificri nisi semel in die.* Ab illa regula generali excipiuntur Indulgentia secundæ diei Augusti, communiter nuncupata *Portiunculæ*, et aliquæ aliæ (e qualche altra), quæ possunt acquiri pluries in eodem die. Sed notandum est in citato decreto agi de eadem Indulgentia Plenaria lucranda pluribus vicibus eodem die, quia reiterantur opera injuncta quæ possunt vel solent reiterari: quum nullum sit dubium quin possint lucrifieri plures Indulgentiæ Plenariæ in eodem die, quando illæ fuerunt adnexæ diversis operibus pietatis ».

*II. Textuum interpretatio.*

1. *Prima sententia* tenet in his unice agi de indulgentiis *plenariis*, *pro vivis*, ita ut nihil impediat semel sibi et dein pluries (iterando opera injuncta) *pro defunctis* lucrari similem indulgentiam defunctis applicabilem (1).

Sed contra est, *Raccolta* quæ authentice *interpretatur* hoc decretum, ne verbo quidem innuere hanc distinctionem quæ sane e decreti textu non est obvia.

Duo tantum argumenta invenimus allegata, quæ nullatenus rem dirimunt.

a/ Et primo quidem « sicut in concessione alicujus » indulgentiæ non intelligitur quod ea sit pro defunctis » applicabilis nisi exprimatur, ut communiter docent » doctores..., ita a fortiori in revocatione indulgentia- » rum non intelliguntur illæ revocatæ pro defunctis nisi » etiam exprimatur (2) ».

Hoc concedere possumus quoad indulgentias *directe* concessas pro solis defunctis (3).

---

(1) Hanc sententiam aperte defendunt Lucius Ferraris, *Prompta Biblioth.* v° *Indulg.* art. V, n. 9, et Lehmkuhl *Theol. Mor.* II, n. 561 (ed. 9a p. 396 nota 1) et R. a. D. Labis in *Nouv. Rev. Théol.* XXIV p. 421, qui nulla argumenta affert præter notam Prinzivalli, *Decreta authent. S. Cong. Ind.* app. n. LIV nota 5, quam ad verbum repetit Schneider, *Rescripta auth.* p. 577 nota 1, et de qua infra agemus, sequenti nota 3a.

(2) L. Ferraris, *Biblioth.* v° *indulg.* v, 9.

(3) Et *de hujuscemodi indulgentiis* vel unice vel saltem præcipue agunt

Verum, si excipiatur indulgentia altaris privilegiati, solent indulgentiæ concedi *directe et primarie* pro vivis et dein, sive in eadem sive in subsequenti concessione, *extendi* ita ut sint « *etiam* defunctis » applicabiles: concessio igitur indulgentiæ pro defunctis generatim est extensio concessionis indulgentiæ pro vivis, quæ extensio pendet a nutu Romani Pontificis. Jamvero ubi conceditur gratia seu privilegium, patet non eo ipso concedi privilegii extensionem a libera concedentis voluntate pendentem; contra, quando princeps revocat privilegium, censetur revocare simul illud quod est ejusdem privilegii extensio, nisi expresse manifestet se reservare hanc specialem extensionem. Ergo neganda est in hoc casu paritas, et revocata indulgentia jam nec pro vivis nec pro defunctis subsistere censenda est. Hanc esse opinionem communem nuperrime adhuc apparuit occasione decreti S. C. Indulg. revocantis omnes indulgentias mille vel plurium annorum (cf *Collat. Brug.* III p. 589): nemo enim, quod sciamus, censuit has indulgentias adhuc acquiri posse pro defunctis (1).

b/ Alteram rationem ita suggerit Lehmkuhl (loc. cit.) « S. Congregatio probe sciens, decreta favores restrin-
» gentia esse strictæ prorsus interpretationis, videtur
» perpendisse verbum illud « *lucrifieri* », si late suma-
» tur, dicere sive sibi sive defunctis acquirere; si
» strictiori sensu, solum *sibi* acquirere: nam qui pro

auctores apud Ferrarim (loc. cit.) indicati, affirmantes illas non fuisse revocatas per bullam Pauli V *Romanus Pontifex* (cf. MOCCHEGGIANI, *Coll.* n. 1272, sq.). De hujusceme di etiam videtur agi in declaratione Pauli V a Ferrari ibidem indigitata sed cujus textum non vidimus. Nec aliter forte intelligenda est nota PRINZIVALLI et SCHNEIDER (cf sup. p. 300, nota 1), qui videntur a beneficio iteratæ acquisitionis excludere tantummodo indulgentias *directe pro vivis concessas:* « indulgentia *pro vivis concessa* in diem certum ecclesiam locumve visitantibus non acquiritur nisi semel in die ».

(1) Cf. *Nouv. Rev. Théol.* t. XXX p. 644 sq.; *Revue Théol. Franç.* 1898 p. 658 sq.; Le *Canoniste Contemporain*, 1899 p. 119; *Theologisch-Praktische Quartalschrift* 1899 p. 211 (auctore R. P. BERINGER, qui ceteroquin hanc sententiam non commemorat in eruditissimo opere *Les Indulgences*).

» defunctis acquirit indulgentiam, remissionis pœnarum » temporalium lucrum non facit sed eam in alios » transfert ».

Hæc cavillatio quæ nullo textu aut auctorum sententia probatur, sane fugit mentem S. Congregationis: nam vox « lucrari » vel « lucrifieri » non tantum usu communi sed etiam in stylo curiæ adhiberi solet etiam ubi agitur de applicandis indulgentiis solis defunctis (1).

c/ Tandem cum quæsitum fuisset « an sacerdotes qui binas Missas eodem die celebrare debent, bis quoque plenariam indulgentiam lucrari valeant, quæ adnexa est orationi « En ego, o bone et dulcissime Jesu... » eam post utramque Missam recitando? » S. C. Indulg. sub die 20 Junii 1892 respondit: « Detur Decretum Urbis et Orbis d. d. 7 Martii 1678 ». Huic responso, quod omnes simpliciter ut negativum habent, nemo adaptavit distinctionem inter indulgentiam vivis vel defunctis applicabilem (cf. *Nouv. Rev. Théol.* XXIV p. 481 sqq.; MOCCHEGGIANI. *Coll.* n. 316).

2. *Secunda sententia* censet illas tantum restringi indulgentias plenarias quæ concessæ sunt « *in certos dies* » ecclesiam visitantibus, dum aliæ quæ *sine determinatione diei* concessæ sunt, pluries de die lucrifieri possent (2).

Hæc igitur opinio magnum momentum tribuit verbis « *in certos dies* », quasi hæc apposite addita fuissent ad restringendam extensionem decreti restrictivi, ita ut solæ indulgentiæ plenariæ « in certos dies » ecclesiam visitantibus concessæ, non vero aliæ, semel tantum in die lucrifieri possint.

Hanc sententiam in cujus favorem nullum speciale

---

(1) Cf. *Decr. Auth.* nn. 339 ad 1 et 3; 357 ad 2; 281 ad 2; 291 ad 5; 348; votum consultoris ap. *Acta S. Sedis* XIII p. 141; decr. S. Cong. Rit. 22 Jul. 1848, etc. etc.

(2) Hæc sententia per modum interrogationis proposita a BERINGER, *Les indulgences* t. I, 2e part. 3e sect. n. 17 (p. 411 note 3) et cujus meminit *Nouv. Rev. Théol.* XXX p. 194, admittitur a LEHMKUHL loc. cit,

argumentum vidimus, probari non posse censemus. Non enim tanta vis tribuenda est verbis « in certos dies », utpote quæ non restrictionem sensu exposito, sed simplicem determinationem conditionis indulgentiam lucrandi, quatenus alio die lucrifieri non possunt, referre censenda sunt. Nam:

Primo verba « *in certos dies* » non afficiunt nisi primam pericopam « *ecclesiam... visitantibus* », non vero alteram « *vel aliud pium opus peragentibus* ». Ratio autem cur ibi additur determinatio conditionis indulgentiæ acquirendæ sufficiens invenitur in hoc quod indulgentiæ plenariæ, directe adnexæ visitationi alicujus ecclesiæ, sæpissime solebant et solent de facto exigere visitationem in diem certum, dum aliæ indulgentiæ, v. g. alicui orationi vel alio pio operi concessæ, generatim possunt acquiri quacumque die.

Dein tota pericopa « *in certos dies ecclesiam visitantibus* » nullo modo sejungenda est a sequenti « *vel aliud pium opus peragentibus* ». In utraque agitur de *operibus injunctis* ad indulgentias acquirendas, et S. Congregatio loquendo in specie de visitatione ecclesiæ non intendit illud opus injunctum opponere « alii operi pio » (de quo in secunda phraseos parte), sed tantummodo exemplum ponere frequentius occurrens, quia tunc temporis sæpius concedebantur indulgentiæ pro peregrinationibus et visitationibus ecclesiarum. Si igitur prior pericopa intime cum altera conjungitur, prior æque ac altera intelligenda videtur absque restrictione ab auctoribus hujus secundæ sententiæ intenta.

Et hoc revera luculenter apparet ex explicatione *Raccolta* his verbis: « Sed notandum » (p. 300). Hic enim satis indicatur totam decreti vim ejusque unicum motivum esse in hoc quod non possint *pluries* acquiri indulgentiæ plenariæ ex eo quod *pluries peragantur opera injuncta*, quæcumque illa demum sint: hic enim jam nulla ponitur distinctio inter ecclesiæ visitationem et alia opera pia, et jam omittuntur verba « in certos

dies », quæ certe addi debuissent, si essent sensu indicato decreti restrictiva.

Huic sententiæ opponitur decretum S. Congr. Indulg. 27 Sept. 1717, relatum apud THEODORUM A S. SPIRITU, *de indulg.* I, c. X art. 8.

Innocentius XI die 10 Martii 1678 (3ª die post decretum *Delatæ*) concesserat visitantibus « viam captivitatis Christi nuncupatam... *quoties id egerint* plenariam indulgentiam ». Jamvero proposito dubio: « an fideles, attento brevi Innocentii XI sub die 10 Martii 1678... *sæpius in die* indulgentiam plenariam lucrari valeant »? S. Congr. Indulg. die 27 Sept. 1717 respondit: « *unicam* lucrari ». Et tamen indulgentia concessa fuerat *absque diei determinatione* (1).

3. *Tertia tandem sententia*, cui plene subscribimus, tenet omnem indulgentiam *plenariam*, sive solis vivis sive etiam defunctis applicabilem, cuicumque pio operi (visitationi ecclesiæ, orationi, associationi alicujus confraternitatis, etc.) adnexa sit, nec pro se nec pro defunctis acquiri posse pluries in die, etiamsi opera injuncta iterentur. Exceptiones huic regulæ apponendæ positive probari debent, ut fit pro indulgentia Portiunculæ et illis quæ conceduntur « ad instar Portiunculæ ».

In hac sola sententia videntur nobis adæquate verificari verba non tantum ipsius decreti sed præcipue explicationis *Raccolta*. Quod spectat indulgentias *partiales*, nulla ponitur restrictio, et quum partialis indulgentiæ concessio independens sit a concessione plenariæ, hac revocata vel restricta, non eo ipso revocatur aut restringitur altera. Jamvero textus citati unice agunt de plenaria (2).

---

(1) E contrario indulgentia Portiunculæ pro qua certe admissa est exceptio (*Raccolta* l. c., decreta S. Congr. Concilii 17 Julii 1700 et 4 Dec. 1723; decr. S. C. Indulg. ap. *Rescr. Auth.* n. 344 ad 4) est concessa *in diem certum*.

(2) Hanc sententiam tenent B. MELATA, *Manuale de Ind.* p. 169 (Romæ 1892) et BERINGER op. cit. 2e part. II sect., 15, 4 (p. 289) licet interro-

*III. Decreti interpretatio applicata.*

Inprimis videamus quomodo ipsa S. Cong. Indulg. hanc applicationem instituerit decreto 14 Aprilis 1856 (*Decr. Auth.* n. 374).

1° An sodales Tertiarii Ordinis S. Francisci Assisinatis, cujuscumque provinciæ sint, lucrifaciant stationes, indulgentias, remissiones tum Urbis, tum etiam Portiunculæ, sive Jerusalem et S. Jacobi in Compostella, recitando *sex Pater, Ave* et *Gloria,* scilicet quinque pro felici statu S. Matris Ecclesiæ, sextum autem pro intentione summi Pontificis concedentis?

Ad 1m: Affirmative.

2° An sodales scapularis cærulei Immaculatæ Conceptionis recitando *sex Pater, Ave* et *Gloria* in honorem sanctissimæ Trinitatis et Deiparæ Virginis Immaculatæ, orando pro hæresum extirpatione, exaltatione S. Matris Ecclesiæ, atque christianorum Principum pace et concordia, omnes lucrifaciant indulgentias septem Basilicarum Romæ, Portiunculæ, Jerusalem et S. Jacobi de Compostella?

Ad 2m: Affirmative.

3° An indulgentias, de quibus in superioribus dubiis, lucrentur *toties quoties* et an in quocumque loco preces ipsas fuderint?

Ad 3m: *Affirmative* juxta votum consultoris, nempe *servato decreto* sacræ Congregationis die 7 Martii 1678 approbato ab Innocentio XI, cujus initium « *Delatæ sæpius* ».

Ante omnia probe animadvertatur a S. Congregatione agnosci illas indulgentas *toties quoties* lucrifieri posse, sed simul apponi restrictionem ex decreto « *Delatæ sæpius* ». Hæc duo proinde simul stare possunt. Ergo non sufficit probare seriem indulgentiarum concessam fuisse toties quoties acquirendam, ut inde statim concludatur (sicut nonnulli faciunt) illis indulgentiis non esse applicandum decretum *Delatæ sæpius.*

1° Quoad indulgentias adnexas *recitationi sex Pater et Ave et totidem Gloria pro gestantibus scapulare cæruleum*

gando tantum eam proponat p. 411, nota 3; LAUWERYS, *Tract. de Indulg.* ed. alt. p. 79 et 141; eique favet J. H. in *Nouv. Rev. Théol.* XXX, p. 195.

*B. M. V.* (1) nullum est dubium post citatum responsum, ad 2 et 3 (2).

2° Quoad *easdem indulgentias concessas sodalibus Tertii ordinis* S. Francisci, idem eruitur ex responso ad 1 et 3.

3° *Religiosi et Religiosæ Ordinis S. Francisci* gaudent iisdem indulgentiis. Quæritur an et ipsi subjiciantur eidem restrictioni?

Clarissimus MOCCHEGGIANI, *Collectio indulg.* n. 1406 negat, quia in Summario indulgentiarum Ordinis Seraphici (ap. *Rescripta Authent.* n. 15 p. 387, 8°) dicitur illas indulgentias lucrifieri posse *sæpius in die;* et in Summario indulgentiarum confraternitatis Devotorum Jesu Christi ad Calvarium, Ordini Minorum aggregatæ, (ap. *Rescr. Auth.* n. 39 p. 500, 3°) eas acquiri *singulis vicibus.*

Adsunt tamen gravissimæ affirmandi rationes. Nam, ut supra vidimus, ipsa S. Congregatio ostendit non posse argui ex sola voce « toties quoties »; sed formula « singulis vicibus » idem sonat. Verum quidem est verba « sæpius in die » expresse significare iteratum opus et pluries acquisitam indulgentiam in eadem die: sed illa verba verificari quoad indulgentas partiales videbimus (p. 309) non autem posse applicari omnibus indulgentiis, etiam plenariis, patet ex argumento sequenti.

Nam Tertiarii non habebant indulgentias de quibus hic quæritur, nisi ex sola communicatione, vi cujus gaudebant omnibus indulgentiis concessis primo et secundo Ordini S. Francisci (3). Ergo et ipsi Tertiarii

---

(1) Hæc recitatio vocatur « statio SS. Sacramenti » quia primitus debebant preces fundi ante altare SS. Sacramenti. Hoc tamen jam non requiritur, ut patet ex citato responso ad 3.

(2) Quidquid dicant plures auctores ap. *Nouv. Rev. Théol.* XXX p. 192 citati.

(3) Hæc communicatio, qua gaudebant Tertiarii tempore hujus responsi, revocata fuit per constitutionem Leonis XIII *Misericors Dei Filius* 30 Maii 1883, sed ab eodem ad quinquennium restituta Brevi *Cum dilectus* 7 Jul. 1896 (cf. *Collat. Brug.* I p. 559).

habebant facultatem prædictas indulgentias lucrandi « sæpius in die » et « singulis vicibus ». Et tamen S. Congregatio respondet: possunt lucrifieri *toties quoties* sed servato decreto *Delatæ*. Idem proinde dicendum est de Religiosis primi et secundi Ordinis.

4° *Viæ crucis exercitium* « ditatum est permultis indulgentiis. Nam devota mente visitando Viam Crucis possunt acquiri omnes indulgentiæ olim a summis Pontificibus concessæ fidelibus christianis qui personaliter visitant Loca Sancta in Jerusalem. » (*Raccolta* p. 111.)

Utrum autem illæ indulgentiæ eximantur a regula generali decreti *Delatæ sæpius*, solvi debet maxime ex decreto S. Cong. Indulg. diei 10 Sept. 1883 (*Rescr. Auth.* n. 443, p. 679).

Utrum *toties in die* lucrari valeant indulgentiæ exercitio Viæ Crucis adnexæ, *quoties* illud iteratur?

Respondetur: *Ex documentis non constat*, indulgentias pro pio exercitio Viæ Crucis concessas, *toties lucrari*, *quoties* præfatum pium exercitium iteratur.

Porro, ut admittenda esset exceptio a regula generalis decreti *Delatæ*, de ea constare deberet; et quomodo aliter constare posset quam ex documentis? Atqui hoc « ex documentis non constat ».

Ergo, quamdiu non exhibentur documenta quæ S. Congregatio non novit et quibus exceptio positive probatur, non est admittenda exceptio et applicanda est formula restrictiva: « servato decreto *Delatæ sæpius* ».

Cum pluribus tamen prælaudatus Moccheggiani n. 1223 non admittit tantam vim inesse citato S. Congr. responso (1). Ad probandam exceptionem recurrit ad

(1) Sequentia ipse citat ex *Actis Ordinis Minorum* ann. V, p. 54 in nota: « Ex præfato Decreto Sacra Congregatio declaravit tantummodo *non constare ex documentis* indulgentias Viæ Crucis exercitio adnexas toties in eadem die lucrari posse, quoties illud iteratur; sed minime decidere voluit fideles easdem revera non lucrari, juxta explicationes R^mo nostro Ministro Generali viva voce datas. Multa etenim documenta, indulgentias Viæ crucis concernentia, temporum injuria vel diversis causis periisse

« pium et singularem favorem ipsius Apostolicæ Sedis in piissimum Viæ Crucis exercitium », ad « persuasionem fidelium », ad « communem traditionem in ordine Fratrum Minorum », ad « auctoritatem scriptorum », et maxime ad authenticum Summarium Indulgentiarum Seraphicæ Chordigerorum Archiconfraternitati concessarum, ubi n. XII legitur : « indulgentiæ pro recitatione *Coronæ septem Gaudiorum B. Mariæ Virginis*, pro *statione SS. Sacramenti* et pro *exercitio Viæ Crucis... a Tertiariis et etiam Chordigeris* omnibus in gratia existentibus *toties quoties* lucrari possunt ».

Sed an hæc omnia forte S. Congregatio non noverat, quando anno 1883 respondit « ex documentis non constare » ? Citatum enim Summarium jam probatum fuerat a S. Congr. Indulg. die 1 Junii 1866. Ceterum eodem jure eadem allegari possunt pro indulgentiis « stationis SS. Sacramenti » a Tertiariis lucrifaciendis. Et tamen S. Congr. 14 Apr. 1856 respondit ad 3m : « affirmative », acquiruntur toties quoties, sed « servato decreto *Delatæ* » (1).

5° *De Corona Seraphica* tandem seu de Corona septem Gaudiorum B. M. V. quæ in ordine Seraphico, et proinde etiam pro Tertiariis, ditata est indulgentia plenaria (*D. Auth.* n. 412. Cf. *Collat. Brug.* I, 560) idem statuendum censemus, quamvis rursus Moccheggiani n. 717 (2) contrariam sententiam adstruere conetur, maxime ex mox citato textu n. XII Summarii Chordige-

---

compertum est. » Revera S. Congregatio non directe negat privilegium iterationis ; sed expresse declarat de hoc non constare ; jamvero privilegium et exceptio non debent admitti nisi probentur. Ceterum subscribimus verbis quæ in citato loco sequuntur : « Fideles ergo pluries in die pium exercitium peragere possunt cum intentione indulgentias lucrandi, sicut in universo Ordine Fratrum Minorum et mente et praxi semper creditum est. »

(1) Cf., Beringer op. cit. p. 289 ; *Nouv. Revue Théol.* XV, p. 473, ubi plures auctores citantur, et t. XVIII, p. 220.

(2) Cui nuperrime adhæsit F(rater) L(ibertus) in *Nouv. Rev. Théol.* XXX, p. 534.

rorum. Ut jam pluries vidimus, ex sola voce *toties quoties*, per se stabiliri non potest exemptio a regula generali.

Ergo censemus omnes prædictas indulgentias *plenarias* semel tantum de die sive sibi sive pro defunctis acquiri posse (1).

An igitur formulæ « toties quoties », « pluries in die », « singulis vicibus » frustra adjectæ fuerunt? Negative. Nam, si solam Coronam Seraphicam excipiamus (2), agitur de quodam complexu indulgentiarum quarum aliæ sunt plenariæ, aliæ vero partiales. His autem non applicatur decretum *Delatæ:* et possunt proinde indulgentiæ *partiales*, si ita concedantur, lucrifieri toties quoties, etiam pluries de die. Ideo etiam non debent averti fideles a supradictis exercitiis eadem die iterandis, quinimo potius excitari debent ad ea iteranda, cum intentione lucrandi indulgentias omnes quas Ecclesia lucrifieri permittit.

C. C.

---

(1) Sub eadem restrictione intelligatur concessio nuper facta sodalibus Aggregationis SS$^{mi}$ Sacramenti: « Quoties Aggregati vere pœnitentes devote recitaverint sex *Pater*, *Ave* et *Gloria Patri* coram SS. Sacramento in quacumque Ecclesia vel Oratorio publico, toties lucrabuntur indulgentias Stationum Romæ, Hierosolymorum, Sti Jacobi in Compostella et Portiunculæ » (ap. *Anal. Eccles.* 1899, p. 77).

(2) Huic orationi nos saltem non novimus aliam adnexam esse indulgentiam præter plenariam, et inde fieri posset difficultas quasi verba *toties quoties* jam nullam haberent significationem. Sed reponitur hanc indulgentiam adhuc toties acquiri quoties diversis diebus recitatur, sed semel dumtaxat eadem die, sicut in simili casu declaravit S. Cong. decreto 17 Sept. 1717 quod citavimus p. 304. Ceterum animadvertendum est hæc verba « toties quoties » in laudato Summario, n. XII (supra p. 308) non dici de sola Corona Seraphica, sed applicari simul in eodem textu et stationi SS. Sacramenti et Viæ Crucis, quæ indulgentiis etiam non plenariis ditatæ sunt.

# Jurisprudence administrative

## Commune — indemnité de logement au vicaire

Un arrêté royal du 4 Mars 1899 (*Moniteur*, p. 955), contresigné par le Ministre de l'intérieur et de l'instruction publique et par le Ministre de la justice, accueillant le recours formé par le conseil communal de Frasnes-lez-Gosselies contre une décision de la Députation permanente du conseil provincial du Hainaut, maintient une allocation de 200 francs, inscrite à l'article 33e des dépenses du budget de cette commune, pour l'exercice 1898, à titre d'indemnité de logement au vicaire.

Cette réformation est fondée sur ce que, depuis plusieurs années, le vicaire jouit d'une indemnité de logement, laquelle a le caractère d'un supplément de traitement; que, bien que figurant précédemment au budget de la fabrique d'église, cette indemnité était payée au moyen de fonds fournis par la commune; que, dès lors, il n'existe aucun motif pour ne pas en admettre l'inscription au budget communal.

*Observation*. Il est hors de doute que, dans l'état actuel de notre législation civile, les fabriques d'église et les communes peuvent allouer des suppléments de traitement aux vicaires. Cette faculté leur est reconnue expressément par l'article 2 de la loi du 9 Janvier 1837; et aux termes d'une circulaire du 28 Octobre de la même année, adressée par le Ministre de la justice aux Gouverneurs des provinces, à l'effet de déterminer le véritable sens de la loi précitée, « ce serait aller contre l'esprit et le vœu de la loi, que de rejeter sans motif une allocation de ce genre, librement votée par un conseil communal » ou un conseil de fabrique.

Contrairement à la jurisprudence vexatoire et illégale introduite par M. Bara, le Gouvernement actuel laisse

aux administrations communales et fabriciennes la liberté de juger de l'opportunité de ces allocations, et d'en fixer la quotité; et, au cas où les suppléments votés par elles sont réduits ou supprimés arbitrairement par la Députation permanente, il accueille le recours formé contre cette décision par les administrations intéressées, et maintient les crédits inscrits à leurs budgets respectifs.

Rien ne s'oppose d'ailleurs à ce que ces suppléments de traitement soient alloués sous forme d'indemnités de logement. (1)

Cependant, les dépenses dont il s'agit n'étant que *facultatives*, les fabriques et les communes ne peuvent se les imposer, que quand elles ont satisfait à toutes leurs dépenses obligatoires; et les communes ne sont *pas tenues* d'y intervenir en cas d'insuffisance des ressources fabriciennes. Dès lors donc que la commune émet sur ce point un vote défavorable à l'approbation du budget de la fabrique, les suppléments de traitement y alloués ne pourront être maintenus. Cf. arr. roy. du 5 Mars 1899 (*Moniteur*, p. 922).

C. V. C.

(1) Par une inconséquence absurde, la jurisprudence qui permet aux communes et aux fabriques d'allouer aux vicaires une indemnité de logement, méconnait le droit de ces administrations de leur fournir gratuitement un logement en nature! Voir les *Collationes*, T. II, p. 538 ss.

# Ex S. Rom. Univ. Inquisitione

## Dubium circa validitatem baptismi collati per modum unctionis in fronte.

*Beatissime Pater,*

Episcopus N. N., ad Sanctitatis Vestræ pedes provolutus, supplex exponit casum sequentem, et postulat quid theoretice putandum, et quid agendum in praxi.

Post mortem recentem sacerdotis N. parochi loci N. in hac diœcesi, certis testimoniis detectum fuit illum a pluribus annis baptismum pueris contulisse non per ablutionem, sed per modum unctionis in fronte cum pollice in aqua baptismali madefacto.

Impossibile dictu quot pueri et a quonam tempore sic fuerint baptizati: multi jam adulti: multi ad alias regiones profecti: multi jam mortui.

Quid putandum de validate hujus baptismatis et quid agendum in praxi cum sic baptizatis?

*Feria IV, die 14 Decembris 1898.*

In Congregatione Generali coram EEmis ac RRmis DD. Cardinalibus in rebus fidei et morum Inquisitoribus Generalibus habita, propositis suprascriptis dubiis, præhabitoque RR. DD. Consultorum voto, iidem EE. ac RR. Patres respondendum mandarunt:

*Curandum ut iterum baptizentur privatim, sub conditione, adhibita sola materia cum forma absque cæremoniis et ad mentem.* — « La mente è che si richiami in modo speciale l'attenzione » del Vescovo sopra i battezzati nel modo esposto, i quali » fossero stati poi promossi agli Ordini sacri » (1).

Sequenti vero Feria VI, die 16 ejusdem mensis et anni, in audientia a SS. D. N. Leone Div. Prov. Pp. XIII R. P. D. Adsessori impertita, SSmus D. N. resolutionem EE. ac RR. Patrum adprobavit.

I. Can. Mancini *S. R. et U, Inquis. Not.*

(1) Latine: « Mens est ut excitetur speciatim attentio Episcopi circa modo exposito baptizatos, qui postea fuerint ad ordines sacros promoti ».

# Ex S. Rituum Congregatione

## DUBIUM.

Proposito dubio: An in cantu Præfationis et Orationis Dominicalis quoties Missæ decantantur, organa pulsari queant? Sacra Rituum Congregatio, referente subscripto Secretario, et audito voto Commissionis Liturgicæ, respondendum censuit: « *Obstat Cæremoniale Episcoporum, lib. I. cap. 28, n. 9. quod servandum est.* Atque ita rescripsit.

Die 27 Januarii 1899.

C. Card. MAZZELLA, *S. R. C. Præf.*

L. ✠ S.

Diomedes Panici, *Secret.*

# Consultationes

## I

Quotannis exonerare teneor septem solemnia anniversaria fundata pro diversis et pluribus defunctis: unum mense januarii *vel* februarii, unum mense Martii *vel* Aprilis, aliud *circa* festum S. Joannis-Baptistæ etc. Quæritur an hæc haberi possint uti anniversaria certis et determinatis diebus exoneranda et consequenter an pro his cantare possim missam *de Requie* ut in anniversario?

*Resp.* Juxta recentioria jura et præsertim juxta decretum 2 Decembris 1891 adhuc ineditum, quod relatum tamen legi potest in *Cæremoniale Romano-Seraphicum*, nº 995 seqq., et de cujus authenticitate, ut *Ephemerides liturgicæ* asserunt (1), certo constat, ad anniversarium stricte dictum requiritur et sufficit: missa cantata pro defunctis, sive fundata à testatore vel ab hæredibus,

(1) 1893, p. 166; 1894, p. 238 et 358; 1896, p. 191; 1898, p. 509.

consanguineis etc. pro *die obitus* alicujus aut alia præter diem obitus *determinata* die, sive non fundata sed ex privata devotione vivorum, *recurrente tamen die obitus vel depositionis*, petita, quo casu vocatur privatum. Anniversarium hoc stricte dictum sive fundatum sive privatum quibusdam gaudet juribus et privilegiis : celebrari potest in duplicibus minoribus et etiam majoribus, quibusdam tamen diebus exceptis (1), et si in diem liturgice impeditam incidat, vel in proximam diem liberam transferri vel in proximiori die similiter non impedita anticipari potest, iisdem retentis privilegiis ; officium, si faciendum, recitatur sub ritu duplici et missa unicam habet orationem etiam in casu quo anniversarium *juxta rubricas* anticipatur vel transfertur. Jamvero missæ de quibus in quæstione, quamvis fundatæ, non habent conditiones requisitas, ut stricte dicta anniversaria dici possint, quum non pro die anniversaria obitus aut depositionis, vel pro certa determinata die fixa sunt fundatæ, nec agitur de illis quæ pro die obitus vel depositionis petuntur a vivis.

Sed neque ratio suppetit ut tanquam anniversaria late sumpta, de quibus in decreto 30 Junii 1896 (2), considerari possint ; hujusmodi sunt « anniversaria quæ à religiosis Communitatibus, a Canonicorum Collegiis, a Confraternitatibus, aut ab aliis quibuscumque piis Sodalitatibus, pro confratribus defunctis semel in anno fieri solent, necnon illa, quæ pro fidelium pietate infra Octavam Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum locum habent ». S. Rituum Congregatio « de speciali gratia nuper indulsit, ut in duplicibus *minoribus* celebrari quoque possint hæc anniversaria, quamvis a die obitus non sint », diebus tamen privilegiatis exceptis (3); in his etiam anniversariis officium peragitur ritu duplici et missa unicam habet orationem.

(1) Vide prænotanda Calend. liturg.

(2) *Collat. Brug.* 1898, p. 592.

(3) Ita *Ordo divini officii recitandi etc. pro Clero sæculari Romano* anni 1899 in prænotandis. Cfr. *Ephem. liturg.* 1897, p. 656; 1898, p. 221.

Cum ergo fundationes, de quibus in dubio, notas anniversarii neque stricte neque late dicti habeant, decreta et rubricæ quæ anniversariis concedunt privilegia, ipsis non favent et consequenter diebus duplicibus (secluso indulto) celebrari nequeunt, sed exonerandæ sunt diebus quibus missæ privatæ de Requie permittuntur; quod confirmatur decreto S. C. R. 23 Aug. 1766 (sub nº 2482 in nova collect.), quo responsum fuit missas cantatas de *Requiem*, a defunctis relictas *sine præfixione dierum*, debere celebrari diebus à rubricis permissis. Sequitur etiam, officium defunctorum, si recitandum est, fieri debere sub ritu semiduplici et proinde, cum missa ritui duplici non respondeat, eam non unam sed tres orationes exigere juxta decr. 30 Junii 1896 (1). Nec dicenda est missa ut in anniversario, sed potius ut in quotitidianis, juxta decr. *in Cadurcen.* 9 Maii 1857 ad 3. In hoc enim ad dubium, an in casu, quo die *circiter* anniversario ab obitu celebratur missa pro defuncto, « cantari possit missa de Requie assignata pro die anniversario, sub ritu duplici, vel potius hæc missa ex quotitidianis sumenda sit », rescribitur: « missam sumendam esse in quotidianis, nisi agatur de die vere anniversario ab obitu ». Ex quo sequitur non tantum missam tres requirere orationes ut in quotitidianis, sed etiam non esse dicendam primam orationem ex missa tertia seu anniversaria, cum in casu non congruat, sed aliam magis convenientem defuncto vel defunctis, sicuti pro missis quotidianis præscribitur. Quoad autem ipsum formulare missæ, an possit sumi (orationibus exceptis) illud assignatum pro anniversario, notamus rubricam missalis (2) generatim facultatem concedere legendi in una missa defunctorum Epistolam et Evangelium posita in alia, et consequenter sumendi, oratione excepta, unam missam pro alia, cum quatuor missæ

(1) *Coll. Brug.* 1896, p. 477 et seq.
(2) Post quartam missam defunctorum.

differant tantum quoad Orationes, Epistolas et Evangelia, in reliquis conveniant.

Quod dictum est de missis *fundatis* sine præfixione dici determinatæ, applicandum est missis cantatis quas consanguinei superstites vel amici pro defuncto, *circa* redeuntem obitus diem, sed non ipsa die obitus vel depositionis anniversaria, juxta commoditatem suam exposcunt et quas etiam anniversaria vocant. In decreto enim 2 Dec. 1891, quod anniversariis privatis seu ad preces vivorum eadem privilegia ac fundatis concedit, explicite apponitur conditio: « *dummodo sint pro die obitus* ». Eadem restrictio apponitur in decreto 19 Junii 1700 quod permittit eadem anniversaria privata in duplici: « dummodo sermo sit de die *vere* anniversaria a die obitus ». Jamvero missæ, de quibus agitur, non petuntur pro die obitus et consequenter quamvis nomine anniversariorum vocentur, revera talia non sunt neque stricto, neque lato sensu, sed assimilantur missis quotidianis quarum normas sequi debent. Hæ missæ ergo non fruuntur privilegio ut, secluso indulto, in duplice celebrari possint; habent tres orationes, quarum prima non ut in anniversario, sed alia magis conveniens dicenda est; et officium defunctorum his missis correspondens recitandum est sub ritu semiduplici.

Notari tamen potest, juxta idem citatum decretum 2 Decembris 1891, uti jam innuimus: « diem anniversariam pro defunctis (sicuti etiam dies 3, 7 et 30) tam a die obitus quam a die depositionis (seu sepulturæ) computari posse (1), et decreta plura contrarium statuentia jam ex nova collectione authentica expuncta esse; Item anniversaria sive sint fundata pro die obitus aut alia determinata die, sive privata sint ad petitionem viventium pro die tamen obitus vel depositionis, omnibus iisdem privilegiis frui, quoad celebrationem missæ *de Requie* in festis duplicibus etiam majoribus, unicitatem

(1) *Ephem. liturg.* 1894, p. 358; 1897, p. 656; 1898, p. 221.

orationis ut in anniversario, duplicationem antiphonarum et translationem vel anticipationem in primam diem liberam, casu quo in die occurrentiæ liturgice impedita sunt. Quando ergo anniversarium de jure transfertur vel anticipatur juxta rubricas, privilegia manent et nulla fieri debet mutatio in officio et missa (1). Si autem anniversaria fundata, excepto casu impedimenti liturgici et translationis in primam diem liberam, celebrantur extra diem statutam a fundatoribus, anniversaria esse desinunt, sicuti non sunt anniversaria, quæ ad petitionem vivorum extra diem obitus vel depositionis (vel hac impedita, ultra primam diem ilberam) celebrantur, et consequenter in utroque casu sequendæ sunt regulæ missæ quotidianæ.

H. V. D. W.

II

Le cautionnement du trésorier de la fabrique de notre église consiste en une affectation hypothécaire. L'intéressé voudrait dégrever les immeubles hypothéqués, et substituer à la garantie actuelle un cautionnement en numéraire. Quelle est la marche à suivre pour effectuer cette substitution?

R. 1°. La proposition de substitution de cautionnement doit faire l'objet d'une délibération du conseil de fabrique, qui l'acceptera à cette double condition: a/ le trésorier versera à la Banque nationale, à titre de nouvelle garantie, une somme dont le montant sera réglé par le conseil, sous réserve de l'approbation de la Députation permanente, d'après l'importance de la recette *actuelle* de la fabrique; b/ la demande d'inscription portera la déclaration expresse que le trésorier entend affecter le capital par lui versé, à tous actes ou faits de sa gestion, y compris les actes antérieurs à la date du versement.

(1) *Ephem. liturg.* 1897, p. 656.

2° La délibération du conseil de fabrique, munie de l'avis de l'administration communale, est transmise par la voie hiérarchique, à la Députation permanente du conseil provincial.

3° L'approbation de la Députation permanente obtenue, le trésorier versera à la Banque nationale la somme destinée à servir de cautionnement, et remplira les autres formalités indiquées dans les *Collationes* (T. III, p. 104 ss.), en observant la condition ci-dessus mentionnée relativement à la demande en inscription.

4° Le nouveau cautionnement étant constitué, le conseil de fabrique prendra une nouvelle délibération pour constater le fait et pour solliciter l'autorisation de donner main-levée de l'inscription hypothécaire. Cette délibération est transmise à la Députation permanente.

5° La Députation permanente ayant autorisé la radiation, il sera donné main-levée de l'inscription hypothécaire, sur la production du certificat d'inscription appuyé de la délibération en original du conseil de fabrique revêtue des approbations requises. Un acte notarié n'est pas requis, à moins que le conservateur des hypothèques n'en décide autrement.

C. V. C.

***

**PRÆLECTIONES JURIS REGULARIS**, auctore F. Piato Montensi, Ex-provinciali Ord. FF. Minorum Capucinorum Prov. Belgicæ. Editio altera, aucta et emendata. Tornaci, typis H. et L. Casterman; 2 vol. in 8°, XVII, 677 — 754 p. Pret. 18 fr.

Eximii hujus operis editio altera quidem inscribitur, dum revera nunc primum *publici juris* fiat. Doctissimas *Prælectiones* quas per longum ævi spatium alumnis Ordinis FF. Minorum Capucinorum summa cum laude tradidit, quasque abhinc aliquibus annis in alumnorum suorum usum typis mandari curavit, jam præclarus auctor, omnium votis obsequens, in plenam lucem ponere voluit.

Tota *Prælectionum juris regularis* tractatio in sex dispescitur partes, quæ singulæ multifariam subdividuntur.

In prima parte, de status religiosi natura, origine, et multiplici forma disseritur.

In secunda, sermo habetur de ingressu in religionem, np. de vocatione ad statum religiosum, de ipsius impedimentis et de requisitis ad licitum ingressum; de noviciatu, videlicet de ipsius duratione, loco et disciplina, de novitiorum obligationibus, et in specie de bonorum renuntiatione; de votis simplicibus quæ solemni professioni præmittuntur; de ipsa professione religiosa, de ipsius conditionibus et effectibus.

Tertia pars tractat de variis religiosorum obligationibus, quæ derivantur vel ex ipsa natura status religiosi, vel ex votis in professione emissis, vel ex positivis Ecclesiæ legibus, vel tandem ex speciali singulorum ordinum regula.

In quarta parte, quæ de regularium gubernatione inscribitur, distinctis capitibus exponitur disciplina de regularium confessariis, de ipsorum np. institutione, electione, potestate, et de casibus reservatis; de regularium interno gubernio seu regimine; et tandem de eorumdem gubernatione extrinseca seu de regularium exemptione et de variis casibus in quibus Episcopis subjiciuntur.

In quinta parte, præmissis quibusdam de regularium privilegiis in genere, fusius disseritur de ipsorum privilegiis in specie 1° circa sacramentum Pœnitentiæ, cui adjungitur Appendix de confessario monialium; 2° circa Missæ Sacrificium; 3° circa Sacrosanctam Eucharistiam; 4° circa prædicationem; 5° circa erectionem domus religiosæ; 6° circa ordinationes; 7° circa funera; et 8° circa potestatem in variis dispensandi.

In sexta tamdem parte agitur de judiciis, de delictis et de pœnis.

Index universarum rerum, ordine alphabetico disgestus, ad calcem secundi voluminis ita opportune disponitur, ut quidquid quæratur sine mora inveniri possit.

Plurium autem putamus nostri periodici lectorum interesse, ut intimiorem hujusce præstantissimi tractatus notitiam per seipsos hauriant. Quamvis enim Prælectiones *juris regularis* inscribantur, in hisce aureis paginis, non modo omnia concluduntur quæ tantum tamque difficile argumentum quomodocumque tangunt, verum plures præterea generales juris canonici quæstiones funditus perscrutantur.

Has *Prælectiones* scriptoremque ulterius laudare commendareve, otiosum ducimus. Neminem enim latet qua auctoritate doctrinæ, qua singulari eruditione, qua dictione perlucida et præclara methodo peritissimus auctor præfulgeat. Porro, præ cæteris lucubrationibus quibus in hanc diem ingenium suum studiumque probavit, doctrinæ amplitudine, rerum multitudine atque dispositione, argumentorum vigore, eruditionis copia, SS. RR. Congregationum recentiorum etiam responsionum segete, opinionum prudentia, hoc opus palmam tulit.

Hæc satis sint ad revelandum saltem humanissimis *Collationum* lectoribus, de hoc libro, *quod sit,* remissa ipsis cura penitius investigandi *quid sit;* nec ipsos pœnitebit.

C. V. C.

***

**GUIDE PRATIQUE DU TRÉSORIER** des fabriques d'églises, par Eugène Dijon. 2me édit. in 8o, 144 pag. Huy, imprimerie Charpentier et Emond. 1899.

Nous n'avons pas à faire l'éloge de cet ouvrage. Le succès considérable qu'a obtenu la première édition du *Guide*, en prouve suffisamment le mérite. L'auteur qui, pendant plusieurs années, a dirigé la *Revue des fabriques d'églises*, a pu se rendre compte des difficultés nombreuses que rencontrent MM. les curés et trésoriers ; et il a, dans un style clair et concis, donné un exposé pratique, suffisamment complet, des principales questions relatives à l'administration et à la comptabilité des fabriques.

Nous espérons donc que la seconde édition du *Guide pratique* de M. l'avocat Dijon trouvera un accueil non moins favorable que la première parmi tous ceux qui s'intéressent à la gestion du temporel du culte.

L'ouvrage sera envoyé franco, au prix de 2 fr. l'exemplaire, et de 5 fr. pour trois exemplaires. Tout exemplaire supplémentaire coûtera 1,50 fr. Le prix sera encaissé par quittance postale, sans frais.

C. V. C.

# Collationes Brugenses

## Quæstiones pro Conferentiis

### mensis Julii

—

I

An et quare rectè fecit regina Vasthi, dum Assuero, se ad convivium vocanti, non paruit? Esther I, 12: « *Quæ renuit, et ad regis imperium, quod per eunuchos mandaverat, venire contempsit.* »

II

Expone an, cur et quænam requirantur dispositiones ad justificationem.

III

Explica quomodo peccata jam directe remissa maneant materia Sacramenti Pœnitentiæ.

IV

Quænam generatim circumstantiæ peccati sunt in confessione exponendæ? addendo rationem responsi.

V

An et quare ab integritate materiali excusat infamia tertii apud confessarium incurrenda?

VI

An et quo pacto licet publicare, retinere vel legere versiones aut commentarios SS. Scripturarum a catholicis confectos?

# Responsa

## ad quæstiones in Conferentiis mensis Aprilis propositas

—

I

Q. Expone Jo. III, 13: *Et nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, Filius hominis, qui est in cælo.* Adde qua ratione hic versiculus cohæreat cum præcedentibus.

R. *Et* i. e. tamen *nemo*, nullus mortalium *ascendit in cælum*, ut ibi Deum videret ac cœlestia contemplaretur, *nisi* ille *qui descendit de cælo*, assumendo in unitatem personæ naturam humanam, ratione cujus ita in terris videbatur esse, ac si revera descendisset, nempe *Filius hominis*, Christus, *qui* sic existens simul homo ac Deus, descendendo non deseruit cœlum, nec proprie et localiter eò ascendit, sed *est in cælo*, utpote *unigenitus Filius, qui est in sinu Patris* (I, 18).

Nexum hujus versiculi cum præcedentibus dilucidè, Toletum, Lucam Brug., Maldonat., Beelen aliosque secutus, ita exponit Corluy: « Christus complet quæ dixit v. 11 et 12, et simul præparat Nicodemum ad credenda quæ ei docere intendebat *cælestia*.

Unde sic: Non credis testimonio meo circa ea quæ vidi et audivi, et si terrena non credis, quanto minus, ita dispositus, cœlestia credes quæ te etiam docere paratus sum. Et tamen *mei solius* testimonio hæc discere potes: nam *ego solus* in cœlo fui ad cœlestia videnda et audienda, et ad ea docenda in terras descendi, interim semper in cœlo manens. — Hinc Jesus simul auctoritatem suam his verbis mirè commendat, eique jus ut credatur vindicat; simul Nicodemo sublimissimum de cœlestibus dogma revelat: unitatem

Personæ suæ divinæ in duabus naturis ». Locus omnino parallelus est I, 18 : *Deum nemo vidit unquam: unigenitus filius, qui est in sinu Patris, ipse* et non alius *enarravit* ceu testis oculatus arcana divina et cœlestia.

Jam paulo fusiùs exponamus quo sensu Filius hominis hîc dicatur *ascendisse in cœlum* et *descendisse de cælo.*

Et primùm quidem *ascendisse in cœlum* hîc non dicitur quatenus post resurrectionem in cœlum ascendit secundum naturam humanam: nam præterquam quòd hæc ascensio tempore posterior fuit cognitione cœlestium quam hîc ex sua ascensione jam sibi ceu propriam vindicat Christus, manifestè obstat verbum non futuri, nec præsentis, sed præteriti temporis, ἀνεβέβηκεν, *ascendit*, quo Christus utitur. Neque dicitur ascendisse in cœlum ratione humanitatis, quatenus ab incarnationis instanti vidit divinam essentiam: namque non nisi valde improprie dicitur ascendisse in cœlum, quia anima ejus vidit Deum, neque hæc solutio tollit difficultatem. Etenim, ut verbis utamur Toleti, « hoc in loco ponitur, tanquam prius sit ascendisse in cælum, posterius vero descendisse. Est enim sensus: ille descendit, qui priùs ascendit; at prius *(naturâ)* fuit, Deum descendisse de cælo, et fieri hominem, quàm Christi animam fuisse beatam, et vidisse Deum. Non igitur de eo ascensu potest hoc verbum intelligi. »

Neque etiam propriè ascendisse in cœlum dicitur secundum naturam divinam, quæ, cum ubique tota sit, ascendere vel descendere proprie non potest; sed secundum naturam divinam ascendisse in cœlum dicitur per communicationem idiomatum, et hoc quidem impropriè et anthropopaticè, uti explanat Toletus: « Dico ergo hoc dictum esse propter homines, quorum nemo in cælum ascenderat, ut cælestia ibi videre, et intueri posset; quia hominum cum in terra sint, nemo in cælo esse poterat, nisi ascenderet. Christus autem non dicit se ascendisse, sed esse in cælo: et est hic sensus: *Nemo ascendit in cœlum*, id est, nullus homo in cælo fuit, eò

ascendens, nisi Filius hominis. At ne intelligeretur fuisse in cælo, quasi ipse fuerit in terra ut homo, et in cælum ascenderit, additum est: *nisi filius hominis, qui est in cælo*, et de cælo descendit, ac si clariùs diceret: nemo fuit in cælo, nisi Filius hominis, qui est in cælo, et de cælo descendit. At quia de hominibus loquebatur, *fuisse in cælo,* exposuit per verbum ascendendi, quia in cælo esse non poterant nisi ascendendo: propterea tamen de se loquens addidit: *qui est in cælo*, ne eum ascendisse ut hominem arbitrarentur; et in præsenti loquitur, ut se semper in cælo esse significet ratione divinitatis suæ. »

Secundò, *de cælo descendisse* dicitur Filius hominis, non solius naturæ divinæ ratione, cum ut Deus ubique sit, neque ratione naturæ tantum humanæ, quia sic ante incarnationem non erat in cælo, sed ratione utriusque, divinæ ut principii, humanæ ut termini, « quod est, ait præclarè Luc. Brug., cum esset purus ac simplex Deus, cælum implens et terram, sed in solo cælo seipsum manifestans Angelis sanctis, assumsit in plenitudine temporis humanam naturam, junxit sibi in unitatem personæ humanam naturam, per quam cœptus est repentè et in terra videri, tamquam si per motum localem è cælo descendisset in terram. » Et hoc igitur prædicatur de Filio hominis per communicationem idiomatum, impropriè atque anthropopathicè.

Notat Toletus his verbis tres hæreses refutari, et tria dogmata catholica confirmari: « Primum dogma contra Nestorium, pluralitatem personarum in Christo affirmantem. Nisi enim esset unica persona, dici non posset: *Filius hominis est in cælo*. Alterum contra Cerinthum, et alios divinitatem Christi negantes: Si Deus non esset, eum nec *descendisse*, nec *esse in cælo*, verum esset. Tertium est contra Manichæos, veram Christi humanitatem negantes: nam si vera humanitas non fuit, quomodo *Filius hominis* esse potuit? »

G. V. D. P.

II

Q. *Explica et demonstra propositionem hanc: Homo nequit viribus naturæ quovis modo se positive disponere ad gratiam.*

R. I. 1. Jam antea (*Collat. Brug.* T. III, p. 510 et seq.) ostensum est gratiam esse gratuitam ratione ipsius supernaturalitatis, seu ex eo quod gratia est aliquid naturæ prorsus indebitum: et hæc gratuitatis ratio maxime est hac in re fundamentalis, quippe quæ ad omnes alias gratuitatis rationes præsupponitur. Præterea declaratum est (*Collat. Brug.* T. IV, p. 274 et seq.) gratiam esse etiam gratuitam quatenus homo viribus naturæ illam nullo modo, nec de condigno, nec de congruo, mereri potest. In præsenti responsione alia exponitur ratio secundum quam gratuita est gratia.

2. Definitur dispositio positiva: « realis habitudo subjecti, qua subjectam per se indifferens actuatum constituitur plus minusve proxime idoneum ad formam suscipiendam, ita ut hæc sit ipsius connaturale complementum. Dicitur *habitudo realis* quia est modus quidam subjecti non consistens in negatione, sed positiva realitate. Dicitur *subjectum per se indifferens*, quia dispositio est proprie aliquid accidentaliter superveniens subjecto ipsumque ad hoc potius, quam ad illud determinans. Si enim hic modus est essentialis subjecto, ideoque jam ex se est subjectum ad aliquid determinatum, ea proprie non dispositio sed potentia dici debet. Dicitur *plus minusve proxime* h. e. per dispositionem subjectum a statu indifferentiæ exiens approximat seu accedit ad formam, ad quam fit idoneum: sed plus minus accedere potest; nam quædam dispositiones positivæ immediate, quædam mediate connectuntur cum forma. Porro illa idoneitas sive aptitudo ad formam suscipiendam est effectus formalis dispositionis imo est formaliter ipsa dispositio. » (Palmieri, *De Gratia actuali*, Thes. XXXI, n. I).

A positiva dispositione bene distinguenda est dispositio quæ dicitur *negativa:* hæc est quæ tantum removet id quod impediret susceptionem formæ in subjecto; ex. gr. naturalis cognitio de Dei existentia et de Ejus præcipuis attributis est relate ad fidem supernaturalem dispositio mere negativa: talis enim cognitio, in se sola inspecta nullo modo ducit vel movet hominem ad ipsam fidem supernaturalem, attamen homo tali ornatus cognitione, quum veritates credendæ ipsi proponantur, non jam vincendas habebit difficultates et objectiones quas sine tali cognitione inveniret: ideo hæc naturalis cognitio removet prohibens seu impedimenta ad fidem, ideo est dispositio negativa. Judicium vero *practicum* de obligatione hic et nunc credendi veritates a Deo revelatas, ad quod judicium consequitur formalis actus fidei, positive ad fidem ducit hominem; ideoque dispositio est *positiva* ad fidem. Quapropter a theologis statuitur hoc ultimum judicium practicum esse debere supernaturale, et qua tale prærequiri, etiamsi naturale præcessisset. V. *Coll. Brug.*, tom. III, p. 2 et 65.

Iterum distinguenda est positiva dispositio a *merito* etiam congruo. « Nam 1/ meritum includit in suo conceptu *obsequium præstitum alteri et refertur ad alium,* a quo præmium esse debet; dispositio haberi potest citra ullum obsequium alteri præstitum et per se dicit ordinem ad subjectum, cujus est modus, quodque fit aptum ad formam assequendam. 2/ Meritum respicit bonum retribuendum ab alio *sive ipsi merenti sive etiam alteri;* (unus enim potest alteri aliquid mereri) dispositio respicit tantummodo formam inducendam in subjecto cujus est dispositio; neque enim dispositio unius potest esse dispositio alterius » (1) (Palmieri op. c. l. c.) Formaliter

(1) Hæc est sententia Ripaldæ (*De Ente Supernaturali,* disp. 18, sect. I) quam defendit contra Suarezium. Cf. Mazzella, *De Gratia Christi*, n. 762 et seq.; Hurter, *Theologiæ dogmaticæ compendium*, T. III, n. 67; Casajoana, *Disquisitiones scholastico-dogmaticæ,* V. IV. disq. 4, n. 34; Pesch, *Tractatus dogmatici,* T. V. n. 209.

ergo differunt positiva dispositio et meritum, quamvis idem actus possit esse et dispositio positiva et meritorius relate ad eamdem formam accipiendam. Ita ex. gr. actus fidei supernaturalis elicitus ante justificationem et positive disponit hominem hunc elicientem ad justificationem et hanc de congruo meretur.

II. 1. In natura qualibet creata nulla dari potest positiva dispositio *physica* ad gratiam supernaturalem quamlibet. Nam subjectum positive dispositum ad aliquam formam, hanc quodammodo exigit. Jamvero demonstratum est (*Coll. Brug.* T. III, p. 510 et seq.) gratiam esse aliquid omnem naturæ creatæ superans exigentiam. Ergo.

2. Nec ulla natura creata potest *per actus morales* naturaliter factos positive se disponere ad similem gratiam. Nam quum nihil agere possit ultra virtutem suam, actus boni naturaliter facti non possunt reddere hominem positive idoneum nisi ad aliquid ipsi homini proportionatum seu connaturale. Sed quælibet gratia supernaturalis excedit omnino totum ordinem naturæ. Ergo.

J. V. D. M.

III

Q. *Da notionem Sacrificii in genere.*

R. Sacrificium ita describi potest: Actus supremus cultus, ad agnoscendum absolutum dominium Dei in nos, legitime institutus, consistens in oblatione vitæ humanæ vel rei vitam repræsentantis, a sacerdote facta, per realem vel æquivalentem rei oblatæ destructionem.

Dicitur: *actus supremus cultus.* Agnoscendæ sunt ab homine relationes essentialiter exsurgentes Deum inter et homines, adeoque exhibenda est a nobis reverentia et submissio ad excellentiam divinam. Cultus autem præcise consistit in « actu submissionis ad agnitam excellentiam alterius ». Dignant, *De Virtute Religionis* n. 1.

Porro diversimodè exhiberi potest cultus Deo; sed inter modos diversos Deum colendi, postulatur cultus Divinitati conveniens Eique proprius, seu requiritur actus aliquis aptus qui significet nostram *omnimodam* dependentiam et correspondens dominium Dei in omnes res et signanter in nos (1) *absolutum*, pertingens usque ad ipsam rationem entitatis nostræ. Tunc habetur sacrificium et ideo dicitur: actus cultus *supremus*, tendens *ad agnoscendum absolutum dominium in nos* (2), quod dominium est Deo omnino proprium Ipsique exclusive competens.

Nunc autem actus ille qui sit summa expressio cultus a nobis exhibendi debet esse *externus* et *socialis*, cum dependentia agnoscenda afficiat hominem in anima et corpore, in vita privata et sociali.

Dicitur: *legitime institutus*. Plures namque excogitari possunt hujusmodi actiones in actu 1° dictam aptitudinem in se referentes, sed qui, ut determinate assumantur in signum sacrificale, indigent *institutione positiva*, ad modum quo verba signa sunt idearum partim ex natura partim ex conventione, eo vel magis quod hic agatur de actu nomine societatis peragendo.

Additur: *consistens in oblatione vitæ humanæ vel rei vitam repræsentantis, per realem vel æquivalentem destructionem.*

Hisce indicatur forma sacrificii quæ vocatur physica. Ex una parte manifeste nata est dicta oblatio ut exhibeat nostram confessionem supremi dominii Dei in nos; destructio namque in honorem Dei facta *sponte sua* importat agnitionem Ipsius dominii *absoluti* in rem destructam, nimirum *ut sit vel non sit;* adeoque aptius nequit significari dominium Dei *absolutum in nos*, quam

(1) Nobilior sane est actus cultus, quo confitemur Dei dominium *in nos* quam in bona tantum exteriora, et ideo strictiori sensu sacrificium dicetur.

(2) Hic est finis intrinsecus et primarius a quo logice dimanant fines reliqui.

per destructionem *humanæ vitæ* vel rei ipsam vitam repræsentantis.

Ex alia parte descripta forma sacrificii *usu communi et institutione positiva* est assumpta in signum sacrificale; quod luculenter constat ex historia sacra, cujus testimonium nobis sufficere potest, cum non tantum nobis describat sacrificia judaica sub lege sinaitica, sed et documenta subministret circa ritum sacrificalem, sub ævo patriarchali usurpatum, tum a populo electo tum ab aliis nationibus. Pervolventi nempe S. Scripturam apparet sacrificia semper fuisse peracta:

a/ *per destructionem* rei oblatæ saltem æquivalentem, in honorem Dei factam: entia viventia occiduntur, fruges comburuntur, liquores in terram effunduntur... ita ut conceptus sacrificii essentialiter postulet immolationem realem vel æquivalentem (1).

b/ per destructionem *vitæ humanæ vel rei ipsi vitæ substitutæ*. Sacrificia humana non raro usurpata fuere apud alienigenas sed inter populum electum stricto præcepto prohibebantur offerri, sicuti et ipsa natura prohibentur, citra positivum interventum divinum, qui quidem omnino requiritur ut sacrificium humanum non sit peccatum, nedum sit actus cultus divini, siquidem solus Deus est dominus humanæ vitæ. Substituebatur autem vitæ humanæ alimentum, quod est vitæ sustentaculum et qua tale naturale symbolum est vitæ hominis. Et revera tanquam materia juxta legem Moysi in sacrificiis offerenda designantur animalia munda quibus vesci Judæis licebat, panes, vinum, oleum etc., adeo ut recentiores rationalistæ non pauci contendant sacrificia

(1) « Cum constanter, universaliter et uniformiter hæc hostiæ destructio in omnibus sacrificiis appareat, ad sacrificii naturam pertinere dicenda est; nam si sacrificio mere fuisset accidentalis, neque apud omnes neque semper et ubique, variis in adjunctis, ac diversis in epochis in morem venisset; nihil enim est constans, uniforme et universale nisi quod in ipsa rerum natura fundatur ». Ill. Lambrecht, *De Sacrificio Missæ*, p. 33.

Mosaica primitus nihil aliud fuisse quam epulas, divinitati oblatas.

*Ratio* autem *substitutionis* dilucidè apparet tum in factis relatis in libro Gen. XXII, 14 et in libro I Reg., I, 25, tum potissimum in ritu impositionis manuum (1), quæ eo tendit ut expresse indicetur victimam vices gerere hominis sacrificium offerentis (2).

Ideo etiam potiores partes subeunt in sacrificiis effusio sanguinis et concrematio adipis vitalia cooperientis, renum etc... (cfr. Lev. passim), quia habebantur uti sedes præcipua vitæ animalis adeoque aptiora erant ut vitam humanam repræsentarent. Confer quod dicitur de sanguine, Lev., XVII, 11 : « quia anima carnis in sanguine est ; et ideo dedi illum vobis ut super altare in eo expietis pro animabus vestris, et sanguis pro animæ piaculo sit ».

Tandem dicitur : *a sacerdote facta*. Sacrificium enim vidimus esse actum cultus socialem adeoque peragendum a delegato societatis religiosæ. In fine notetur oblationem rei destructæ non esse quid distinctum ab ipsa rei destructione in honorem Dei facta. Cfr. Ill. Lambrecht, l. c. p. 34.

A. D. S.

---

(1) Cfr. Lev., I, 4 ; III, 2 ; IV, 24, 29 .. et lege Ill. Lambr., l. c. p. 28 et seq.

(2) Non dicimus res omnes utcumque in honorem Dei destructas (sub Lege Mosaica) semper vices gerere vitæ humanæ hujusque loco in sacrificium offerri, ad agnoscendum supremum dominium Dei *in ipsum hominem* ; nihil namque impedit quominus nonnunquam immolatæ fuerint, citra omnem substitutionem eo fine ut homo confiteretur dominium divinum *non præcise in seipsum* sed *in illas res*, simul gratias agendo pro donis acceptis, puta, occasione festi azymorum et hebdomadarum. Quæ oblationes, etsi per destructionem oblatæ, minus stricto sensu sacrificia vocarentur, uti dictum est.

## IV

Q. *Explica qua ratione, in Missa, in utriusque specici consecratione, obtineat vera sacrificalis destructio Victimæ, essentialiter relativa ad sacrificium cruentum Calvarii.*

R. Supponimus sanctissimum Missæ Sacrificium sola utriusque speciei consecratione essentialiter confici, et unice quærimus *quanam ratione formali*, in dicta duplici consecratione, vere obtineat essentia sacrificii, et quidem sacrificii essentialiter relativi ad cruentum Sacrificium crucis. Circa quam quæstionem in scholis solemnem plures exstant sententiæ, quarum notissimas proponimus. Ordimur

1° *a Sententia Lessii*, quam reperire est in aureo ipsius libro *De Perfectionibus moribusque divinis*, L. XII, c. 13. Juxta ipsum consecratio habet rationem sacrificii « quatenus per illam Christus *mystico quodam modo occiditur*, dum, per modum hostiæ occisæ, seorsim, *vi verborum*, Corpus et Sanguis in altari exhibentur ». (1) n. 95.

Utique *reipsa* non fit separatio Sanguinis a Carne, adeoque reipsa Christus non occiditur nec immolatur, sed hoc non obstat, ait, veritati sacrificii, « quia id est quasi per accidens, propter concomitantiam partium. Nam quantum est *ex vi verborum* fit vera separatio et sub specie panis solum ponitur Corpus non Sanguis: sub specie vini solus Sanguis non Corpus ». n. 97.

---

(1) « Juxta hunc modum, peragitur hoc sacrificium non malleo vel gladio materiali, ut olim vetera sacrificia; sed gladio verbi Dei, qui est omnipotens. Sicut enim olim fiebat sacrificium, quando gladio occidebatur hostia, nempe agnus vel vitulus, et sanguis separabatur a carne: ita nunc fit sacrificium, quando, vi verborum consecrationis Corpus et Sanguis Christi ponuntur seorsim tanquam rei occisæ et immolatæ, Corpus sub specie panis et Sanguis sub specie vini. Unde verba consecrationis sunt instar gladii; Corpus Christi quod est in cælo vivum est instar hostiæ vivæ et immolandæ; Corpus ut positum sub specie panis et Sanguis sub specie vini se habent ut corpus et sanguis agni nunc immolati. Unde se habent ut terminus immolationis seu actionis sacrificandi ». Ibidem.

Atvero, *in ipsius explicatione,* non parum obstare videtur veritati sacrificii, quod revera non separetur Corpus a Sanguine, cum ita deficiat aliquid essentiale requisitum ad rationem sacrificii communiter acceptam, realis nimirum vel æquivalens victimæ destructio (1); ad sacrificii enim essentiam non sufficit causa adsit immolationis: oportet ut ipsa victima revera aliquo modo immoletur. « Ponere causam immolationis, est ponere causam sacrificii, quod per immolationem perficitur; sed non habetur sacrificium nisi effectus causam immolationis sequatur » etiamsi effectus deficiat per accidens. Cfr. Ill. Lambrecht, in Dissertatione inaugurali « *De SS. Missæ sacrificio* », p. 203, quo loco latius evolutam legas Lessii refutationem.

2ª *Sententia*, quam præ cæteris vindicat Vasquez, in III P., disp. 222, cap. 7 et 8: « Dico igitur actionem consecrationis eatenus solum sacrificium seu actionem immolandi esse, quatenus per illam efficitur ut, ipso Corpore et Sanguine Christi consecrato et realiter ibi contento, ... *cruentum Illius sacrificium quod in cruce oblatum est, repræsentetur* », l. c. n. 57. Ipse scilicet Christus, *realiter præsens* (2), per distinctam consecrationem panis in Corpus et vini in Sanguinem, sistitur in statu vivide repræsentante Sacrificium crucis, in quo Christus fuit realiter mactatus, et *eo ipso potest dici sacrificari.*

(1) Datur quidem in Missa sacrificalis destructio et verum sacrificium absque reali victimæ occisione; sed reponendo essentiam sacrificii Missæ *in ipsa attentatione occisionis,* non habes nisi *sacrificium attentatum.*

(2) Adverte dici: « *Christus realiter præsens* », ne somnietur nuda commemoratio sacrificii alterius, cui Vasquez prorsus denegat rationem sacrificii etiam commemorativi tantum. Docet namque esse « valde observandum ad sacrificium commemorativum, quod vere et proprie sacrificium dicitur, non satis esse si solum sit signum nudum mortis alicujus rei, nullo modo continens in se rem ipsam cujus mors repræsentatur: sic enim non diceretur res illa cujus mors repræsentatur, in sacrificium offerri, neque vere commemorativum sacrificium quin potius signum tantum et larva sacrificii esset, sed necessario requiri ut res ipsa, cujus mors repræsentatur sit signum mortis sui ipsius », l. c. n. 66.

In illo enim actu quo Christus se exhibet coram Patre cælesti in habitu externo repræsentante realem occisionem, olim in Ipso peractam, protestatur de dominio Dei supremo super vitam et mortem, non secus ac si rursus occideretur. Jamvero « ratio sacrificii in significatione omnipotentiæ Dei auctoris vitæ et mortis formaliter posita est; ac proinde si sit oblatio aliqua, per quam, *absque rei oblatæ immutatione* vera et reali, Deus Auctor vitæ et mortis denotari et coli possit, vere et proprie sacrificium dici debet », l. c. n. 65. Et hoc itaque modo censet adesse sacrificium, utique formaliter commemorativum at verum in se sacrificium (1).

Nec hæc, *qualis proponitur*, placet sententia. Equidem non negamus descriptæ repræsentationi Sacrificii crucis in ipso Christo realiter præsente, inesse aptitudinem ut tendat in agnitionem supremi dominii Dei in res omnes, et in specie in homines, ut sint vel non sint, sed vehementer dubitamus utrum hoc sufficiat ad veram rationem sacrificii, qualis communiter habetur, juxta dicta in Responso ad qu. III. Deest namque, fatente ipso Vàsquez, *immutatio vel immolatio quælibet Victimæ*, quam immutationem includit sacrificium tanquam determinatum modum quo fiat illa agnitio dominii supremi Numinis.

debet haberi illam protest. modo uti Comm. atqui requir. Christus p. real. vel leg. destruct. Victimæ.

Cui incommodo conatur obviare Cardinalis De Lugo, *De Eucharistia*, disp. XIX, S. 5ª, proponendo

*3iam Sententiam*, quam adornavit Franzelin, *De Sacrificio Missæ*, thes. XVI, et fere amplectitur Ill. Lambrecht,

(1) « Quamvis in hoc (sacrificio commemorativo) non fiat immutatio rei, quæ hoc modo offertur, reperitur tamen vera significatio et nota divinæ Omnipotentiæ, sicut in sacrificio absoluto et ita non minus ei convenit ratio sacrificii quam sacrificio cruento et absoluto ». l. c., Disp. 220, n. 26. Absoluto scilicet sacrificio non inest illa nota divinæ Omnipotentiæ citra immutationem rei oblatæ, bene vero sacrificio relativo seu commemorativo sacrificii absoluti, semper intelligendo sacrificium commemorativum non absolvi nuda repræsentatione sacrificii absoluti, sed reali exhibitione ejusdem victimæ in habitu repræsentante realem immolationem olim peractam.

in prælaudata dissertatione p. 207-219, et in doctissimo opere, *Verklaring van den Mech. catech.*, p. 997-998.

Ad sacrificii essentiam requirunt realem vel æquivalentem destructionem, eamque reponunt in hoc quod Christus sistatur in statu decliviori, destitutus omni actu connaturalis vitæ corporeæ, pendente a sensibus, ita ut (vi ipsius existentiæ sacramentalis, modo inextenso) « nihil secundum Corpus possit agere connaturaliter; ut Corpus ejus et Sanguis, in quantum præsentia ejus alligatur speciebus, permittatur quodammodo arbitrio creaturarum, non secus ac si esset res inanimata ». Franzelin, l. c. p. 403. Qua ratione Christus vere ponitur in statu æquivalentis destructionis, exinanitus, juxta dictum Ill. Lambr. in Catech., *in sua vita externâ.* « Qua in re, (nempe in privatione functionum vitæ organicæ) tanta habetur exinanitio, ut, si mortem physicam excipias, major excogitari non possit; nam ipsi morti physicæ, relate ad humanum commercium omnino æquivalet ». Lambr., in dissert., p. 208.

Præfata opinio, nostra præsertim ætate, multos eosque graves nacta est patronos, non caret tamen difficultatibus quibus fatemur nos non parum moveri.

*Imprimis*, missa quæstione circa modum existendi Christi sacramentalem, in illa sententia, Sacrificium Missæ non apparet tanquam *essentialiter relativum ad Sacrificium crucis*. Ad hoc enim ut sit Sacrificium essentialiter relativum ad Sacrificium cruentum, non postulatur quidem ut Missa constituatur in ratione Sacrificii, *formaliter et reduplicative* per ipsam relationem ad Sacrificium crucis hujusque repræsentationem; sed oportet ut per id, per quod constituitur in ratione Sacrificii, per illud idem commemoret immolationem cruentam in cruce. Jamvero ex una parte in Missa repræsentatur Sacrificium crucis per *duplicem distinctam* consecrationem, qua externa specie et sacramentaliter seorsim sistitur Corpus exsangue et Sanguis sine Corpore, quemadmodum et in Calvario; dum ex alia parte illa

exinanitio Victimæ divinæ quoad vitam externam seu functiones organicas plene verificatur in *unica* consecratione: secunda consecratio, quocumque titulo requiratur, *per accidens* se habet relate ad sacrificium in se et absolute spectatum.

Accedit 2ª difficultas, quam ipse Franzelin sibi objicit p. 409, sub c/. Nimirum exercitium sensuum externorum, quorum *connaturali* usu Christus in Sacramento privatur, Ipsi novo miraculo *supernaturaliter* communicatur; et ita quod manu sinistra ædificant, idem iterum manu dextera destruunt. Respondet quidem Em. Auctor quod « illa communicatio (miraculosa) quoad actus vitales sensuum externorum super et præter existendi modum sacramentalem... non tollit in Corpore et Sanguine Christi, quatenus est in Sacramento, *statum cibi et potus* »; attamen deficit, utique novo miraculo, deficit tamen radix præcipua æquivalentis exinanitionis, nempe *privatio vitæ externæ*.

*Insuper* evanescit, potissimum in explicatione Franzelin, destructio *sacrificalis*, cum ad hanc non sufficiat qualiscumque destructio, sed illa postuletur, quæ usu universali est consecrata, et quæ, in entibus viventibus, alia non est quam destructio *per occisionem* saltem æquivalentem.

Non unus hisce et aliis difficultatibus commotus hanc tertiam sententiam deseruit, ad opinionem recurrens Vasquezii vel et aliam ædificans, uti v. gr. P. Billot, *De Sacramentis*, I, p. 531-543 et p. 566-582. Sit igitur *4ª sententia*, quam brevi formula sic effert p. 577-578: « Restat itaque ultima sententia, quam omnino veram existimamus, reponens formalem rationem sacrificii absolute sumpti in mactatione mystica secundum se, id est, in sacramentali separatione Sanguinis a Corpore, non præcise quia et in quantum repræsentat oblationem crucis, ad sensum Vasquezii, multoque minus quia et in quantum foret ex sese occisiva Christi nisi impediretur per aliam causam, ut dicit Lessius, sed quia et in

Ex illud idem quod constit. Sacr. requires. S. consecis
Habetur Sacrificium : in illa ...

quantum *sistit Christum sub speciebus sacramenti in quodam externo habitu mortis et destructionis, ac per hoc nata est, non secus ac realis destructio victimæ in propria specie, vere et realiter subjectare symbolicam significationem, quæ sacrificio propria est*, juxta declarata superius ».

Porro in explicatione, ad quam remittit Auctor, meritò contendit contineri in illa constitutione victimæ sub habitu externo mortis, agnitionem supremi et absoluti dominii Dei; atvero non ostendit quomodo in ea reperiatur *vera et objectiva* (etsi non realis) *exinanitio ipsam victimam afficiens;* imo videtur essentiam Sacrificii Missæ reponere in sola significatione et agnitione supremæ majestatis divinæ, *citra immutationem ipsam victimam attingentem,* docens, ad instar Vasquezii, rationem sacrificii in dicta significatione formaliter consistere. (1)

Jamvero si hoc modo est intelligenda prædicta opinio, eodem laborat defectu qui displicuit in sententia Vasquez et contra quem inducta est sententia Lugonis; deficit nempe nota destructionis veræ et objectivæ in victima: quæ nota ita videtur jam ingredi notionem sacrificii universaliter acceptam, ut absque dicta immutatione, quævis oblatio, humano loquendi usu, nonnisi abusive sacrificium vocetur.

Non sufficit Protestari sed debet Dest. vel objectiv... adh. victimam

(1) « Sacrificium est in genere signi » quatenus « est quædam actio externa quæ non habet ex alio laudem nisi quia fit propter divinam reverentiam,... aliàs, absolute sumpta, in quantum est materialis cæremonia, nihil in se habens quod ad Dei honorem pertineat ». Unde « tota honoris ratio in significatione consistit, scilicet quia per talem actum homo exprimit interiorem adorationis affectum, quo se totaliter devovet ac submittit Deo ». p. 535. Nunc vero illud signum « fuit ab initio convenientissime collocatum in oblatione rei sensibilis per realem aut æquivalentem in honorem Dei destructionem. Si tamen supernaturaliter contingat rem non offerri in specie propria, nihil aliud potest requiri ad rationem signi sacrificio essentialem, nisi ut res illa in specie sacramenti sub quodam externo habitu mortis præsens sistatur ». p. 536-537. Cæterum eo ipso quod offertur in aliena specie « nihil conferret formalis vel æquivalens destructio victimæ in se ipsa » et sufficit ut « victima præsentetur Deo in habitu quodam separationis Corporis a Sanguine, qui est habitus destructionis et mortis », p. 539, cfr. et responsum ad 1m objectionem p. 580.

Attamen, ni fallimur, modò exposita sententia optime potest explicari tali ratione ut in illa salvetur desiderata victimæ exinanitio æquivalens, idque extra omnem Christi immutationem *physicam* ad sensum Lugonis.

Et re quidem vera, nonne ipsa illa constitutio Christi sub habitu externo mortis, æquivalet veræ *immolationi occisivæ* divinæ Victimæ, non quidem cruento modo sed incruento? Nimirum non occiditur realiter Christus Dominus, quod cæterum absonum esset requirere, siquidem « resurgens ex mortuis jam non moritur » (ad Rom., VI, 9), sed *apparendo* in illo externo apparatu occisi, *coram oculis hominum et in morali æstimatione* (1), vero sensu dici potest subire *humiliationem mortis et vitam suam destruere et immolare*, non secus ac si reipsa trucidaretur.

Et sane, si Apostolus Paulus, ad Philipp., II, 7, potuit in veritate dicere de Filio Dei, quod sese *exinanierit* quoad divinitatem, coram mundo *apparendo* divinitatem exutus et formam servi indutus, eodem plane jure dicitur in altari *mactatus*, coram nobis *apparens tanquam Agnus occisus*.

Hac ratione divina Victima, in Missa, *veram* (etsi non realem et physicam) subit *destructionem*, eamque *sacrificalem*, et in dicta constitutione Christi sub habitu externo occisi, non tantum obtinet significatio et agnitio supremi dominii, sed obtinet agnitio illa *per veram victimæ exinanitionem sacrificalem*, adeo ut nihil desit ad ipsam essentiam sacrificii in se spectati. Simul etiam Sacrificium Missæ est *essentialiter relativum* ad oblationem in ara crucis factam: per eamdam enim distinctam consecrationem et separationem sacramentalem Corporis a Sanguine, per quam constituitur in ratione sacrificii

(1) Docente ipso Franzelin « intelligitur destructionem (sacrificalem) non necessario debere esse *physicam*, ita ut res desinat esse; sed sufficere talem quæ *morali æstimatione* æquivaleat destructioni (occisivæ), l. c. p. 402.

absoluti, per illam eamdem exhibetur realis commemoratio cruenti Sacrificii in Calvario peracti.

Hoc modo si intelligatur et explicetur sententia 4ª, ipsi, salvo meliori, subscribimus. (1) A solvendis autem difficultatibus, brevitatis causa, abstinemus.

*Ad quæsitum* igitur uno verbo respondemus: Obtinet in Missa sacrificalis destructio Victimæ essentialiter relativa ad Sacrificium Calvarii, quatenus *per sacramentalem separationem Corporis a Sanguine, Christus sistitur præsens in habitu externo occisi, qui status, coram morali hominum æstimatione, æquivalet, ratione modò indicata, reali occisioni et veræ immolationi cruentæ.*

A. D. S.

V

Q. *Qualis requiritur* intentio *et* attentio, *ut quis satisfaciat præcepto audiendi Missam?*

R. I/ *Intentio* requiritur *saltem virtualis implicita colendi Deum.* Ad legis enim impletionem postulatur *intentio* faciendi illud quod est præceptum, seu ponendi opus lege præscriptum, cum secus actus a legislatore injunctus non poneretur modo humano. Cum autem ad essentiam actus præscripti in præcepto audiendi Missam, pertineat ut sit actus *religiosus*, logice requiritur *intentio Deum colendi.* Unde non satisfaceret legi ille qui tempore Missæ accederet ad ecclesiam, v. gr. *unice* ad musicam audiendam (2).

Quod intentio debeat esse ad minus *virtualis*, osten-

---

(1) Ipsa sententia Vasquez capax est hujusmodi explicationis, cum Christus apparendo in statu realiter repræsentante Sacrificium crucis, eo ipso exhibeatur tanquam agnus occisus, adeoque veram in ordine morali subeat exinanitionem sacrificalem.

(2) Assistentia Missæ non desinit esse actus *religiosus*, ex eo quod intentioni Deum colendi accedat aliud motivum etiamsi sit impellens et inhonestum. Cfr. Boucquillon, *Theol. mor. fundam.*, (ed. 2ª) n. 124 et 359; Dignant, *De Virtute Religionis*, n. 65.

ditur ex eo quod actus noster ecclesiam adeundi et Missam audiendi, præcise *per intentionem* Deum colendi efficaciter constituitur in ratione actus religiosi, ad quod oportet ut dicta intentio saltem *virtute perseveret et influat.*

Sufficit autem ut sit *implicita*, quemadmodum communiter obtinet pro actibus humanis et signanter pro administratione sacramentorum. Implicita autem illa habetur intentio « eo ipso quo quis ad ecclesiam pergit *more fidelium* Missam auditurus ». Cfr. Lahousse, *De Eucharistia*, p. 357.

Juxta principia generalia non requiritur « intentio adimplendi præceptum », aliis verbis, requiritur quidem ut fiat quod præcipitur, non vero *quia* præcipitur (1), neque « intentio referens actum ad finem a legislatore intentum ». Cfr. Van den Berghe, *De Legibus,* n. 128.

II *Attentionem* requiri præter virtualem intentionem unanimi consensu conclamant theologi; et sane non sufficit qualiscumque assistentia Missæ etiam mere materialis absque ulla attentione. At vehementer discrepare saltem videntur AA., ubi agitur de natura attentionis et de objecto cui sit attendendum.

a/ *Circa naturam* attentionis, alii quos citat et sequitur De Lugo, *De Eucharistia,* Disp. 22, n. 27, docent sufficere attentionem *externam* quæ, juxta S. Alph., l. IV, n. 176, « habetur cum non ponitur actio incompossibilis cum attentione interiori ut esset fabulari, scribere... » dum alii plures requirunt attentionem *internam*, quæ consistit in applicatione interna mentis.

Hisce ultimis adstipulamur; nitentes vel ipsa tradita notione attentionis externæ. « Dicitur enim attentio externa...: exclusio actionum externarum incompossibilium cum interiori attentione. At cur excludendæ ne

(1) Ita qui missam die dominica audivisset ex mera devotione, cum intentione secundam audiendi tamquam de præcepto, jam primæ missæ assistendo præcepto satisfecit. Cfr. *Collat. Brug.* T. I, p. 220 sq.

interiorem attentionem impediant, si nulla omnino interior requiratur? » Dignant, l. c., n. 67.

b/ Quod autem spectat *objectum* in quod attentio est convertenda, non negamus sufficere, (saltem probabiliter) attentionem *ad Deum et res sacras in genere* directam, absque attentione *ad Missam in specie*, idque vel ob solam auctoritatem Doctorum qui passim hoc docent, et a quorum sententia non est facile recedendum, potissimum in determinanda vi et extensione legis ecclesiasticæ.

Attamen naturæ actus in jure (1) præscripti magis congruere videtur attentio *ad ipsam missam*, cum auditio Missæ non sit actus religiosus *qualiscumque* sed actus religiosus *determinatæ speciei*. Nequaquam vero exigitur ut fideles attendant ad singulas actiones et cæremonias in Missa sibi succedentes, sed sufficiens habenda est attentio *superficialis* ad Missæ Sacrificium, quatenus de illis quæ sunt Missæ aliquatenus animum habeant occupatum, vel *modo generali et confuso* Missam prosequantur, (remissa mentis applicatione), signanter quod spectat essentiales Missæ partes. Quæ attentio vix unquam deerit apud pios fideles. est fere ingress. ut non adsit

*Applicatio*: Juxta hæc principia, haud ægre casus obvii solvuntur. Ita

1°/ *communiter* non satisfacit qui per tempus Missæ confabulatur, depingit, scribit etc. quia passim apud talem deficiet attentio *interna;* potest tamen fieri ut præceptum impleat, etsi aliunde peccet, modò inter confabulandum, pingendum vel scribendum ad Missam superficialiter attendere non omittat (quod fieri posse nemo negabit), quomodocumque attentione sic dicta externa careat.

2°/ ex alia parte, qui externe optime compositus per totam Missam, quod utique raro fiet, mente, etiam

---

(1) Cfr. Decr. Gratiani, P. III *De Consecratione*, Dist. I, cap. 64: « Missas die dominica sæcularibus totas audire speciali ordine præcipimus ».

involuntarie (1), prorsus divagatur, nullatenus Missam audit, quia ex hypothesi *omni* attentione *interna* destituitur.

3°/ Neque, si exposito principio adhæremus, magnam præbet difficultatem, saltem theoreticam, quæstio sæpe agitata de illo qui confessionem instituit prolixam durante Missæ Sacrificio. Nimirum si totum quantum animum converterit ad confessionem, ita ut neque superficialiter ad Missam attenderit, præcepto non fecit satis (2); e contra si, durante confessione instituta vel admonitione confessarii excepta, attentionem ad Missam generatim adhibere non neglexerit, præceptum substantialiter adimplevisse censetur; quod ut facilius contingat « consultum est ut tempore consecrationis (vel et communionis) interrumpatur aliquatenus confessio, ut pœnitens liberius animum ad eam attendat ». Lahousse, l. c., p. 359.

A. D. S.

## VI

*Q. Titius religiosus, sine debita facultate absolvit hæreticum eique ultima sacramenta administrat; dein, ab ordine expulsus, ut sibi provideat, eleemosynas Missarum colligit, quas partim minori pretio celebrari facit, partim vero, accepto præmio, tradit bibliopolæ qui sacerdotibus quibus eas celebrandas committit, non pecuniam, sed libros rependit. Quales et quare Titius censuras latæ sententiæ incurrit?*

R. Titius varia admisit delicta ob quæ, si requisitis stipita sint conditionibus, duplicem certo, et forte tri-

(1) « Relate ad attentionem *per accidens* esse videtur quod distractio sit voluntaria vel sit involuntaria » Dignant, l. c., n. 71.

(2) Notandum tamen quod personæ quæ vix alio quam Missæ tempore confiteri valent, uti non raro obtinet pro ancillis et famulis præsertim ruri, non essent cogendæ in casu ad novam Missam audiendam, tum quia id ipsis non vacat, tum quia Ecclesia non censetur urgere præceptum suum erga tales. Cfr. S. Alph., l. III, n. 314.

plicem excommunicationem Romano Pontifici simpliciter reservatam, duplicemque suspensionem pariter reservatam, ipso facto incurrit.

I. Titius *duplicem* certo, et forsan *triplicem* incurrit *excommunicationem* R. P. simpliciter reservatam, videlicet:

a/ Primam forte, quia sine debita facultate absolvit hæreticum; modo tamen scienter (1) hoc fecerit, *extra mortis periculum* (2), et secluso casu vere urgentiori (3), atque agatur de hæretico formali qui externe, etsi occulte, errorem suum manifestavit. Hujusmodi enim hæreticus excommunicationi latæ sententiæ R. P. speciali modo reservatæ subjacet (Const. *Apost. Sedis*, T. I, art. 1); et quicumque, extra mortis periculum aut casum vere urgentiorem, prouti dictum est, ab hujusmodi excommunicatione, sine debita facultate, absolvere præsumpserit, excommunicationis vinculo R. P. reservatæ ipso facto innodatur. Const. *Apost. Sedis*, in epilogo Tituli I.

b/ Alteram, ob administrata ultima sacramenta, vi articuli 14 Tituli II Const. *Apost. Sedis*, quo declaratur excommunicationi subjacere « *religiosos præsumentes clericis aut laicis, extra casum necessitatis, Sacramentum Extremæ Unctionis aut Eucharistiæ per Viaticum ministrare absque parochi licentia* ». Ut autem hæc censura incurratur, requiritur ut hæreticus de quo agitur non sit Titii subditus, vel religiosus (professus, novitius aut

---

(1) Quum in delinquente requiratur *scientia* seu *præsumptio*, ideo a censura excusat quælibet ignorantia, probabiliter etiam affectata, sive facti, sive juris Cf. *Collationes*, T. IV, p. 36 ss.

(2) Nonnulli observarunt in proposito casu periculum hujusmodi adesse, siquidem absoluto ultima sacramenta administrantur; et consequenter statuerunt Titium ratione absolutionis hæretico impertitæ nullam censuram incurrere. Et re quidem vera, huic interpretationi favet contextus. Quum tamen certo non constet ultima sacramenta eodem tempore seu immediate post absolutionem administrata fuisse, ideo dicimus Titium *forte* excommunicationem incurrisse.

(3) Cf. *supra*, p. 232.

vere familiaris) etsi diversi ordinis, utque Titius recensita sacramenta scienter ministraverit, extra casum necessitatis, et sine licentia saltem præsumpta proprii moribundi parochi ejusve superioris.

c/ Tertiam excommunicationem R. P. reservatam incurrit Titius propter collectas Missarum eleemosynas, quatenus verum lucrum ex iis captat, partem nempe, ut sibi provideat, retinendo, easque minori pretio celebrari faciendo; modo tamen Missas celebrandas in loco committat ubi, juxta taxam diœcesanam vel consuetudinem, minores eleemosynæ tribuuntur, vel ubi saltem, propter frequentem Missarum penuriam, sæpe pro stipendio taxæ diœcesanæ minori celebratur.

In hanc censuram non impingeret Titius, si ipsi *non petenti* eleemosynarum pars omnino *sponte* et *liberaliter* a celebrante remitteretur. (1)

II. Titius *duplicem* incurrit *suspensionem* R. P. reservatam, videlicet:

a/ Unam ab exercitio ordinum, utpote religiosus ejectus, modo legitime fuerit expulsus. Suspensio hæc perpetua est, et permanebit donec Titius iterum recipiatur aut ad aliam religionem canonice transierit; vel donec a Sancta Sede alio modo ei consulatur, ac præterea Episcopum benevolum receptorem invenerit *et* de ecclesiastico patrimonio sibi providerit. Const. *Apost. Sedis*, Tit. V, art. 5 coll. S. C. C. decreto *Auctis admodum*, 4 Novembris 1892, et decr. S. C. Episc. et Regul. 20 Novembris 1895 ad 1m (*Nouv. rev. théol.*, T. XXV, p. 29 ss., et T. XXVIII, p. 189 ss.).

b/ Alteram, propter Missarum eleemosynas bibliopolæ traditas, qui sacerdotibus quibus eas celebrandas

---

(1) Juxta nonnullos, a censura pariter excusaretur si sibi, utpote vere pauperi, partem stipendii quasi eleemosynam retineret; vel simpliciter tanquam rem alienam, ad modum furis. Sed contrarium omnino tenendum videtur. Cf. Avauzini-Pennachi, *Comment. in Const. Apost. Sedis*, T. I, p. 964 ss.; F. Piat., *Comment. in Const. Apost. Sedis*, p. 201 et p. 202.

committit, non pecuniam, sed libros rependit. S. C. C. decretum *Vigilanti*, diei 25 Maii 1893 (*Nouv. rev. théol.*, T. XXV, p. 354 ss.).

S. Cong. Concilii « ad cohibendam pravam quorumdam licentiam qui ad ephemerides, libros, aliasque merces facilius cum clero commutanda Missarum ope utebantur », anno 1874 nonnulla edidit decreta quibus improbanda et pœnis etiam ecclesiasticis ab Episcopis coercenda declaratur tum « eorum bibliopolarum vel mercatorum agendi ratio, qui adhibitis publicis invitamentis et præmiis, vel alio quocumque modo Missarum eleemosynas colligunt, et sacerdotibus, quibus eas celebrandas committunt, non pecuniam, sed libros aliasve merces rependunt »; tum illorum etiam qui istiusmodi turpi mercimonio concurrunt, quales sunt « ii qui acceptas a fidelibus vel locis piis eleemosynas Missarum *tradunt* bibliopolis, mercatoribus, aliisque earum collectoribus », necnon « ii qui a dictis bibliopolis, et mercatoribus *recipiunt* pro Missis celebrandis libros aliasve merces ».

« Sed cum postremis hisce annis constiterit, salutares hujusmodi dispositiones ignorantia aut malitia sæpius neglectas fuisse, et abusus hac in re valde lateque invaluisse, Emi Patres S. C. Tridentini interpretes ac vindices... officii sui esse duxerunt, quod pridem decretum erat in memoriam plenamque observantiam denuo apud omnes revocare, et opportuna insuper sanctione munire ». Decreto itaque 25 Maii 1893 statuerunt, « ut in posterum si quis *ex sacerdotali ordine* contra enunciata decreta deliquerit, *suspensioni* a divinis S. Sedi reservatæ et ipso facto incurrendæ obnoxius sit; clericus autem sacerdotio nondum initiatus eidem suspensioni quoad susceptos ordines similiter subjaceat, et inhabilis præterea fiat ad superiores ordines recipiendos; laici demum excommunicatione latæ sententiæ Episcopis reservata obstringantur ». Cf. Dec. S. C. C. 24 Februarii 1894, et Epist. circul. ejusdem S. Cong. ad Ordina-

rios Italiæ, diei 28 Augusti 1897 (*Nouv. rev. théol.*, T. XXVI, p. 362 ss., et T. XXX, p. 75). (1)

Nullum autem dubium est Titium sacerdotem contra recensita S. C. Concilii decreta deliquisse; ideoque suspensionem a divinis R. P. reservatam ipso facto incurrisse.

C. V. C.

# Evangelia Dominicarum

## Dom. XIV post Pentec.

*Cavenda servitus Mammonæ atque inordinata sollicitudo rerum temporalium.* Matth. VI, 24-33. Cf. Luc. XVI, 13; XII, 22-31.

***

Te dien tijde zei Jesus tot zijne leerlingen: 24 Niemand en kan twee heeren dienen; want of hij zal den éénen haten en den anderen liefhebben, of hij zal den éénen voorstaan en den anderen verachten: gij en kunt God niet dienen en Mammon.

(1) Ex citatis documentis constat, absque indulto S. Sedis, jam practice non licere viris etiam ecclesiasticis, qui nec bibliopolæ sunt, nec mercatores, Missarum eleemosynas sive rogatas, sive sponte oblatas, acceptare ut eas deinde, ad bonos libros vel diaria religiosa divulganda, celebrandas offerant sacerdotibus, qui loco stipendii accipiant libros vel ephemerides æqualis pretii, seclusa licet quavis negotiatione, vel turpis lucri specie. Insuper, « si S. Congregatio quadam benignitate usa est, in casibus determinatis, ut facilius clerus nomen det certis catholicis ephemeridibus bene meritis, quoad existentiam, durationem et modum indultorum hujusmodi quisque ad *Ordinarium* se referat; secus in se assumet quæcumque etiam in hoc speciali casu ex violata lege cuique obvenire possunt »(Epist. circul. cit.). Quare, cum limitatione accipienda sunt quæ inveniuntur apud Lehmkuhl, ed. 9ª, T. II, n. 205, p. 151, et apud Génicot, ed. 2ª, n. 232, p. 237 et p. 238. Cf. *Rev. théol. franç.*, an. 1897, p. 705 ss.

25 Daarom zeg ik u: Zijt niet bezorgd voor uw leven, wat gij eten zult; noch voor uw lichaam, waarmede gij u kleeden zult: is het leven niet meer dan het voedsel, en het lichaam niet meer dan de kleeding? 26 Aanschouwt de vogelen des hemels, dat zij niet en zaaien, noch en maaien, noch in schuren vergaderen; en uw hemelsche Vader voedt ze *toch:* zijt gijlieden niet veel beter dan zij? 27 En wie van u kan, met bezorgd te zijn, ééne elle aan zijne lengte toevoegen? 28 En waarom zijt gij bezorgd voor kleeding? Bemerkt de leliën des velds, hoe zij groeien: zij en arbeiden, noch en spinnen; 29 en ik zeg u, dat zelfs Salomon in al zijne heerlijkheid niet gekleed en was gelijk ééne van deze. 30 Indien nu God het kruid des velds, dat heden is, en morgen in den oven geworpen wordt, alzoo kleedt, hoe veel meer *zal hij* u *kleeden*, gij kleengeloovigen? 31 Zijt dus niet bezorgd, zeggende: Wat zullen wij eten, of wat zullen wij drinken, of waarmede zullen wij ons kleeden? 32 Want dit alles zoeken de Heidenen; want uw Vader weet, dat gij dit alles noodig hebt. 33 Zoekt dan eerst het Rijk Gods en zijne gerechtigheid, en dit alles zal u toegegeven worden.

* * *

## Notationes

24 *Nemo potest duobus dominis servire: aut enim unum odio habebit, et alterum diliget: aut unum sustinebit, et alterum contemnet. Non potestis Deo servire, et mammonæ.* Sensus: « Scitis vulgò celebratum adagium: Neminem posse duobus dominis recte servire, quòd non facilè duo reperiantur moribus tam similibus et commodis, ut utrique quis satisfaciat, aut pari affectu sit addictus. Si enim sit, cui duo contingant Domini, is vel morum vel imperiorum diversitate offensus, vel non sustinens affectum suum in utrumque pari studio ferri, aut unum eorum odio habebit, et alterum diliget: aut contrà illum

amplectetur, ac sustinebit, et istum contemnet. Ita et scitote non posse vos, quantumvis id plerique frustra conentur, Deo simul et mammonæ servos esse, maxime cum sint hi duo domini inter se summe contrarii, et contraria plane jubentes, adeo ut qui unum eorum diligit, alterum necessariò odio habeat: et contrà qui unum eorum odio habet, alterum diligat. Proinde videte, quantum malum sit divitiarum studium, cum et Dei servitio vos excludat, cui profectò supra omnes servire, necessarium pariter ac commodum est vobis, et tam indigno vobis domino servire compellat, ac gravissimam mammonæ tyrannidem subire. Videte utrum dominum amplecti malitis, nam utrique servire non potestis. Est autem, mammona, dictio chaldaica, significans idem quod Græcis πλουτος, hoc est, divitiæ... Bene autem Dominus mammonam veluti dominum quemdam componit cum Deo, tum ut indicaret studium hujus esse veram servitutem, tam indignam libera et generosa natura hominis, quàm ea dignior est mammonà, re scilicet mortuà, terrenà, et cui homo dominari deberet: tum ut indicaret eos qui studio pecuniarum occupantur, mammonam sibi pro Deo colere, quomodo et Paulus avaritiam vocat idolorum servitutem. Non dixit autem Dominus: non potestis Deo placere, et habere divitias. Nihil enim vetat Christianum habere divitias, si eas habeat ut habuerunt Patriarchæ, hoc est, si eis non serviat, sed imperet, et dominetur. Servit autem eis qui animum suum illis apponit, qui earum gratia facit fere quicquid facit, qui ab eis pendet, et felicitatem suam hinc sperat, qui cùm recta ratio dictat, non expendit eas in Dei gloriam, in suam et proximi utilitatem, qui per fas ac nefas congregat, nihil grave ducens, modò liceat lucrum facere ». Jans. Gand.

25 *Ideo dico vobis, ne soliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini. Nonne anima plus est quam esca: et corpus plus quam vestimentum?*

*Ideo,* quia Deo servire non potest, qui servit mammonæ, *dico vobis*... « Christus cum servitutem divitiarum exclusisset, simul excludit sollicitudinem pro rebus necessariis, quâ avaritia plerumque velari solet, et cor terrenis curis implicari, atque a Dei servitute divelli, et ad avaritiam disponi. Non vetat autem laborem pro necessariis, vel etiam diligentiam, quæ laudabilia sunt, sed sollicitudinem, græcè μεριμναν, id est, anxiam illam sollicitudinem, quâ animus in diversa distractus se vexat, et cum quodam metu non assequendi totus in eo positus est, ut sibi de necessariis prospiciat, nihil pendens a Divina providentia. Talis sollicitudo plerumque plura congerit, quàm necessè sit, et præpostera est, tempus præoccupans, ut indicatur vers. ult., et soli sibi seu diligentiæ atque industriæ suæ fidit, nihil Deo, ut v. 31 et 32. Et quia hæc pro necessariis sollicitudo corruptis hominum moribus maxime usitata est, hinc in toto Evangelio nullus animi affectus tanto studio, ac tot argumentorum machinis a Christo oppugnatur et evellitur.

*Nonne anima plus est*... Hæc prima ratio est a majori: q. d. nonne vita est præstantior, quàm id, quo alitur vita? et corpus, quàm id, quo tegitur corpus? Supplendum est autem: Deus verò dedit illa majora, ergo dabit et minora, quibus ipsemet vitam sustentari et corpus tegi voluit.

26 *Respicite volatilia*, quæ longe minorem, quàm terrestria videntur victui quærendo diligentiam adhibere. Addit autem *cœli*, ut distinguat a domesticis, quæ ab hominibus aluntur; *quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea*, id est, non adhibent ne quidem illum laborem ac diligentiam, quam vos ex Dei instituto adhibetis: *et* tamen *pater vester,* cùm volatilium non sit nisi creator et Dominus, *cœlestis*, qui scilicet omnia terrena, sicut et ipsum cœlum ac terram, habet in potestate, *pascit illa,* providentiam suam ad illa etiam minuta protendens.

*Nonne vos magis pluris estis illis?* Id est, nonne vos, qui ad imaginem illius creati estis, in filios adoptati, et propter quos creavit reliqua, præcellitis volatilibus, et consequenter fidere debetis vos ab eo esse pascendos? cum ex instituto ejus seratis et metatis? Est enim hæc secunda ratio efficacissima à minori.

27 *Quis autem vestrum cogitans*, id est, anxià illà sollicitudine se excrucians; est enim idem verbum Græcè quod supra verterat *sollicitum esse; potest adjicere ad staturam suam cubitum unum?* Cùm potiùs sollicitudo staturam rodendo minuat. Perficit argumentationem hanc Lucas: *si ergo neque quod minimum est potestis, quid de cæteris solliciti estis?* Ex quo patet tertiam hanc rationem peti a minori ad majus, q. d. cum id, quod minimum est, uno scilicet cubito majores fieri vestrà anxietate non possitis, multo minùs vitam vestram sustentabitis tali vestra sollicitudine.

28 *Et de vestimento quid soliciti estis?* cùm longe minoris necessitatis sit quàm victus. Porrò quemadmodum supra a volucribus, ita nunc a floribus exemplum Divinæ sollicitudinis petit, ut istà quartà ratione velut a minori ad majus efficaciùs eorum excutiat sollicitudinem. Itaque *considerate lilia*, in quibus singularis est pulchritudo ac decor, et in primis foliorum ordinatissimè assurgentium quasi amictus, quo vestiuntur. Addit autem *agri*, quia illa totum debent Divinæ providentiæ, hortensia verò aliquid humanæ curæ. *Quomodo crescunt*: id est, quâ pulchritudine floris, quâ foliorum gratiâ velut vestium assurgunt? *Non laborant* ad assequendum indumentum, ut solent viri: *neque nent*, ut solent mulieres: hoc est, sollicitudine prorsus vacua sunt. Non enim, ut Chrysost. hom. 25. opus prohibuit, sed sollicitudinem, sicut et supra de satione.

29 *Dico autem vobis, quoniam nec Salomon* pulchritudinis ac decoris studiosissimus, potentiâ, sapientiâ, opibus præcellens omnibus, quibus excogitantur ea, quæ ad vestitum pertinent. *In omni gloria sua*, id est,

etiam tum, cùm in fastigio gloriæ suæ fuit, *coopertus est,* seu amictus *sicut unum ex istis,* tantâ scilicet vestium pulchritudine et gratiâ. Quod enim sericum, inquit Hieron., quæ Regum purpura, quæ pictura textricum potest floribus comparari? Quanta veritatis et falsitatis, tanta vestimentorum et florum differentia est, inquit Chrysost. hom. cit., quia scilicet naturam Divinæ providentiæ artificium hominum cura et industria imitatur, et non assequitur.

30 *Si autem fænum agri*, id est, herbam agrestem, rem scilicet abjectissimam, *quod hodie est* in rerum naturâ, *et cras*, seu tantillò post *in clibanum mittitur* ad succendendum furnum, *Deus sic vestit*, tanto scilicet pulchritudinis excessu: *quantò magis vos*, propter quos et flores, et mundum universum condidit, et quos in æternum secum vivere voluit, *modicæ fidei?* Quà increpatione radicem anxiæ illius sollicitudinis succidit: diffidentia enim ista ex parva fide oriri solet. Nam ut magna fiducia in Deum ex magna fide de providentia ipsius nascitur, ita diffidentia ex ejus defectu.

31 *Nolite ergo* talium scilicet exemplorum cogitatione de Divina providentia muniti ac stabiles, *soliciti esse,* æstibus cogitationum discruciari et jactari, ita ut penuriæ timor in hujusmodi anxias cogitationes vos conjiciat, *dicentes*: *Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur?*

32 *Hæc enim omnia gentes*, quæ vel Deum rebus humanis præesse non credunt, ideoque inquit Chrysost. meritò timent et desperant, quasi neminem habeant gubernantem, vel sublimiora ejus bona nesciunt, *inquirunt*: id est, hoc unum agunt, ut tamquam proprià industrià toto animi studio et sollicitudine res isti vitæ necessarias parent. Hæc est ratio ab iis petita, a quorum moribus Dei filios convenit esse dissimillimos. *Scit enim* tamquam omniscius *pater vester,* ideoque benignissimus, et affectu in filios suos tenerrimo, *cœlestis,* ideoque ad præstandum potentissimus. Tangit enim breviter tres

causas, ex quarum defectu oriri solet diffidentia de aliquo, scientiam, voluntatem, et potestatem. *Quia his omnibus,* cibo, vestitu, potu, habitatione, et similibus *indigetis*, ut ita juxta Chrysost. quam ob causam plerique maxime anxii esse solent, vos è contrario magis sollicitudinem abjiciatis, quia nempe necessaria sunt, seu quia his indigetis » Jans. Ipr.

33 *Quærite ergo primum regnum Dei, et justitiam ejus: et hæc omnia adjicientur vobis.*

« Pro particula illativa *ergo*, quæ in latino est, græce, nulla lectionis varietate, legitur δὲ, *autem.* Christus igitur anxiæ et inani illi, quam improbat, sollicitudini, providam maximeque necessariam *regni Dei* et *justitiæ ejus* sollicitudinem opponit.

*Quærite primum*, h. e. ante omnia, maxime et præcipue, et quidem propter se. Non enim universe vetat quærere temporalia, quæ modo (supra v. 11) a Deo postulari jussit; sed illud vult, uti regnum Dei omnibus ceteris rebus præponatur, atque toto corde et propter se quæratur; reliqua vero secundo, et quadam ex parte, et quatenus ad regnum Dei conducunt. Sensus igitur est: In hoc autem præcipue sollicitudinem et curas vestras conferte, ut digni efficiamini beato illo regno, quod Deus vobis præparavit, utque sectemini *justitiam ejus*, illam scilicet vitæ probitatem quam ipse statuit et præscribit, et sine qua regnum Dei obtineri non potest.

*Et hæc omnia adjicientur vobis.* Verbum προστιθέσθαι, quod in græco est, dicitur de eo quod supra mensuram aut justum pondus adjicitur. Respexerit ad morem quo, in rerum pretiosarum emptione, minuta quædam facile adjiciuntur gratis. Iis igitur, qui præcipuam suam intentionem et curam in regnum Dei consequendum dirigunt, Christus ea, quæcumque ad vitæ præsentis sustentationem necessaria sunt, quasi appendicis loco, divina Providentia id procurante, datum iri pollicetur » Liagre.

G. V. D. P.

# Ordo Missæ

SEU

## precum et ceremoniarum Missæ interpretatio

—

*(Sequitur. — Cfr. suprà pag. 295.)*

—

## Pars altera — Mysterii celebratio

Sacerdote et populo per plures virtutum actus et affectus, per varias quoque instructiones ac preces rite præparatis, jam acceditur ad ipsam divini mysterii celebrationem, in qua, uti præmonuimus, tres apte distinguuntur partes seu actus præcipui, ad quos cæteræ omnes orationes et ceremoniæ referuntur: videlicet primò fit sacrificii perficiendi *oblatio;* secundò ipsum sacrificium conficitur per materiæ oblatæ *consecrationem;* tertió integratur sacrificium per sumptionem materiæ consecratæ seu *communionem.*

### Art. I. OBLATIO

18 Præmittitur *Offertorium* quod hodie mera recitatio est alicujus antiphonæ plerumque ex SS. Litteris desumptæ: olim vero complectebatur præter antiphonam versus plures vel etiam integrum psalmum, quæ omnia canebantur a choro, dum fideles offerebant ad locum altari vicinum donaria sua ac præprimis panem et vinum seu materiam sacrificii; unde *Offertorii* nomen est inductum. Ubi verò desierunt oblationes, offertoria abbreviata fuerunt et redacta ad simplicem antiphonam, excepto duntaxat Offertorio Missæ defunctorum, quod etiamnum integre recitatur aut cantatur. Merito tamen adhuc dicitur offertorium, quippe quod sive orationem aliquam, sive laudem aut etiam adhortationes ac docu-

menta circa mysteria aut festa quæ celebrantur exprimat. (1)

19 Est autem cur explicando Offertorio Missæ *de Requie* paululum immoremur, tum quia frequentioris est usus, tum quia difficilioris est intelligentiæ. Difficultas inde oritur quod primo intuitu videtur ibidem oratio fieri ad Deum ut animæ reproborum *de pœnis inferni liberentur* atque animæ purgantes ab eisdem pœnis præserventur (*ne absorbeat eas tartarus*...) Hæc autem dogmati catholico aperte repugnant, docente Ecclesia pœnas inferni esse æternas, cum *in inferno nulla est redemptio;* atque animas purgatorii, cum in gratia Dei ex hoc sæculo seu probationis tempore migrarunt, salutem suam habere in tuto positam. Inter varias hujus difficultatis solvendæ rationes ab AA propositas, duæ præsertim consideratione dignæ habentur. (2)

Alii recurrunt ad sensum quemdam verborum improprium atque omnes locutiones quæ infernum proprie dictum seu locum aut pœnas damnatorum significare videntur, de purgatorio interpretantur, hoc modo: « Dum dicis: *Libera eas de pœnis inferni*, hoc ipso dicis: libera eas igne purgatorii qui idem cum igne infernali est, *a profundo lacu,* a carcere nimirum, sub terra abdito, ubi detentæ expiantur animæ piorum. *Ne absorbeat eas tartarus*, id est, ne eas amplius et diutius profundi illius carceris cavernæ et vincula remorentur, nec inferni pœnæ tanquam fauces quædam belluæ immanis, sævæ ac truculentæ detineant. *Ne cadant in obscurum* vult dicere: ne post hoc sacrificium factum et oblatum permittas adhuc eas in obscuris terræ carceribus cruciari et quasi denuo in purgatorii pœnas incurrere. *Sed signifer sanctus Michaël repræsentet eas in lucem sanctam,* id est: fac ut per hoc sacrificium pœnas debitas exsol-

(1) Cfr. Lebrun *op. cit.* Part. 3, art. 2 sq.

(2) Cfr. Gihr *op. cit.*, T. II, p. 151 sqq. — Jungmann, *De novissimis*, n. 119. — Lambrecht, *De SS^mo Missæ Sacrif.* Part., IV, Cap. II, § 2.

vant in totum, ac proinde eas plene mundatas Michaël sistat in patria cœlesti. Ita explicat Azor, Tom. I, l. X, Cap. XXII, q. 8, eumque alias explicationes afferens sequitur Discatillo, tr. V., disp. II, n. 101 (1) ». Hanc sententiam amplectitur Bened. XIV, (2): et sane orthodoxa est et teneri potest. Ast nimis, ut videtur, a sensu proprio verborum recedit; et ægre quis admittet v. g. *ne absorbeat eas tartarus, ne cadant in obscurum* significare: ne in tenebricoso illo carcere purgatorii eas *diutius retineas.*

Quare magis arridet nobis explicatio aliorum, secundum quam Ecclesia « in illa oratione non considerat statum animarum, in quo de præsenti sunt; sed repræsentat exitum illarum e corpore; et tanquam sisterentur tunc ante tribunal Dei, precatur ut liberentur a pœnis inferni *præservative,* h. e. ne damnentur, sed perducantur in paradisum: et ideo cum primum sit jam factum, ordinatur oratio ad obtinendum secundum atque adeo ad liberationem *a pœnis purgatorii* ». (3) Hæc interpretatio confirmari videtur ex aliis Ecclesiæ pro defunctis precibus: sic in oratione Missæ *in die obitus* rogat Deum « pro anima quam hodie de hoc sæculo migrare jussit, *ut non tradat eam in manus inimici... ut... non pœnas inferni sustineat, sed gaudia æterna possideat* »: hic enim manifesto videtur Ecclesia agoniæ defuncti sese sistere præsentem ac pro salute illius orantem. Similiter in exequiali officio ante absolutionem orat sacerdos: « *Non intres in judicium* cum servo tuo, Domine... Non ergo eum, quæsumus, *tua judicialis sententia premat;...* sed *mereatur evadere judicium ultionis...* »; et tamen oratur pro defuncto *jam judicato.*

Nec deest ratio cur Ecclesia tali modo precandi utatur: sic enim etiam vivis adstantibus et audientibus

---

(1) Gobat *Oper. mor.* Tom. I, Tract. III, n. 174.
(2) *Op. cit.* lib. II, cap. IX, n. 6.
(3) Pasqualigo, *De Sacrif. N. L.*, q. 156, n. 11.

prodest, dum judicii divini memoria ac pœnarum infernalium repræsentatione, eorum animos salutari timore percellit. Apposite Coninck: « Sacerdos non orat proprie ut animæ jam exutæ corpore ac a Deo judicatæ liberentur ab inferno, ac de morte ad vitam transeant (hoc enim vanum esset), sed ut magis commoveat adstantes, per prosopopœiam representat sibi ac populo illas animas quasi jamjam egressuras e corpore ac divino judicio repræsentandas, et proponit ob oculos pericula, in quibus in illo articulo versantur, et pro illis quasi in illo statu constitutis Deo supplicat, ut eas liberet; quod nullo modo frustra fit. Nam et multum confert ad concitandos adstantium animos ad pietatem et horrorem divini judicii; et illæ preces etiam apud Deum habent suum effectum, quatenus ex intentione Ecclesiæ et sacerdotum funduntur, ut per eas Deus liberet eas animas a pœnis purgatorii, si iis forte detinentur (1) ».

Ad intelligentiam quarumdam locutionum in dicto offertorio occurrentium animadverte: 1/ denominationes variæ quibus designatur infernus desumuntur ex S. Scriptura, ubi vocatur *profundum laci* seu profundus lacus (Isaïas XIV, 15), *tartarus* (II Petr., II, 4), *caligo* seu obscurum (Jud. 6) vel *caligo tenebrarum* (II Petr. II, 17) [e converso cœlum frequenter repræsentatur nomine *lucis*]. — 2/ *Os leonis* hic significat *os Satanæ* seu diaboli, quem S. Petrus comparat *leoni rugienti* (I Petr. V. 8). — 3/ Archangelus Michaël vocatur *signifer,* utpote qui habetur tanquam dux militiæ cœlestis seu angelorum quibus animas in agonia positas adversus spiritus infernales tuendi, easque in cœlum deferendi munus est demandatum: ideo de S. Michaele cantat Ecclesia: « Archangele Michael, constitui te principem super omnes animas suscipiendas ». Ceterùm in Apocalypsi Joannis, cap. VII, exhibetur idem Archangelus prælium ducens in cœlo cum angelis suis adversus draconem et

(1) *De Sacram. ac censur*, Tom. I, q. LXXXIII, art. 5, n. 262.

angelos ejus. — Tandem 4/ rogatur ut *fidelibus* defunctis obveniat salus æterna (*lux sancta — vita*) juxta promissiones factas Abrahæ (1), qui est *pater credentium*, et *semini ejus*, seu filiis ejus spiritualibus, quos Christus, filius Abrahæ secundum carnem, per gratiam genuit ad vitam supernaturalem. (2)

*
* *

20 Sequitur oblatio panis consecrandi: ideo, juxta rubricam, sacerdos, detecto calice, « patenam accipit, cui hostia imposita est, eam utraque manu ad pectus elatam tenet, oculos attollit, statimque post deprimit dicens: *Suscipe Sancte Pater* etc. ».

Igitur celebrans oculos attollit ad cœlum, ubi Pater est, quem alloquitur, Christo docente nos orare: *Pater noster, qui es in cœlis;* at statim eos deprimit præ sensu humilitatis, cum indignum famulum se profiteri ac pro suis peccatis deprecari intendit.

Juvat hic proponere pium consilium Card. Bona: « Quando patenam cum hostia accipies, pones in ea cor tuum, et omnium circumstantium, omniumque fidelium, ut ea quoque Deo offeras hac intentione, quod sicut panis, quem offers, mox convertetur in corpus Christi, ita cor tuum et omnium fidelium in ipsum Christum per amorem et imitationem transformentur, adeo ut dicere omnes possint: *Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Christus*. Idem repetere poteris in oblatione calicis ». (3)

21 *Suscipe, Sancte Pater*: oblatio fit Deo Patri, ad

---

(1) Gen. XII, 3; XXII, 18.

(2) Alibi etiam Ecclesia adprecatur defunctis ut *in sinum Abrahæ angeli deducant eos*. « Sinus Abrahæ, ait Aug., est locus quietis in quo post mortem recipiebantur et etiamnum recipiuntur omnes imitatores fidei et pietatis Abrahæ: qui ante Christum limbus patrum, post Christum est cœlum, quod est paradisus beatorum. » Lib. IV *De anima et ejus origine*, cap. 16. — Sic Evangelium (Luc. XVI, 22) exhibet Lazarum mendicum *ab angelis portatum in sinum Abrahæ*.

(3) *Tract. asc. de Missa*, cap. V, § 7.

imitationem Christi, qui et ipse sacrificium suiipsius in cruce, quod in altari renovatur, obtulit Patri suo; quem orans Patrem *Sanctum* compellat.

*Hanc immaculatam hostiam* — Sacerdos « in hac oratione hostiam, quæ est super patenam, etsi nondum consecratam, vocat immaculatam. Quod quidem nemo miretur; neque enim ea verba ad panem referenda sed ad corpus Christi, quod futuræ consecrationis vi sub ipsius speciem panis subibit; ita ut ea sit orationis sententia: Suscipe.... hanc immaculatam hostiam, in quam panis hic quamprimum est convertendus ». (1) — « Dicimus ergo immaculatam hostiam per relationem ad terminum substantiæ panis et vini mox subrogandum: neque enim aliter pertinent panis et vinum ad rem immolatam, nisi quia ex Christi institutione in his conficitur sacrificium, et sub eorum speciebus, per verba consecrationis, Christi corpus et sanguis vera et reali transsubstantiatione collocantur (2) ».

*Quam ego indignus famulus tuus offero tibi Deo vivo et vero.* — Meritò hic sacerdos confitetur indignitatem suam recogitando sese in Missa ministrare *Deo vivo et vero*, quem mox vocavit *omnipotentem*, *æternum Deum*. « Pensa, ait Dion. Carthus., *cui offeras*, utpote Deo Patri omnipotenti et æterno, ex cujus bonitatis, dilectionis, pietatis, munificentiæ ac beneficiorum contemplatione debes vehementi dilectione accendi, atque ex consideratione suæ majestatis et æquitatis debes reverentiali timore et omni humiliatione tuiipsius repleri (3) ».

*Pro innumerabilibus peccatis et offensionibus et negligentiis meis.* — Juxta monitum Apostoli (Hebr. VII, 27) sacerdos *prius pro delictis suis hostias offert deinde pro populi:* offert autem pro *peccatis*, quæ distinguuntur in

(1) Bened XIV, *op. cit.*, lib. II, cap. IX, n. 2.
(2) Card. Bona *Rerum Liturg.*, lib. II, Cap. IX, n. 3.
(3) *De sacram. altar.*, art. 16.

offensiones et negligentias, seu culpas commissionis et omissionis; atque has asserit esse *innumerabiles*. « Tu, Christi sacerdos, ait rursus Dionys. Carthus. *op. cit.*, considera temetipsum quis sis h. e. quam defectuosus et fragilis in natura..., quam culpabilis in vita, quam *innumerabilibus* vicibus quotidie peccans, saltem in venialibus, per omissionem et commissionem, per interiorum et exteriorum incustodiam sensuum, per irrefrenationem linguæ, per inexemplaritatem et scandalum, per cogitationes inutiles, per distractiones, levitates, negligentias etiam in divinis, per immoderantias cibi ac potus, per inordinatas circa quæcumque creata affectiones. In his et consimilibus multis adverte te quotidie esse toties culpabilem ac peccantem ut nequeas numerare, nec singula possis attendere, imo exorare indigeas et exclamare ad Dominum: *Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me* ».

*Et pro omnibus circumstantibus*... Sacerdos ad altare legatum agit Ecclesiæ, ideoque non pro seipso tantum orat et offert, sed et pro cuncto populo christiano, pro omnibus membris Ecclesiæ sive militantis in terris, sive patientis in purgatorio: specialem tamen mentionem habet fidelium Missæ assistentium, utpote qui, ut dictum est suprà, speciali titulo inter offerentes sacrificii recensentur hujusque fructuum participes fiunt.

*Ut mihi et illis proficiat ad salutem in vitam æternam.* — Quibus verbis exprimitur sacrificii finis seu fructus a nobis percipiendus, ut nimirum per illud a peccatis purgati salutem et vitam consequamur æternam.

In hujus orationis fine, sacerdos crucem efformat cum patena deponitque hostiam super corporale; qua ceremonia significatur hostiam poni super crucem, ubi Christus Jesus æterno Patri seipsum obtulit, ut nos a peccatis redimeret.

*(Sequetur).*

H. V. D. B.

# Jurisprudence des cours et tribunaux

## Application de l'article 5 de l'arrêté royal du 16 Août 1824.

### Arrêt de la Cour d'appel de Gand, du 23 Décembre 1898.

Nous avons rapporté dans cette Revue une circulaire du Ministre de la Justice, en date du 27 Mars 1896, rappelant aux administrations fabriciennes la prohibition édictée par l'article 5 de l'arrêté royal du 16 Août 1824 (1) et attirant leur attention sur les inconvénients auxquels s'exposent ceux qui se permettent de disposer sans autorisation des objets dont le dit article 5 a pour but d'assurer la conservation. Le principal inconvénient auquel s'exposent les fabriciens ou les ministres du culte qui se rendent coupables de faits de l'espèce, c'est qu'ils peuvent être poursuivis judiciairement par application de la loi du 6 Mars 1818 et être condamnés aux peines édictées par l'article 1er de cette loi. Cf. *Collationes Brugenses*, T. II, p. 350 ss.

Un curé du diocèse de Gand vient d'en faire l'expérience. Il vendit, de son chef et sans autorisation, deux autels conçus en style de la renaissance, ainsi que deux tableaux ornant le retable des dits autels. Prévenu de contravention à l'article 5 de l'arrêté royal du 16 Août 1824, pour avoir, sans le consentement des autorités publiques, aliéné des objets d'art ou monuments historiques placés dans l'église de N., ou d'en avoir disposé ; il fut renvoyé des fins de la

(1) Voici le texte de cet article : « L'on ne pourra également, sans notre consentement, ou celui des autorités publiques que nous trouverons bon de désigner à cet effet, détâcher, emporter ou aliéner des objets d'art, ou monuments historiques placés dans les églises, de quelque nature qu'ils soient, ou en disposer en aucune manière, à moins qu'ils ne soient la propriété de particuliers ou de sociétés particulières ».

poursuite, sans frais, par jugement rendu par le tribunal correctionnel de Gand, en date du 7 Juillet 1898. Sur appel interjeté par le ministère public, la Cour de Gand, faisant droit en matière correctionnelle, rendit un arrêt mettant le jugement dont appel à néant et condamnant le prévenu à une amende de 50 francs et aux frais des deux instances.

La Cour, se fondant sur la généralité des termes de l'article 5 de l'arrêté royal de 1824 (« *Des objets d'art ou monuments historiques placés dans les égleses — De in de kerken geplaetste voorwerpen van kunst of geschiedkundige gedenkstukken* »), sur les motifs qui ont inspiré cet acte de l'autorité, et sur les circonstances historiques dans lesquelles cette mesure a été prise, arrive à cette conclusion de droit « que c'est à tort que l'on voudrait déduire des termes de l'article 5 de l'arrêté royal de 1824, que les administrations d'église pourraient disposer des objets placés dans les églises, à l'exception des objets d'art *d'un mérite réel* et des monuments historiques *d'importance reconnue*;... qu'il faut au contraire reconnaître que les mots « *objets d'art et monuments historiques* » doivent se prendre dans leur sens le plus large et le plus étendu; qu'ils désignent ici tous les objets relevant des beaux arts (l'architecture, la peinture, la sculpture, le dessin, la gravure, etc.) par leur conception, leur composition ou leur exécution, tous objets pouvant sous quelque rapport revêtir un certain caractère historique; que ces mots comprennent également tous les objets datant du temps passé et pouvant, à quelque égard que ce soit, présenter un intérêt historique ou archéologique, à un point de vue soit général, soit particulier ».

*Observation*. Nous ne discuterons pas ici l'interprétation extensive donnée par la Cour de Gand aux termes de l'article 5 de l'arrêté royal du 16 Août 1824.

Nous relèverons cependant un des considérants invoqués par elle à l'effet de prouver que « c'est au *pouvoir central* seul que l'on a voulu réserver le droit d'apprécier le mérite des objets d'art... et de statuer sur leur sort ».

La Cour, s'inspirant de la théorie libérale, qui considère les biens des fabriques comme la propriété de l'État et l'administration du temporel du culte comme

une branche de l'administration générale, un démembrement de l'État, pourvoyant au nom de l'État et concurremment avec lui au service public du culte; décide, conformément à la jurisprudence qu'elle avait déjà antérieurement admise, que les fabriques d'église n'ont que la *direction* ou la simple *administration* des biens dont la gestion leur est confiée. A l'appui de cette prétention, la Cour invoque notamment l'article 76 de la loi du 18 Germinal an X qui a créé les fabriques, l'article 1er du décret du 30 Décembre 1809 qui les a organisées, le préambule de l'arrêté royal du 16 Août 1824, ainsi que les nombreuses circulaires du gouvernement belge relatives à la conservation des objets d'art et d'antiquité placés dans les églises.

Cependant, ces documents ne prouvent aucunement que les fabriques d'église ne sont que de simples administrateurs, gérant, au nom de l'État propriétaire, les biens destinés à l'exercice du culte. L'article 76 de la loi de Germinal et l'article 1er du décret de 1809 n'ont pas la portée restrictive qu'on leur prête (1); et tout ce qu'on peut induire de l'arrêté royal de 1824 ainsi que des circulaires ministérielles relatives à la conservation des objets d'art, c'est que le gouvernement s'arroge un droit de tutelle en vue de la bonne conservation de ces objets (2).

---

(1) Pour s'en convaincre, il suffit de consulter les auteurs qui ont commenté ces actes législatifs.

(2) Le préambule de l'arrêté royal de 1824 porte: « In aenmerking nemende dat eenige kerkbesturen geheel hebben uit het oog verloren dat zij slechts zijn de beheerders der kerkengoederen en dat hunne daden zich niet verder dan tot die van een eenvoudig beheer kunnen uitstrekken ».

A première vue, ces termes paraissent favorables à l'opinion émise par la Cour de Cand. En réalité cependant ils ne contiennent aucune preuve. Nous ferons observer tout d'abord qu'il n'est pas juridique d'argumenter d'un simple préambule d'un arrêté royal pour résoudre l'importante question de la propriété des biens d'église. Telle n'a d'ailleurs pas été l'intention du gouvernement hollandais. L'arrêté royal de 1824 n'a pas pour objet de trancher des questions de propriété ni de détermi-

La théorie libérale est d'ailleurs contredite par l'ensemble de notre législation, par l'enseignement quasi unanime des auteurs, par la jurisprudence administrative et les décisions de nos autres Cours de justice, par la réalité des faits ; et, comme le démontre péremptoirement Moulart dans son traité *Des fabriques d'églises* (8me édit., p. 85 ss.), « la doctrine qui voit dans l'Église elle-même le vrai propriétaire des biens dits de fabrique est la seule qui soit conforme au Concordat, aux lois subséquentes qui en furent l'exécution, au principe constitutionnel de la liberté des cultes, et aux intentions de ceux qui, par leurs libéralités, ont contribué à former le patrimoine ecclésiastique ».

C. V. C.

---

ner la compétence des fabriques d'église en cette matière ; c'est une simple mesure administrative prescrivant l'autorisation préalable du Roi pour certains actes qui intéressent directement la conservation des monuments religieux dans le pays, mesure qui concerne bien plus les administrateurs des biens d'église *(eenige kerkbesturen, de beheerders der kerkengoederen)* que les établissements publics dont ils gèrent le patrimoine. Cette interprétation se trouve absolument confirmée par nombre d'autres arrêtés royaux émanant du même gouvernement hollandais, qui reconnaissent et consacrent formellement, non seulement dans les considérants, mais dans le dispositif, l'existence des biens *écclésiastiques* et le droit de *propriété* des fabriques d'église. Qu'il nous suffise de citer les arrêtés des 17 Août 1817, 9 Mars 1822, 2 Février 1823, 2 Janvier 1824 et 27 Octobre 1825 (Bon, *Législation des paroisses en Belgique*, Bruxelles, 1841, pp. 180, 186, 191, 198 et 204.

Il existe aussi une circulaire du gouvernement belge, en date du 20 Septembre 1885 (*Mémorial administratif*, partie générale, p. 1058), qui enjoint aux Gouverneurs de faire observer aux conseils de fabrique « qu'ils ne possèdent généralement les objets de cette nature qu'*à titre de dépôt* et que c'est à l'État, comme tuteur légal du pays, qu'ils doivent en rendre compte ». Mais une circulaire subséquente, en date du 26 Octobre de la même année, et interprétative de celle du 20 Septembre, déclare que le gouvernement n'avait eu d'autre but que de rappeler les devoirs que les conseils de fabrique ont à remplir à l'égard des objets d'art, sans se préoccuper des questions de propriété qui peuvent s'y rattacher ; et elle reconnait expressément le droit de propriété des fabriques d'église. Ce même droit est également reconnu dans la circulaire du 27 Mars 1896 ci-dessus mentionnée.

# E Sacra Congregatione Rituum

## I

## URBIS ET ORBIS

Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII per Decretum Sacrorum Rituum Congregationis d. d. 27 Junii superioris anni Litanias Sacratissimi Cordis Jesu adprobavit illasque publice recitari vel decantari in Ecclesiis et Oratoriis diœcesium Massilien. et Augustodunen. atque Ordinis Visitationis B. M. V. benigne indulsit (1). Ex eo tempore R^morum^ Sacrorum Antistitum et religiosarum familiarum piarumque consociationum petitiones ita frequentes ad Apostolicam Sedem pervenerunt, ut in omnium votis pateret esse majorem gloriam et laudem ipsius S^smi^ Cordis cum incremento pietatis per invocationes approbatas ubique diffundi, prouti Ss. Nomen Jesu per Litanias proprias, Rituali Romano insertas, in toto orbe catholico a Christifidelibus publica et communi laude celebratur. Accedit etiam quod Sanctissimus Dominus Noster pro devotione qua fervet erga Amantissimum Cor Jesu atque studio remedium afferendi malis quibus magis in dies premimur, eidem Sacratissimo Cordi consecrare intendit mundum universum. Hæc autem consecratio ut solemniore ritu fiat, triduanas preces, prædictis invocationibus adhibitis, propediem indicere decrevit. Eapropter Sanctissimus Dominus Noster ut Litaniæ Sacratissimi Cordis Jesu jam probatæ et indulgentiis tercentum dierum auctæ, ubique terrarum tum privatim tum publice recitari et decantari in posterum valeant, concedere dignatus est. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 2 Aprilis 1899.

C. Episcopus Prænestinus Card. MAZZELLA
S. R. C. *Præfectus.*

L. ✠ S.

Diomedes Panici, *S. R. C. Secretarius.*

---

(1) Cfr. suprà p. 178 sqq.

## II

## VICENTINA

Proposito dubio a R. P. Joscpho Preto Sacerdote Diœceseos Vicentinæ: « Utrum in reditu in Sacristiam, absolutione ad tumulum expleta, in officiis et Missis cum cantu pro uno vel pluribus defunctis die septima, trigesima et anniversaria aut etiam extra has dies celebratis, dicenda sit antiphona: *Si iniquitates* cum psalmo *De profundis* et Oratione *Fidelium Deus?*

S. Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicæ, omnibusque rite perpensis, respondendum censuit: *Affirmative* juxta Rituale Romanum et decreta in una *Congregationis Canonicorum Regularium Lateranensium* ad 7 d. d. 2 Decembris 1684 et in altera *Florentina* d. d. 31 Augusti 1872.

Atque ita rescripsit, die 11 Martii 1899.

L. ✠ S. C. Card. Mazzella *S. R. C. Præf.*
Diomedes Panici *Secretarius.*

**Adnotationes.** Rituale Romanum Tit. VI, cap. 3 *Exequiarum Ordo*, nº 14 post Orationem *Fac quæsumus Domine* et versus *Requiem æternam*, *Requiescat* etc. addit versum *Anima ejus et animæ omnium fidelium* etc. et prosequitur nº 15: « Deinde a sepultura in ecclesiam, vel in sacristiam revertentes, dicant sine cantu Antiphonam: *Si iniquitates,* cum psalmo: *De profundis* etc. *Requiem æternam* etc. », non autem indicat an Oratio post psalmum et antiphonam sit dicenda. Capite autem 5 *De officio faciendo in exequiis absente corpore defuncti* etc., post Orationem *Absolve* dicendam in fine Absolutionis, Rituale præscribit versus *Requiem æternam* et *Requiescat*, non vero docet an versus *Anima ejus*, antiphona *Si iniquitates* et psalmus *De profundis* sint dicenda vel omittenda. Item Missale, *Rit. celebr.* Tit. XIII, nº 4, ubi de absolutione post missam defunctorum facienda, simpliciter habet: « dicto per cantores *Requiescat in pace*

et ℟ *Amen*, præcedente cruce redit (celebrans) cum aliis ad sacristiam ». Inde dubium movebatur inter auctores, utrum post absolutionem corpore non præsente, dicenda essent necne versus *Anima ejus* etc. et in reditu ad sacristiam antiphona *Si iniquitates* cum psalmo *De profundis*, quæ pro exequiis corpore præsente præscribuntur in Rituali, et insuper utrum post psalmum addenda esset Oratio *Fidelium*.

Interrogata sacra Rituum Congregatio, per præsens decretum 11 Martii 1899 affirmativum dat responsum circa recitationem antiphonæ, psalmi et Orationis, nihil autem definit circa versum *Anima ejus;* sed quum responsum suum firmet Rituali necnon decretis 2 Dec. 1684 et 31 Augusti 1872, concludi debet hunc versum simul cum aliis esse recitandum.

Et revera primum ex decretis citatis ad 7 ita habet: « An post absolutionem quæ fit super cadaver in die obitus, vel *super tumulum* in die anniversario, aut super lecticam seu castrum doloris in die Commemorationis omnium Fidelium defunctorum, dicto versiculo *Requiescant in pace* subjungi debeat: *Anima ejus et animæ omnium...* »? Sacra Congr. respondit et declaravit: « Servetur Rituale: at in Commemoratione omnium fidelium defunctorum nihil superaddendum ». In altero autem decreto 31 Aug. 1872 ad dubium: « An in exequiis quæ fiunt pro pluribus, *excepto die Commemorationis* omnium fidelium defunctorum, dicto versiculo *Requiescant* etc. dici debeat: *Animæ eorum et animæ omnium ... requiescant in pace*, quum pluribus in locis alia servetur praxis? S. C. rescribendum censuit: affirmative juxta praxim Urbis ». In utroque ergo decreto citato S. Congregatio præscribit ut, excepto die Commemorationis Omnium Fidelium defunctorum, versus *Anima ejus* vel *Animæ eorum* dicatur in absolutione ad tumulum absente corpore, sicuti ordinatur a Rituali in exequiis præsente corpore.

« An ultra versum *Anima ejus*, ait Cavalieri (tomo III,

cap. 18, decr. 1), subdi debeat Antiphona *Si iniquitates* cum psalmo *De profundis*, uti fit in exequiis præsente corpore, decretum *(anni 1684)* tacet, sed cum absolutioni ad tumulum communem faciat versum *Anima ejus, cujus est veluti sequela quædam prædicta antiphona cum psalmo*, et aliunde deserviat in uberius vale defunctis omnibus, idcirco ego non dubitarem, ejusdem decreti mentem esse, quod eadem antiphona cum psalmo item dici debeat ». Quam sententiam S. Congregatio præsenti decreto 11 Martii 1899 confirmat.

Unde concludendum est, tum versum *Anima ejus* (vel *Animæ eorum*), tum antiphonam *Si iniquitates* cum psalmo *De profundis,* tum orationem *Fidelium* semper recitanda esse, excepto die Commemorationis Omnium Fidelium defunctorum quo juxta decr. 2 Dec. 1684 nihil superaddendum est, et exceptis etiam, ut tradit Cavalieri (l. c., n° 14), propter eamdem rationem, « aliis officiis quæ in suffragium *omnium* defunctorum instituta sunt ». Ratio autem assignari potest, quod, cum illis in casibus pro omnibus in genere officium *integrum* celebratur, superfluum videtur hoc per speciale suffragium omnibus commune concludere.

Cæterum hæc decisio omnino conformis est Missali typico pro defunctis, in quo, post exhibitos diversos ritus Absolutionis, tum præsente, tum absente corpore, ponitur titulus specialis: « *Orationes diversæ pro defunctis in Absolutione super tumulum pro varia temporum opportunitate dicendæ* », (in editione Ratisbonensi anni 1896, p. 42). Jamvero eo loco post varias orationes, quæ dici possunt *absente corpore,* ponitur hæc rubrica: « Et dicto per cantores *Requiescat* (vel *Requiescant*) *in pace* etc., Celebrans dicit *Anima ejus* (vel *Animæ eorum*) etc. Quibus expeditis omnes in sacristiam, cruce præcedente, revertentes, voce submissa, sed intelligibili, celebrans dicit: *Si iniquitates*. inde alternatim cum choro Psalm. *De profundis*. et in fine *Requiem æternam dona eis Domine*. et repetita Antiphona *Si iniquitates* etc. subjun-

git *Kyrie eleison* etc. (sequuntur alii versus)... *Oremus. Fidelium Deus* etc., *Requiem* etc., *Requiescant* etc. (1).

Ex citato textu Missalis typici clare etiam liquet, post psalmum *De profundis* et antiphonam *Si iniquitates*, non tantum Orationem *Fidelium Deus* esse addendam, sed etiam recitandos esse versus *Kyrie, Pater noster*, *A porta inferi* etc., necnon versus *Requiem æternam*, *Requiescant* etc.; et notare oportet istas preces finales, cum « addantur in vale defunctis *omnibus* », ut ait Cavalieri, in numero plurali semper esse dicendas.

In eodem Missali typico, l. c., eadem exceptio ponitur quæ in decretis anni 1684 et anni 1872 exhibetur. Post Orationem enim *Fidelium* assignatam pro die Commemorationis Omnium Fidelium additur: « *Requiem æternam* etc. more solito.....; sed hac die *Animæ eorum* etc., Antiph. et Psalm. *De profundis* omittuntur ex S. C. R. decret. 2 Dec. 1684 et 28 Julii 1832 ».

Ex dictis satis apparet S. Congregationem per sua decreta probare, ritum in terminanda Absolutione (excepta illa quæ fit pro defunctis omnibus in genere) eumdem esse debere, tum præsente, tum absente corpore, et consequenter Orationem *Fidelium* cum suis versibus concomitantibus addendam esse etiam post exequias in reditu a sepultura, quamvis decretum 11 Martii 1899 non agat nisi de Absolutione absente corpore. Cæterum hoc etiam confirmatur a Missali typico pro defunctis. Sub titulo enim: « Ritus absolutionis in exequiis præsente corpore defuncti », in fine p. 40 (edit. 1896) legitur rubrica: « Deinde... revertentes dicant sine cantu antiphonam: *Si iniquitates* cum psalmo *De profundis*, *Requiem æternam ut infra 43* ». Jamvero pagina citata, in qua agitur de Absolutione absente corpore, explicite, ut supra vidimus, post repetitam antiphonam, versus et Oratio ut recitanda inscribuntur.

H. V. D. W.

---

(1) Eadem videri possunt in: *Officium defunctorum et Ordo exequiarum ad usum Diœcesis Brugensis* 1898, p. 83.

# Consultatio

Q. Excommunicatio non incurritur nisi sit cognita. Ut autem censeatur nota, an sufficit quod pœnitens noverit delictum censuræ obnoxium, puta abortum, esse reservatum seu communis confessarii jurisdictioni subductum?

Respondetur: nec sufficit nec requiritur *reservationis* cognitio:

1/ *non sufficit.* Plane diversa enim est notio reservationis a notione censuræ: reservatio potest esse et est absque censura et censura absque reservatione; adeoque cognitio reservationis nequaquam importat cognitionem censuræ. Utique non oportet ut pœnitens accuratam habeat notitiam circa naturam excommunicationis hujusque effectus, in jure statutos, sed requiritur ut saltem confuso modo sciat talis vel talis criminis noxios *extra communionem fidelium constitui.* Talis communiter habetur notitia apud fideles, ex catechismo desumpta, circa clerici percussores.

2/ *nec requiritur;* quod imprimis patet de censuris quarum absolutio nemini reservatur, qualis habetur excommunicatio lata in « negligentes sive culpabiliter omittentes denuntiare infra mensem confessarios sive sacerdotes a quibus sollicitati fuerint ad turpia... ». Cfr. *Coll. Brug.*, tom. IV, p. 85. Quod autem spectat reliquas censuras, sive Episcopo (uti pro abortu) sive Rom. Pont. reservatas, eadem est solutio communiter proposita, juxta S. Alph., VI, n. 580: Si aliquis sciens censuram ignorabat eam esse reservatam, melius dicitur eum a censura imo et ab adnexa reservatione « non excusari, quia is jam consentit in pœnam censuræ, adeoque implicite in ejus reservationem », cum accidens sequatur principale. Cfr. *Coll. Brug.*, tom. IV, p. 24.

A. D. S.

# Collationes Brugenses

## Acta Congregationis Prosynodalis

### habitæ die 16 Maii 1899, in Palatio Episcopali Brugis

Post Missam in honorem Spiritus Sancti celebratam, omnes Amplissimi et Reverendi adm. Domini præsentes in aulam palatii majorem convenerunt, ubi, recitato hymno *Veni Creator,* Ill$^{mus}$ ac Rev$^{mus}$ D$^{nus}$ venerabilem cœtum sequentibus verbis allocutus est:

*Omnis... Pontifex ad offerendum munera et hostias constituitur.* Ad Hebr., VIII, 3.

*Amplissimi Domini ac dilectissimi Cooperatores,*

Cum vos annuum in conventum congregatos rursum intueri atque alloqui licet, qui Nobiscum in partem sollicitudinis pastoralis vocati, præcipua Nos reverentia ac filiali dilectione prosequimini, quique tanto zelo Nobiscum invigilatis clero populoque Nobis commisso, non possumus quin, ab ipso sermonis exordio, gratias ex corde agamus cum vobis omnibus ac singulis, tum præprimis Deo optimo maximo, qui ab ultimo conventu nos omnes servavit incolumes, universisque laboribus nostris amplissime benedixit.

Re quidem vera, vobis efficacissime cooperantibus, in clero viguit in Deum pietas, unio animorum ac vere fraterna charitas, animarum zelus indefessus, bonorumque operum mira effloruit messis. Inde vero, quanta a populo nostro mala aversa fuerunt, quanta populo obvenerunt bona! Ita quidem ut, recogitantibus Nobis nulla quasi occurrerit necessitas in hoc conventu nostro nova condendi statuta, sive abusus reprimendi ac prohibendi, sive nova quædam bona advehendi ac jubendi causa, cum ea quæ vel antiquitus vel recentius statuta sunt tantam bonorum copiam produxerint ac porro continuo producant.

Minime tamen inficiamur ut singulis nostrum, ita Eccle-

siæ nostræ Brugensi viam latam patere, qua ulterius progrediamur atque in dies proficiamus in melius. Quod igitur hunc in finem profectus nostri ac sanctificationis propriæ, simulque efficaciæ ac fœcunditatis totius ministerii nostri, longe præcipuum est, videlicet mysterii eucharistici celebratio, hoc breviter attingere in præsenti concione Nobis propositum est, quo vos, dilectissimi Cooperatores nostri, attentos reddamus atque hortemur ut omni qua valetis opera ac industria, cum in visitandis parochiis vestris, tum in cōnversatione cum clero vobis commisso, omnique demum opportunitate data, in hoc unum longe præcipuum animos fidelium, præprimis vero sacerdotum, magis magisque excitetis, atque invigiletis accurate omnibus quæ spectant, vel a longe, condignam hujus mysterii celebrationem.

Profecto, mysterium eucharisticum centrum est totius religionis et cultus catholici, ratio est omnis ac tota sacerdotii, seu existentiæ nostræ qua sacerdotes sumus; arbor vitæ est ipsa manu Christi plantata in medio paradisi sanctæ Ecclesiæ suæ, fons est inexhaustus, e quo et propria perfectio omnisque nobis sanctitas, et fœcunditas omnis operæ nostræ, et sanctificatio salusque populi nobis commissi quotidie et continuo sunt haurienda.

Præprimis hic respicimus divinum sacrificium, quod offerre sacerdotis proprium est, ita ut sine officio offerendi non intelligatur sacerdos. *Omnis enim Pontifex ad offerendum... constituitur.* Itaque breviter e sacra doctrina recolligamus summam sacrificii novæ legis excellentiam, deinde illud respectu sacerdotis, ut fontem omnium bonorum, postea relate ad populum consideremus.

I

Sacrificium a Christo in cruce oblatum vere summæ perfectionis actum esse præclaris verbis ostendit celeberrimus commentator Angelici Doctoris, Thomas de Vio Card. Cajetanus: « Martyrium Christi, *ait*, qui ad hoc venit in mundum, ut testimonium perhiberet veritati, est actus et secundum suum genus, et ex parte gradus charitatis in subjecto, simpliciter perfectissimus inter omnes actus humanos; et merito sic esse debuit ad hoc ut supremum genus

actuum humanorum, quod est martyrium, haberet suî supremum simpliciter, hoc est, martyrium supremum simpliciter, hoc est, supremum simpliciter inter omnes actus humanos; hoc enim ordo universi expetere videtur (1). »

Re quidem vera, si actum externum consideras, profecto majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis (2), et hoc fecit Christus pro inimicis, ut amicos sibi faceret; si internum, ex charitate processit, quæ suprema virtus est, sed e charitate infinita cordis Jesu erga Patrem, simulque intensione atque extensione maxima erga universum genus humanum.

Præterea, cum actus ille vere summus semel tantum, uno in loco et in medio temporum, poni deberet, decebat tamen ut non omnino transiret, sed alio quodam modo perennis esset: ideo Christus reapse, ante sacrificium suum cruentum, in cœna instituit idem sacrificium incruento modo, in perpetuum et ubique locorum offerendum, in perennem commemorationem et applicationem meritorum cruenti sacrificii, ita ut continuo idem sacrificium, ubi eadem victima idemque principalis offerens seu sacerdos, modo incruento renovaretur, et ipse Christus gloriose regnans in cœlis, tamen in eodem suo corpore glorioso victima sacramentalis maneret in terris, in cibum spiritualem animarum, continuo præsens etiam transacto incruenti sacrificii actu. Ita adimplevit quod prædixerat Malachias propheta: « Ab ortu ... solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum (3). »

Vere admirandum divinæ sapientiæ, divinique amoris mysterium! Vere, cum summi sit summa efficere, Christus Dominus, Deus summus omnino summa in hoc mysterio effecit!

Si jam consideraverimus quadruplicem finem offerendi sacrificii, videbimus rursus quanta sit hujus sacrificii efficacia et perfectio.

---

(1) In 2. 2, q. 124, art. 3, in fine.
(2) Joan., XV, 13.
(3) I, 11.

Sacrificium soli Deo offertur, ut agnoscatur supremum dominium vitæ ac mortis. Atqui, non jam offeruntur fructus terræ, quibus alitur vita humana, neque viventia animalia, homini inservientia, quæ quidem oblationes, repræsentantes vitam humanam, eidem substituantur, ut sic homo Dominum vitæ ac mortis agnoscat; sed, nec victima aliqua mere humana Deo immolatur, quod quidem homini propria auctoritate minime liceret, cum nec propriæ nec alienæ vitæ sit dominus: ast ipse Deus-Homo, natura mediator Deum inter et homines, cum humanæ suæ vitæ absolutus sit dominus, hanc suam vitam, corpus et sanguinem Deo Patri offert, totum genus humanum perfecte repræsentans, caput omnium hominum et Angelorum; imo cum, notante S. Gregorio Magno (1), homo quodammodo sit omnis creatura, aliquid commune habens cum singulis reliquis creaturis, homo Christus Jesus omnem creaturam Deo subjecit; solus ipse Deum condigne adoravit. Quod et nos quotidie cum ipso ex parte operis operati, ut aiunt, condigne facimus, utinam et digne, pro modulo nostro, ex parte operantis!

Deinde, si supremum Dei dominium creatura peccando despexerit atque violaverit, expiando peccato præprimis sacrificium rursus adhibetur. Jamvero, per superbiam et inobedientiam Adami, a qua hisce in terris initium sumpsit peccatum, revera Creatori et supremo Domino illata est injuria, cui continuo novæ ab hominibus adduntur injuriæ; has autem creatura condigne expiare ac reparare valet nulla, sive in cœlo sive in terra, ne omnium quidem creaturarum vitæ sacrificio. Sed, Filius Dei factus homo, Adam novus « qui, cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo, humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis (2), » et sanguine effuso obtulit Deo sacrificium, omnibus peccatis expiandis superabundanter efficax. Et nos quotidie incruento modo idem sacrificium cum ipso summo sacerdote offerimus, ut Deum propitium ac placatum peccatoribus reddamus, et merita prioris sacrificii applicemus.

---

(1) In l. *Moral.* seu *Expos. in l. Job*, l. VI, cap. VIII.
(2) Ad Philip., II, 6-8.

Præterea, quum Deus sit summus benefactor noster, cum in ordine naturæ, tum in ordine gratiæ, quum imo omnia bona nostra ab ipso sint, nemo est qui ipsi utpote summo Deo condignas agere valeat gratias. Ipse Christus hoc præstitit, et nos cum ipso quotidie in sacrosancto sacrificio id valemus.

Tandem, « Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum (1), » et ipse Deus Creator et Dominus noster est, in quo vivimus et movemur et sumus (2), sine quo nihil possumus: quis autem poterit condigne impetrare beneficia ejus? Hoc Christus effecit suo sacrificio, ad omnia demerenda atque impetranda superabundanter efficaci. Et nos quotidie, cum ipso, idem sacrificium renovantes, idem possumus ac valemus!

## II

Si ad nos ipsos sacerdotes nunc respicimus, qui quotidie, aliquando plus semel, hæc tremenda mysteria celebramus, hoc sacrificium sacrosanctum, perfectum, infinitæ dignitatis et efficaciæ offerimus, quid dicemus? Si hæc divina mysteria centrum sunt religionis ac cultus, si sunt ratio integra existentiæ nostræ, qua sacerdotes sumus, sint etiam centrum totius vitæ nostræ, ad quæ omnia nostra, omnis cogitatio atque operatio convergant, a quibus omnia ortum ducant et efficaciam sumant. Sit oblatio sacrificii, ut reapse esse debet, actus princeps diei, ad quem omne studium, lectio, oratio, labor vel præparandum dirigantur, vel peractum in laudem Deo cedant ac gratiarum actionem, e quo cæteræ omnes actiones perfectionem suam hauriant, suamque in aliorum salutem efficaciam. Asserere non veremur sacerdotem, qui quotidie sancte ac perfecte offerre Deo sacrificium conatur, in nulla re deficere, cætera omnia munia sua perfecte obire, saluti suorum efficacissime providere, brevique esse perventurum ad omnimodam sanctitatis perfectionem. Si ea præ hominis infirmitate necessitas est, ut pluribus intentus minor sit ad singula sensus, non dubitamus affirmare quod, si sit

(1) Epist. S. Jac., I, 17.
(2) Act., XVII, 28.

sacerdos huic uni intentus, major erit procul dubio ad singula et omnia perfectius exequenda sensus et gratia.

Ut unum tantum addamus monitum atque consilium, quo prædicta commodius in praxim deducantur, utilissimum erit et ab omnibus sacerdotibus effectu facillimum, vespere ante decubitum quotidie in memoriam revocare nos mane vocandos esse ad sacrificium offerendum, et recordari per aliquot temporis momenta quadruplicis finis sacrificii, cum affectu in hunc similemve modum Deum alloquentes: « Domine Deus, Creator cœli et terræ, cras mane summæ majestati tuæ, ex insigni beneficio tuo, rursus offeram, personam agens dilecti Filii tui, sacrosanctum illud ac perfectum sacrificium, ad recognoscendum supremum dominium tuum in me et omnia creata, ad expianda peccata mea et aliorum, ad gratias tibi agendas pro omnibus beneficiis tuis, ad impetranda omnia bona. Tu ipse præpara, quæso, animam meam. »

Si autem speciatim ad ministerium nostrum, quodvis sit, erga animas Christi sanguine redemptas, attendimus, nonne evidens est, ut nihil nunc dicamus de summa ædificatione quam fidelibus præbet sacerdos devote celebrans, nos ex devotissima celebratione Missæ præprimis haurire omnem gratiam omnemque efficaciam ad convertendos peccatores, ad confirmandos fideles, ad fovenda omnia nobis commissa opera atque instituta, ad fœcundandum universum agrum dominicum? Rursum affirmare ausimus Nobis plane sufficere, si omnes, qui curam animarum quamcumque exercent, quotidie sacrificium Deo cum vera devotione offerre sciamus.

Vos autem, dilectissimi Cooperatores, hortamur atque obsecramus in Domino, ut omni qua potestis opé atque opera, omni occasione, sive visitationis, sive colloquii, sive collationis ecclesiasticæ, sacerdotes vobis commissos ad hanc rem summi momenti attentos reddatis; inquiratis quoque utrum præpositi ecclesiarum invigilent ut omnes sacerdotes in ecclesiis suis cum vera in Deum pietate sacrum peragant, utrum ipsi exemplo præeant, utrum omnem præbeant sacerdotibus opportunitatem præparationis ac gratiarum actionis recollectæ ac devotæ; utrum munditie et ornatu altaris, paramentorum, omniumque rerum sacrificio inservientium reverentiam ac devotionem inspirare conentur. Si quos, sive

in hisce rebus, sive præsertim in celebrando deficere compereretis, illos paterne monete ut sine mora in re tanta se corrigant. In memoriam sæpius revocate et ob oculos ponite sacerdotum vestrorum, necnon aliorum ministrorum qui altari deserviunt, summam curam quam ad minima usque adhibuit sancta Mater Ecclesia in præscribendis cæremoniis, ritibus, actionibus, habitu corporis, inflexione vocis, etc., in litando servandis, quo certe significet Ecclesia in re omnium sanctissima nihil esse minoris momenti aut parvi pendendum.

Adhortamini etiam subditos vobis sacerdotes ut sensum ac significationem precum et cæremoniarum in sacrosancto Missæ sacrificio peragendo observandarum cognoscere atque perspicere satagant, ut et ipsi magis inflammentur in litando et apti sint populum fidelem eadem docere. Quod ut sine difficultate attingere valeant, jam in periodico nostro « Collationes Brugenses » inseruntur, Nobis id summopere probantibus, articulorum series totum ordinem Missæ præclare exponentium ex doctrina Patrum Doctorumque Ecclesiæ, necnon aliorum scriptorum, qui majori cum eruditione ac pietate hujusmodi rem pertractarunt. Hæc si attente perlegere ac sedulo meditari voluerint dilectissimi nostri sacerdotes, procul dubio se potenter adjutos atque efficaciter excitatos sentient ad sanctissima sanctissime peragenda. Quod si ab omnibus fiat, ut quod supra diximus, rursum cum plena persuasione dicamus : hoc solum sufficit.

III

Tandem ad populum nostrum oculos convertamus, cui rursum celebratio mysterii eucharistici sine dubio fons est primarius vitæ ac salutis.

Nonne id quoque significat Ecclesia, quæ de hoc mysterio præcipua condidit præcepta universos fideles respicientia : de auditione Missæ omnibus diebus dominicis festisque principalibus, et de communione paschali ; quæque præcepto multo latius patentia consilia atque hortamenta continua proponit de auditione Missæ etiam quotidiana, de communione pro cujusque conditione frequenti ?

Quod quidem frequentem accessum ad sacram mensam attinet, res nimis evidens est, in eo accessu mensuram

inveniri et quasi barometrum, ut aiunt, vitæ spiritualis in parochia.

Ideo omnes zelosi sacerdotes tanta cura pueros præparant ad primam communionem. Qua de re, Amplissimi Domini ac dilectissimi Cooperatores, sæpius clerum vobis commissum attentum reddite ad statuta ac consilia, quæ ex variis documentis utilissima collegimus in *Libro manuali*, quem in gratiam dilecti cleri nostri nuper edi curavimus.

Ideo rursus tam instanter optimi parochi adolescentes post primam communionem menstruo accessui ad sacram synaxim assuefacere conantur. Ideo præprimis celebrantur in ecclesiis nostris tot et tam variæ solemnitates, certis diebus, aut triduis, aut octavis, aut mensibus; tam sedulo, juxta diœcesana præcepta, traduntur et renovantur missiones, etc.

Quod vero auditionem Missæ spectat, equidem scio, si theologos morales adeamus, præceptum qua tale, in abstracto quasi et seorsim spectatum, non ita strictum ac severum videri, a quo ratio non adeo gravis non excuset. Atvero, si rem in concreto consideraverimus, in præsentibus temporum ac locorum nostrorum adjunctis, nonne verum est auditionem Missæ, in diebus de præcepto, non solum præcipuum sed et unicum esse exercitium divini cultus multis e populo, quo simul et necessitati, tum medii tum præcepti, orandi satisfaciant, simulque solam opportunitatem audiendi verbum Dei inveniant? Unde et sensus populi nostri, qui rigidior primo intuitu videtur, quatenus eos qui passim præceptum audiendæ Missæ negligunt quasi acatholicos habet, reipsa, omnibus inspectis, non ita longe abest a veritate: in re enim ipsa, qui jam viam ecclesiæ die dominico non inveniunt, omnia munia christiani hominis negligunt, et brevi ignorantia crassa in re religiosa omnique vitio laborare solent.

Quæ quum ita sint, non sine intimo cordis dolore audivimus ab aliquo tempore, in quibusdam civitatibus, certas classes adolescentium ac juvenum facile præceptum audiendi sacrum negligere, quod quidem et negligentiæ parentum et forte etiam pessimarum olim scholarum influxui tribuendum est. Zelosi quidem sacerdotes, in locis in quibus id commode fieri potuit, jam remedium aliquod invenerunt, instituendo

nempe Missam specialem puerorum et adolescentum, cum instructione circa preces ac rudimenta fidei, necnon circa ipsum modum rite et devote assistendi Missæ sacrificio. Quod quidem remedium, ubi adhiberi potest, absque dubio efficacissimum est.

Cæterum, quod ubique et erga omnes fideles præstandum urget, hoc est, ut sæpius fidelem populum doceamus sacrosancti sacrificii naturam et excellentem dignitatem, ejusdem efficaciam et fructus infinitos, necnon præcipuas cæremonias earumque significatum; utque, verbis exemplum addentes, cum omni pietate, modestia et dignitate sacrum coram populo peragamus, et quæ de catechizando et prædicando verbo Dei, sub Missis de præcepto, statuta sunt accurate et stricte servemus.

Ideo vos rursum oro atque obtestor, Amplissimi Domini ac dilectissimi Cooperatores, ut opportune et importune ista omnia clero vobis commisso proponere ac in memoriam revocare non desinatis, ipsosque adhortemini ut sæpius legant et meditentur quæ ex sacrosancta Tridentina Synodo, ex monitis sapientissimis S. Caroli Borromæi, de Missa parochiali, inserenda curavimus in *Libro manuali,* pag. 135 et sq.

Hæc sunt quæ de mysterio eucharistico, ut arbore vitæ tum nobis sacerdotibus, tum populo christiano nobis commisso, vobis breviter proponere utile duximus; confidentes in Domino, omnes ad unum sacerdotes nostros dilectissimos, nostris vestrisque monitis et consiliis in re tanti momenti, cum solita docilitate, cum omni alacritate obtemperaturos, ita ut in tota diœcesi, tum apud sacerdotes in celebrando, tum apud populum in frequentando mysterio eucharistico, sit fervoris renovatio, sitque eo ipso divini favoris ampliatio, divinæque benedictionis ac gratiæ effusio plenissima. Amen.

*
* *

I

Ad obviandum periculo ne, ob domicilii ante celebratas nuptias mutationem, matrimonium invalide contrahatur, Parochis cujusvis loci diœcesis nostræ, in quo duæ pluresve paræciæ sedem habent, concedimus ut ipsi (vel sacerdos ab

cis commissus) assistere valeant matrimonio eorum, quos prævia instructione facta ad proclamationes admiserunt, *etsi postea hi parochiam suam dereliquerint*, nisi forte in diœcesim *alienam* abiverint. Volumus autem hanc nostram licentiam vim habere per tres menses (seu nonaginta dies) ultimæ proclamationis diem (exclusive) subsequentes tantum.

II

Rescripto apostolico, de die 29 Aprilis 1899, ad triennium prorogata est concessio, vi cujus, attenta in diœcesi Brugensi confessariorum inopia, « confessio peracta a Christifidelibus ejusdem diœcesis infra hebdomadam ante aliquam festivitatem, suffragari possit ad Indulgentiam, eidem festivitati adnexam, lucrandam, expletis aliis conditionibus injunctis, et dummodo nullius lethalis culpæ post confessionem commissæ conscii sint (1). »

Præterea, inspecta præfata confessariorum penuria, SS. DD. Leo PP. XIII, per Breve, de die 8 Martii 1899, « omnibus et singulis Christifidelibus diœcesis Brugensis ad biennium indulsit, ut qui singulis hebdomadis vel saltem altera quaque hebdomada sacramentalem confessionem peragere soleant, omnes et singulas eo temporis intervallo concessas indulgentias, tam locales quam personales, pro quibus acquirendis sacramentalis confessio tamquam injuncta conditio requiritur, exceptis tamen indulgentiis in forma Jubilæi, absque actuali sacramentali confessione lucrari libere ac licite possint et valeant, dummodo cætera quæ ad eas consequendas præscripta sunt rite præstiterint. »

III

Vigore Indulti apostolici, de die 15 Januarii 1850, cujus prorogationem ad biennium obtinuit, 16 Februarii 1852, ad quinquennium vero, 11 Martii 1856, Venerabilis Decessor noster, R^vmus^ D^nus^ Joannes-Baptista Malou multas instituit vel denuo erexit Confraternitates SS. Rosarii, institutionis diplomate singulis in casibus concesso. His sodalitatibus

(1) Cfr. *Collationes Brugenses*, tom. I, pp. 635 sq., circa modum interpretandi vocem « Festivitas », quæ in hoc Rescripto occurrit.

haud applicandum censemus articulum III Constitutionis *Ubi primum*, quam « De legibus, juribus ac privilegiis Sodalitatis a SS. Rosario » edidit SS. DD. Leo PP. XIII, die 2 Octobris 1898 (1), quo nempe statuitur ut « quæ anteacto tempore Sodalitates sacratissimi Rosarii ad hanc usque diem sine Magistri generalis [Ordinis Prædicatorum] patentibus litteris institutæ sunt, litteras hujusmodi intra anni spatium expediendas curent. »

Ut tamen omne dubium tollatur, inde a mense Martio sententiam expetivimus S. Sedis, cujus responsum cum clero communicabimus.

IV

Hisce adnectimus epistolam, una cum binis opellis, jussu nostro ad omnes diœcesis Parochos directam, de curandis scilicet operariis, Galliam, laboris exercendi causa, petentibus; quod quidem summæ utilitatis opus, temporibus nostris maxime accommodatum, denuo et instanter clero nostro commendamus.

Datum Brugis, 24 Maii 1899.

† G. J., Episc. Brugen.

(1) Hanc Constitutionem pontificiam exhibent *Collationes Brugenses*, tom. IV, pp. 1 sq.

# Quæstiones pro Conferentiis

## mensis Augusti-Septembris

—

I

Dijudica agendi rationem Mardochæi: « Cunctique servi regis, qui in foribus palatii versabantur, flectebant genua, et adorabant Aman: sic enim præceperat eis imperator; *solus Mardochæus non flectebat genu, neque adorabat eum* » Esther III, 2.

II

Expone Jo. IX, 2: *Et interrogaverunt eum discipuli ejus: Rabbi, quis peccavit, hic, aut parentes ejus, ut cæcus nasceretur? 3 Respondit Jesus: Neque hic peccavit, neque parentes ejus: sed ut manifestentur opera Dei in illo.*

III

Demonstra in Verbo incarnato esse unicam personam et duas naturas, divinam scilicet et humanam, inconfusas et integras.

IV

An, quænam et quare, præter potestatem Ordinis, requiritur *potestas jurisdictionis* penes ministrum sacramenti Pœnitentiæ?

V

Attentis variis juris communis simul et diœcesani dispositionibus, *ubinam* et *quosnam* pœnitentes *sæculares*, non habentes peccata reservata et extra periculum mortis versantes, *valide* absolvit confessarius non regularis in diœcesi Brugensi admissus?

VI

Quænam in Const. *Officiorum ac munerum* edicuntur de scriptis obscenis vel bonis moribus adversis? Paucis explica.

# Responsa

## ad quæstiones in Conferentiis mensis Maii propositas

—

I

Q. Explana Jo. III, 17: *Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.* Versiculum hunc compone cum Jo. V, 22, 27, necnon cum Jo. IX, 39.

R. *Non enim.* Confirmat Christus his verbis, quod modo dixerat v. 16: « *Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret: ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam* »

*misit* « Duo in missione proprie dicta concurrunt: alterum, sempiterna processio personæ, quæ mittitur; alterum, externa aliqua efficientia... Sic mitti à Patre Filium, est gigni naturam hominis assumpturum, et suo tempore assumentem » Petavius, *de Trinit. l. VIII, c. 1.*

*Deus* Pater *Filium suum* unigenitum carne indutum *in mundum, ut judicet,* ut condemnet, promeritis pœnis afficiat ac perdat *mundum. Judicare* hoc loco pro *condemnare* positum est. Opponuntur enim hæc duo inter se verba, *judicare* et *salvare.*

*Sed ut salvetur*, ut non pereat, sed habeat vitam æternam « ut dimissis peccatis, non eripiatur tantùm promeritis suppliciis, verumtamen æterna animi corporisque salute beatus efficiatur; non liberetur tantùm à morte æterna, sed et vitam consequatur æternam » Luc. Brug.

*mundus*, sc. qua parte velit in Filium ipsius credere (omnis, qui credit in eum), *per ipsum*, per incarnationis mortisque ipsius meritum.

Appositè Toletus: « Insinuat Evangelista mundum

justè damnari, justamque in eum sententiam ferri potuisse: quod si Deus ad judicandum mundum misisset filium, jam non *ex dilectione* erga mundum, sed *ex justitia* dedisse dictum fuisset, quam contra eum justè decrevisset: sicque mundus periisset propter sua peccata, sine quibus nemo tunc inveniebatur. Verum non sic factum est: non enim misit filium ad ferendam damnationis sententiam, nec ad damnandum, sed ad salvandum... Venit ergo filius Dei in mundum, non ut judex, sed ut salvator. » Eodem sensu Christus VIII, 15: *Ego*, ait, *non judico quemquam.*

Ex hoc loco colligitur Christum, quantum in se fuit, pro omnibus esse mortuum, Deumque voluntate antecedente ac seria velle omnes salvare, adeoque per ipsos stare homines, quo minus omnes salventur. « Quantùm in medico est, inquit August. tr. 12, sanare venit ægrotum. Ipse se interimit, qui præcepta medici observare non vult. Venit salvator ad mundum. Quare salvator dictus est mundi, nisi ut salvet mundum, non ut judicet mundum? Salvari non vis ab ipso, ex te ipso judicaberis. »

Manifestum est hic agi de primo adventu Christi, ac de scopo Dei immediato et antecedente prævisionem incredulitatis et malitiæ hominum, necnon de judicio *condemnationis*. Capite verò V, 22, 27 « *Neque enim Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio... Et potestatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis est* » judicium *generaliter* sumitur, quo et mali damnantur, et boni probantur, nimirum in ultimo die, quando Christus ut judex visibiliter apparebit, et vivos et mortuos judicabit secundum opera eorum seu secundum quod gratia salutis omnibus oblata singuli in hac vita usi fuerint. « Pater autem, ait Maldonat., dicitur neminem judicare, non quòd reverà non judicet: quicquid enim una persona facit extra se ipsam, ut Theologi definiunt, omnes simul personæ faciunt: sed quia non judicat sumpta persona judicis, quæ ab hominibus,

quos judicat, videatur, sententiam verbis proferat, denique externo ritu, formâque judiciali non judicat, dicitur neminem judicare. Filius autem hoc sensu solus judicat, quia solus homo est, qualem eum, qui homines judicet, esse convenit. » Porrò, ut notat Luc. Brug., judicabit Christus « etiam ut Deus, tamquam præcipuus judicii auctor, unus cum Patre et Spiritu sancto. Hoc tamen discrimine, quod Pater et Spiritus sanctus judicabunt per humanam Christi naturam tamquam per instrumentum à se separatum, ipse autem Dei Filius per humanam naturam suam tamquam per instrumentum in unitate personæ sibi conjunctum » et secundum hoc rectè solus Filius dicitur per seipsum visibiliter judicaturus.

Capite vero IX, 39: « *Dixit Jesus: In judicium ego in hunc mundum veni: ut qui non vident, videant, et qui vident cæci fiant* » agitur quidem de primo adventu Christi, sed sermo non est de ferenda generatim sententia tàm approbationis quàm reprobationis, neque de ferenda sententia condemnatoria, sed de judicio *discretionis* faciendæ in hac vita, non antecedenter, sed consequenter ad hominum cum gratia oblata cooperationem. Notetur enim græcè haberi εἰς κρίμα, i. e. in judicium *discretionis*. « Quando *judicium* sonat *condemnatio*, ait Corluy, Joannes ponit κρίσις. » Præterea, ut scitè notat Liagre in h. l. « Locus iste magnam habet similitudinem cum illo Simeonis effato (Luc. II, 34): *Ecce positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum in Israël;* et ad hujus sensum est redigendus. Christus igitur *in judicium*, εἰς κρίμα, h. e. ad *dijudicandum et discrimen faciendum* inter homines, dicitur *venisse* non ex proposito sed *ab eventu*. Christus enim in hunc mundum venit ut *lux mundi* esset, hominesque universos, quantum in se erat, veritatis cognitione illuminaret et per fidem ad salutem adduceret. (Cf. Jo. I, 9; III, 19; VIII, 12) Et illi quidem omnes qui, admonente et adhortante Jesu, spiritualis suæ cæcitatis conscii effecti

*(qui non vident),* sese ab illo edoceri sinebant, *mox videbant*, fidem et scientiam salutis per illum consecuti. Qui verò *videbant,* puta qui sapientes ac rerum divinarum prudentes satis se æstimabant, ut nullo ampliùs lumine indigerent, Christum audire seque ab illo edoceri dedignabantur. Quare, tanta et maxime necessaria gratia, sibi divinitus oblata, sponte abusi, non solum in cæcitate sua perstiterunt, sed etiam, justa Dei vindicta, in cæcam ac pene inextricabilem mentis caliginem inciderunt. Cujusmodi cæcitatis *causa*, ut patet, Christus minimè exstitit, sed *occasio* dumtaxat, eaque non data sed accepta. Deus porro hunc divinæ legationis Christi exitum ab æterno præscivit; et quia nihilominus Christum misit in mundum, ad hujus salutem procurandam, idcirco is dicitur *venisse ut qui vident cæci fiant:* non quod hanc cæcitatem, perinde ac multorum illustrationem, *intenderit*; sed quod illam, certo secuturam, in justam vindictam *permittere decrevit.* » His planè similia habet Toletus, *in h. l.*

G. V. D. P.

II

Q. *Paucis ostende ex libris Esdræ et Nehemiæ infirmari potius quam confirmari sententiam autumantium Pentateuchum mosaïcum ab Esdra aut Nehemia mutatum, adauctum completumque fuisse.*

R. 1. In iis libris nullibi asseritur aut innuitur Esdram aut Nehemiam Pentateuchum mosaïcum mutasse, adauxisse et complevisse.

2. Præter ea quæ in laudatis libris ab Esdra et Nehemia gesta et statuta, vel juxta præceptum Davidis et Salomonis acta referuntur (Esdr. III, 10; Nehem. XII, 24, 44), frequens ibidem occurrit sermo de *Lege* seu de *Lege Dei* sive violata sive observata, sive publice lecta, explicata aut instaurata. Atqui nomine *Legis* seu *Legis*

*Dei* intelligendam esse Legem ministerio *Moysis* latam atque conscriptam constat non solum ex usu loquendi biblico, verum etiam ex variis librorum Esdræ et Nehemiæ locis, ubi eadem *Lex* seu *Lex Dei* expresse tribuitur Moysi. Cf. Esdr. III, 2; VI, 18; VII, 6; Nehem. I, 7, 8; VIII, 2, 14; IX, 14; X, 29; XIII, 1. Confer speciatim ea quæ scripsimus (*Collat. Brug.* t. III, pp. 389-392) circa publicam Legis lectionem Fœderisque renovationem, ex quibus manifestum est Esdram et Nehemiam non novam legem condidisse atque ceu mosaïcam populo imposuisse, sed antiquam tantum legem instaurasse.

Verum quidem est legem Exod. XXXIV, 11, 16 ac Deut. VII, 1-3 vetantem nuptias Judæorum cum Chananæis, apud Esdr. IX, 1, 2 ac Nehem. XIII, 1-3 propter paritatem rationis extendi ad nuptias Judæorum cum Ammonitis, Moabitis et Ægyptiis. Sed hæc legis applicatio et extensio nequaquam ab Esdra aut Nehemia primùm proposita ac *Pentateucho inserta*, verùm à Principibus populi supposita atque agnita sistitur.

Pariter quod legitur Nehem. X, 32, 33, ubi tertia pars sicli (loco dimidii sicli, Exod. XXX, 13) per annum solvenda statuitur, hoc nullibi deprehenditur *in Pentateucho insertum*, sed à populo proponitur tanquam benigna legis antiquæ applicatio et interpretatio. « Censent quidam, ait Calmet, tertiam hanc sicli partem, quam sibi populus indicit templo solvendam, datam fuisse præcepto sanctionis Mosaicæ præcipientis, ut Israëlitarum singuli, qui censi fuerint ab anno ætatis vigesimo ac deinceps, hemisiclum Sanctuario solvant. Cum autem restitutus è captivitate populus tenuiori esset censu, quàm ut hemisiclo in capita solvendo par esset, vectigal hoc ad tertiam sicli partem redigere visum fuisse aiunt. Deinde verò hemisiclus rediit, cujus non obscurum exemplum in Evangelio (Matth. XVII, 23) exhibetur ».

G. V. D. P.

## III

Q. *Expone qua in re consistat essentia Justificationis.*

R. Quamquam verbum *justificare* diversa (1) in divinis litteris adhibetur significatione, hanc in præsenti consideramus qua justificare dicit: *facere aliquem justum collatione justitiæ inhærentis.*

Cum autem rursus nomen justitiæ diversis acceptionibus accipiatur (2), in præsenti assumitur justitia « prout importat rectitudinem quamdam ordinis in ipsa interiori dispositione hominis, prout scilicet supremum hominis subditur Deo, et inferiores vires animæ subduntur supremæ, scilicet, rationi ». (S. Thom. 1-2$^{te}$, q. CXIII, a. 1.)

Igitur justitia est habitualis quidam modus se habendi quo homo fit simpliciter rectus seu justus coram Deo. Hoc importat *formalis* significatio nominis justitiæ prout in præsenti usurpatur; sed oportet ulterius investigare quænam sit *materialis* hujus vocis significatio seu *qua in re* verificetur in præsenti formalis ratio nominis, (3) h. e. quomodo obtineatur subjectio animæ Deo, facultatum inferiorum rationi, corporis animæ.

---

(1) In divinis litteris justificare significat vel approbare seu agnoscere alicujus prærogativas, Luc. VII, 35; vel jactare justitiam, ibid. X, 29; vel declarare justum declaratione judiciali et forensi sive divina, Matth. XII, 37 (quæ significatio protestantibus maxime placet in præsenti controversia) sive humana, Prov. XVII, 15; vel facere justum collatione justitiæ inhærentis aut hujus augmenti, I Cor. VI, 11; Apoc. XXII, 11. Cf. Hurter, *Theol. dogm. Comp.* T. III, n. 180; Mazzella, *De Gratia,* n. 878.

(2) Cf. Hurter, op. cit, l. cit. n. 178; Mazzella, op. cit. n. 881 et seq.; Ill. ac Rev. Waffelaert, *De Justitia,* n 1 et seq.

(3) « Sciendum quod aliquid significat dupliciter: uno modo formaliter, et alio modo materialiter. Formaliter quidem significatur per nomen id ad quod significandum nomen est principaliter impositum, quod est ratio nominis, sicut hoc nomen homo significat aliquid compositum ex corpore et anima rationali. Materialiter vero significatur per nomen id in quo talis ratio salvatur; sicut hoc nomen homo significat aliquid habens cor et cerebrum et hujusmodi partes, sine quibus non potest esse corpus animatum anima rationali. » S. Thom. *de Pot.* q. IX, a. 4. Hæc distinctio plures theologiæ quæstiones elucidat.

Jamvero in præsenti Providentiæ ordine, quum homo elevatus sit ad finem ultimum supernaturalem, nempe ad intuitivam Dei visionem, quumque oporteat homo ad hunc finem tendat operatione ipsi fini proportionata, addidit Deus naturalibus agendi principiis perfectiones quasdam naturæ indebitas et entitative supernaturales. « Naturalia autem operationum principia sunt essentia animæ et potentiæ ejus, scilicet intellectus et voluntas.... Infunditur igitur divinitus homini ad peragendas actiones ordinatas in finem vitæ æternæ, primo quidem gratia (sanctificans) per quam habet anima quoddam spirituale esse, et deinde fides, spes, et charitas;..... Et sicut præter ista principia naturalia requiruntur habitus virtutum (moralium) ad perfectionem hominis secundum modum sibi connaturalem, ita ex divina influentia consequitur homo, præter præmissa supernaturalia principia, aliquas virtutes (morales) infusas, quibus perficitur ad operationes ordinandas in finem vitæ æternæ. » S. Thom. *De Virt. in comm.* q. I, a. 10. (Cf. *Collat. Brug.* T. III, p. 561 et seq. ubi integer textus refertur.) His habitualibus donis instructus constituitur homo habitualiter justus coram Deo: essentia enim animæ per gratiam sanctificantem fit consors divinæ naturæ, intellectus, voluntas, et vires inferiores Deo subduntur per infusas virtutes. « Virtutes enim nihil aliud sunt quam perfectiones quædam quibus ratio ordinatur in Deum et inferiores vires disponuntur secundum regulam rationis. » S. Thom. I, q. XCV, a. 4. His supernaturalibus agendi principiis adjunguntur dona Spiritus sancti. (1) (Cf. S. Thom. 1-2$^{ae}$ q. LXVIII et seq.)

---

(1) Addiderat quidem Deus Adamo et aliud donum, nempe præternaturale, quod strictiori sensu donum *integritatis* vocatur. (Cf. *Collat. Brug.* T. I, p. 275). Hoc dono appetitus sensibilis ita disponebatur ut nunquam præter vel contra rationis imperium in actum transire posset. Hoc donum removebat magnum impedimentum ad exercitium virtutum, utpote removens inordinationem concupiscentiæ: illud tamen donum non

Homo ergo formaliter et essentialiter justus constituitur per gratiam sanctificantem, quippe quæ se habet ad virtutes infusas sicut natura ad ipsius potentias operativas. Gratia enim sanctificans est « habitudo quædam quæ præsupponitur virtutibus infusis, sicut earum principium et radix. » S. Thom. 1-2ae, q. CX, a. 3, ad 3.

*Justificatio* dupliciter assumi potest, vel *active*, vel *passive*. Justificatio active accepta est actio qua Deus (1) facit hominem justum; passive vero est ipsa adeptio justitiæ.

Præterea justificatio passive accepta in duplici hypothesi considerari potest: fieri potest ut aliquis simpliciter carens justitia illam acquirat: hæc est justificatio *simpliciter dicta*. Tali modo justificati sunt angeli, primi nostri parentes, et B. M. Virgo in sua immaculata conceptione. Fieri etiam potest ut quis a statu injustitiæ transferatur in statum justitiæ: hæc est justificatio *impii*. Cf. S. Thom. 1-2ae, q. CXIII, a. 1.

Homo porro constituitur impius per peccatum mortale habituale (2) quod formaliter dicit « permanentem actus peccaminosi reitatem qua constituitur homo in statu aversionis a Deo ultimo fine » (Billot, *de Natura et Ratione Peccati personalis*, Thes. IV). Unde justificatio impii semper importat remissionem peccati vel peccatorum. Attamen sola remissio peccatorum formaliter

---

ingreditur ipsum ordinem justitiæ supernaturalis, nec formaliter ordinat hominem in Deum. Unde ablatio illius doni non destruit ipsam justitiam proprie dictam.

« Manere autem in baptizatis concupiscentiam vel fomitem, hæc sancta Synodus fatetur et sentit: quæ cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, sed viriliter per Jesu Christi gratiam repugnantibus non valet: quinimmo qui ligitime certaverit, coronabitur. » Conc. Trid. Sess. V, c. 5, apud Denzinger *Enchir*, n. 674.

(1) Dicitur *Deus:* nam quum justitia essentialiter in gratia sanctificante consistat, patet solum Deum esse posse causam efficientem principalem infusionis justitiæ.

(2) Hoc valet tum de peccato originali, tum de peccato personali.

considerata, nempe ipsa ablatio reatus culpæ non est justificatio formaliter accepta: hæc enim est ipsa adeptio justitiæ quæ essentialiter verificatur in gratia sanctificante.

Si in ipsa mutatione qua impius a statu injustitiæ tranfertur ad statum justitiæ, comparantur ad invicem tum remissio peccatorum tum acquisitio gratiæ, dicendum est illam esse formaliter abolitionem termini a quo, hanc vero esse formaliter terminum ad quem terminatur transmutatio. (1) (Cf. Sylvius, Comm. in 1-2$^{æ}$ q. CXIII, a. 1). Etenim per remissionem peccatorum cessat formaliter aversio hominis a Deo seu desinit homo esse impius, et per adeptionem gratiæ homo fit formaliter ad Deum conversus, seu justus.

Unde ut dicta uno verbo recolamus, quæstioni propositæ respondendum est: in præsenti Providentiæ ordine, justitia consistit essentialiter in gratia sanctificante, justificatio (passive) *simpliciter* dicta est adeptio gratiæ sanctificantis; justificatio (passive) *impii* formaliter et in suo termino spectata est etiam adeptio gratiæ sanctificantis; justificatio (active) est actio Dei infundentis gratiam sanctificantem.

J. V. D. M.

IV

Q. *Expone notionem necessitatis medii et necessitatis præcepti.*

R. 1/ Aliquid necessarium est *necessitate medii* ad aliquem finem, puta salutem, quotiescumque requiritur

(1) Materialiter spectatæ idem sunt et remissio peccatorum et gratiæ adeptio: « eodem enim actu Deus et largitur gratiam et remittit culpam. » S. Thom. 1-2$^{æ}$, q. CXIII, a. 6, ad 2. Præterea quum in præsenti ordine naturæ elevatæ peccatum habituale significatione materiali dicat « privationem gratiæ sanctificantis prout dependentem ab actu qui præcessit, et imputabiliter adhuc in esse perseverat », (Billot, l. c.) evidens est nullam dari remissionem peccatorum quin sit acquisitio gratiæ.

*quia est medium:* aliis verbis quando ad salutem a/ conducit *positive*, per modum *causæ* formalis, efficientis vel disponentis, et b/ *tanquam positive conducens requiritur.*

II/ Est autem necessarium *necessitate præcepti,* quando requiritur *quia præcipitur*, seu quando eatenus requiritur quatenus per ejus omissionem lex violaretur et sic obex poneretur ad salutis consecutionem.

Ex quibus sponte consequitur:

1°/ omissione rei necessariæ necessitate medii, *sive culpabiliter omittatur sive inculpabiliter*, finem impediri, quia deficit *medium* ad finem *necessarium;* dum contrà omissio *inculpabilis* rei necessariæ necessitate præcepti non reddit impossibilem salutis adeptionem, siquidem lex violatur absque culpa nec adeo obex ad salutem ponitur.

2° necessaria necessitate medii ad salutem simul esse necessaria necessitate præcepti, quia salus omnibus est in præcepto, et qui vult finem velle debet et necessaria media; ideo nempe præcipiuntur quia sunt necessaria, cum necessaria necessitate præcepti ideo sint necessaria quia præcipiuntur.

Ita gratia sanctificans, supposita elevatione ad ordinem supernaturalem, necessaria est ad salutem *necessitate medii,* quia est *medium positive conducens* ad salutem, et *quia tale requiritur*, cum sit unica via ad salutem ducens.

E contrario auditio Missæ die dominica est necessaria *necessitate* dumtaxat *præcepti,* eò quod non requiritur ad salutem nisi *quia præcipitur*, quatenus Missam voluntarie negligens legem transgreditur et sic per peccatum obstaculum ponit ad salutem consequendam.

Conducit quidem positive ad salutem sicut omne opus salutare; sed *qua tale non requiritur* ad finem, cum citra præceptum salus possit obtineri absque assistentia Missæ.

Porro *diversimodè* aliquid potest esse ad salutem necessarium necessitate *medii;* nimirum

a/ potest esse necessarium vel ex natura rei vel ex mera positiva ordinatione Dei: *ex natura rei*, quando nempe habitudo medii necessarii ad finem oritur ex ipsis essentiis rerum, sive absolute et ante omnem hypothesim, puta agnitio Dei ut finis; sive saltem connaturaliter, in supposito conditi ordinis supernaturalis, v. gr. gratia sanctificans; *ex positiva* autem *ordinatione divina*, quando Deus illud instituit in ratione medii ad salutem requisiti. Ita sacramentum Baptismatis relate ad justificationem et consequenter ad salutem.

b/ necessarium est vel supplebiliter vel insupplebiliter: *insupplebiliter,* quando illud medium *in se et actu* est adhibendum; *supplebiliter* vero, quando in ejus defectu ad salutem potest perveniri per aliud medium subsidiarium, primarium formaliter supplens et dependens ab ipso. Quo pacto intelliges gratiam sanctificantem esse insupplebiliter necessariam, sacramentum vero Baptismatis supplebiliter, cum a sacramento impeditus possit justificari et salvus fieri per martyrium vel contritionem perfectam votum sacramenti includentia. Cfr. Ill. ac Rever^mum^ Waffelaert, *Annotationes in tract. de Virtut. theolog.*, ad n. 158.

A. D. S.

V

Q. *Ex verbis Institutionis, apud Joan. XX, 22 et 23, ostende sacramentum Pœnitentiæ esse ad salutem necessarium, necessitate medii in re vel in voto, pro omnibus baptizatis graviter lapsis.*

R. Qua ratione aliquid est necessarium ad consequendam gratiam sanctificantem, eadem ratione necessarium est ad salutem, ita ut ad nostrum intentum sufficiat ostendere sacramentum Pœnitentiæ esse ad gratiam necessarium necessitate medii saltem in voto omnibus baptizatis graviter lapsis.

Jamvero A/ dicta *necessitas medii* haud obscure eruitur

ex citatis verbis Institutionis; nimirum nobis exhibetur sacramentalis absolutio

1°/ tanquam *medium positive conducens* ad gratiæ infusionem in animam peccatoris. Revera a Christo Domino reponitur in potestate sacerdotis ut absolutione sua efficaciter remittat peccatum: « Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis ». Remissio autem peccati mortalis non fit nisi per infusionem gratiæ sanctificantis, cum peccatum habituale præcise consistat in privatione gratiæ, in quantum dependet ab actuali aversione a Deo et gratiæ rejectione quoad reatum perseverante.

2°/ tanquam medium *unicum et necessarium*, sine quo peccator gratiam consequi nequit; a sacerdote enim ejusque absolutione concessa vel negata non tantum pendet peccati remissio sed et retentio peccati, ita ut penes confessarium sit peccatum retinere: « quorum retinueritis peccata, retenta sunt ». Non possent autem positive et efficaciter dici *retineri* peccata, si aliud daretur medium remissionis *ab absolutione sacramentali independens*.

Vis nempe argumenti est in hac altera parte commatis Joannei: « Quorum retinueritis peccata, *retenta sunt* »; nimirum posset sustineri coexistentia alterius medii distincti, si Christus solùm dixisset: « Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis », vel etiam *negativo modo* addidisset: « Quorum non remiseritis peccata, non remittuntur eis »; sed penitus excluditur hujusmodi medium per formulam historicam in qua potestas fit peccata *positive retinendi*, seu positivo vinculo illa vinciendi.

Est ergo sacramentum Pœnitentiæ necessarium *necessitate medii* ad gratiæ recuperationem et consequenter ad salutem.

At vero B/ præfata necessitas *supplebilis* est: Aliis verbis sacramentum quidem est medium unicum reconciliandi peccatorem baptizatum, verùm non absolutè et insupplebiliter: unicum est hoc sensu quod nullum aliud

præstò sit medium quod illi possit præferri vel quod ab ipso sit independens, quin tamen excludatur aliud medium in defectu sacramenti subsidiarie adhibendum ipsumque sacramentum formaliter supplens et dependens ab illo.

Revera a/ *datur aliud medium*, cum aliunde constet contritionem perfectam esse ultimam dispositionem ad justificationem ex opere operantis, uti alibi explicatur; et quidem b/ medium *defectui sacramenti supplens* et *dependens ab eo;* quatenus *in primis* non datur optio inter sacramentum et contritionem perfectam, cum hæc non valeat nec proficiat ad justificationem nisi in quantum deficit copia sacramentalis absolutionis; *insuper* quatenus non justificat contritio, nec esse potest, nisi prout ordinatur ad claves Ecclesiæ (1), seu formaliter in quantum in se includit *votum sacramenti* suscipiendi postea, copia facta (2). Unde dicit Conc. Trident., SS. XIV, cap. 4° « reconciliationem ipsi contritioni *sine sacramenti voto* non esse adscribendam » (3).

Hoc modo salvantur jura contritionis perfectæ et necessitatis medii sacramenti Pœnitentiæ, et pariter salvantur verba Institutionis necnon potestas per ea sacerdotibus collata *retinendi* peccata: negata absolu-

---

(1) Cfr. S^t Thom., III P., qu. 86, art. 6, in corpore.

(2) Illud votum sufficit ut sit implicitum, et tale semper habetur ubi vera adest contritio: sacramentum enim Pœnitentiæ graviter lapsis est a Deo præceptum, et amor Dei perfectus necessario includit voluntatem observandi omnia Dei mandata.

(3) Equidem in contritione continetur voluntas audiendi Missam, restituendi etc., sed hæc voluntas diversa prorsus habitudine sese habet ad justificationem ex opere operantis ac voluntas sacramentum suscipiendi. Prior namque voluntas requiritur ut excludatur voluntas peccandi et sic obex removeatur ad gratiam, dum altera *perficit contritionem in ratione medii* ad justificationem. Per dictam enim voluntatem contritio ordinatur ad claves Ecclesiæ, sine qua ordinatione non habet rationem medii ad gratiam, adeo ut Deus non justificet peccatorem propter contritionem per se et præcise spectatam sed et propter votum sacramenti in ipsa implicite inclusum. Cfr. Ill. ac Reverendum Waffelaert, l. c. simul ac Franzelin, *Theses de Ecclesia Christi*, thesi 22.

tione possunt quidem remitti peccata non absoluta per contritionem perfectam, sed non remittuntur sine intrinseca dependentia ab absolutione sacramentali, et verè retinentur quoad obligationem et onus ea rursus in confessione exponendi et absolutionis super ipsis suscipiendæ.

*Nota*. Vindicata necessitas medii non est ex natura rei sed ex positiva institutione Dei.

A. D. S.

VI

Q. *Quales debent esse hostiæ consecrandæ et quoties renovandæ sunt SS. Eucharistiæ particulæ?*

R. Ad I. Hostiæ consecrandæ de necessitate Sacramenti seu ad *valorem* consecrationis debent esse ex vero pane scilicet, 1° ex farina triticea confectæ. Variæ autem species frumenti vere triticei sunt materia valida; de quibusdam granis ut de siligine et spelta disputatur, sunt materia dubia in qua non licet consecrare. (Lahousse, *de Euchar.* 79). « Si panis triticeus admixtus sit granis alterius generis in tanta quantitate ut non maneat panis triticeus non conficitur Sacramentum (*Rub. Miss.*, *de defect.* Tit. III, 1). — 2° Aqua naturali subactæ et igne tostæ, ita ut sint vere panis usualis; panis alio liquore præter aquam, v. g. lacte, butyro, oleo etc. subactus non est materia apta vel saltem valde dubia et semper illicita. Modica tamen permixtio alterius liquoris panem non faceret materiam invalidam. Panis debet esse igne tostus ut habeat rationem veri panis, nihil tamen refert sive coctus sit in furno, sive sub cineribus, sive intra ferrum calidum prout jam ordinarie fit. (Lahousse l. c., 90) — 3° Substantialiter incorruptæ. « Si panis sit corruptus non conficitur Sacramentum » (Rub. l. c. et n. 4). Intelligitur de tali corruptione qua substantia panis in aliam substantiam mutata est.

Ad *liceitatem* autem Consecrationis requiritur insuper ut hostiæ sint: 4° ex pane azymo pro Latinis (Rubr. l. c., 3), fermentato pro Græcis. — 5° ex pane perfecto, id est sine admixtione aliorum granorum vel liquorum præter triticum et aquam et sine initiali corruptione. (Rubr. l. c., 2 et 3). — 6° integræ seu non fractæ (Rubr. *de defect.* X, 19) ac nitidæ seu non maculatæ. — 7° orbiculatæ seu rotundæ; « indubitanter talis esse debet in præsenti hostiarum forma pro Latinis, juxta universalem consuetudinem vim legis habentem ». (Ephem. liturg. 1887, p. 325). Græci autem panibus formæ quadrangularis utuntur. — 8° Hostiæ esse debent majores pro celebrantibus, minores pro communicantibus ex usu Ecclesiæ. « Magnitudo hostiarum nulla lege generali determinatur... Ut norma assignatur ab auctoribus mensura diametri 7 centimetr. pro hostia et 3 centimetr. pro particulis ». (Ill. Vanderstappen, *de administ. Sacram.* q. 165). Eamdem dimensionem pro particulis præscribit decr. VIII Congr. Prosyn. 1874: « Gravi ex fine volumus et mandamus ut ubique minores species sive hostiæ diametrum habeant trium circiter centesimarum partium metri (à peu près trois centimètres). — 9° « Hostiæ tenues esse debent, sed æquo tenuiores ne sint oportet, quales sunt quæ magis chartæ quam panis particulæ similes sunt » (Ill. Vanderstappen, l. c.). — 10° Hostiæ saltem majores impressam habent crucem vel Crucifixi imaginem, juxta constantem Ecclesiæ tum orientalis, tum occidentalis consuetudinem, quam S. C. R. decr. 26 Aprilis 1834 vult servari. — 11° Hostiæ debent esse recens confectæ, juxta Rituale Romanum tit. IV, cap. I, 7: « Hostiæ seu particulæ consecrandæ sint recentes ». Quandonam autem hostiæ dici possint recentes, lege generali non determinatur. S. Congregatio Rituum decreto 16 dec. 1826 *in Gandaven.* respondit quidem rectorem ecclesiæ licite consecrare non posse species a tribus mensibus tempore hyemis vel a sex mensibus in æstate confectas,

et eliminata consuetudine servandam esse rubricam; sed hoc decreto non declaratur intra quemnam terminum recentes dici possint hostiæ consecrandæ. S. Carolus Borromæus in quarto Synodo Mediolanensi statuit ut non ante viginti dies ad summum sint confectæ, sed simul præscribit « ut octavo quoque die renovetur Eucharistia ». Unde juxta ipsum hostiæ non potuerunt asservari ultra 28 dies a sua confectione. Bouvry (1) tradit regulam sequentem: « *Recentes* reputandæ sunt hostiæ, non solum quæ sunt confectæ a paucis diebus, sed etiam a quindecim. Spatium autem 15 dierum videtur, *moraliter et regulariter loquendo*, habendum tanquam ultimus terminus, ita ut pro regula generali non videatur posse sumi spatium 20 dierum. Quæ regula, non tanquam absoluta traditur, sed *moraliter et regulariter loquendo*, in supposito quod hostiæ consecratæ in tabernaculo sint asservandæ per 8 aut 15 dies ». — « Romæ, ait Ill. Vanderstappen l. c., q. 165, ubi *octidua* renovatio præscribitur... pistores... coram Cardinali Urbis Vicario juramentum præstare debent, quod nunquam vendent hostias ante *quindecim* dies confectas ». Huc spectat decretum II Congregationis Prosynodalis 14 Junii 1875: « Sacerdos cui... cura sacras species renovandi incumbit, si vel minime suspicetur, species a pistore missas non esse recentis confectionis, scriptum exigat, in quo pistor datam confectionis testetur. »

Ad II. Quoties renovandæ sunt SS. Eucharistiæ particulæ?

Certe toties renovari debent particulæ, quoties, pro locorum conditione, necessarium est ut omne periculum corruptionis vitetur. Ut autem hoc periculum omnino præcaveatur Ecclesia positive et absolute præcipit ut *frequenter* fiat hæc renovatio: « Parochus... Sanctissimæ Eucharistiæ particulas *frequenter* renovabit ». Ita Rituale l. c., n. 7.

---

(1) Tom. II, part. IV, Sect. I, § 3.

Quoties autem fieri debeat ut *frequens* censeatur, Rituale non exprimit et consequenter ex aliis fontibus determinari debet. Jamvero multa « afferuntur apud auctores testimonia, ex aliis libris liturgicis, ex Apostolicis Constitutionibus, ex SS. Congregatunum decretis, ex Conciliorum et Synodorum statutis, quibus comprobatur constantem esse disciplinam Ecclesiarum renovandi sacras particulas semel in hebdomada, vel saltem ad summum de quindecim in quindecim dies » (Ill. Vanderstappen, l. c., q. 164).

Ita *Cæremoniale Episcoporum* (lib. I, cap. VI, 2) vult ut sacrosancta Eucharistia « saltem *semel in hebdomada* mutetur et renovetur »; et statutum III Concilii Provincialis Mechliniensis anni 1607, prout a S. Congregatione Concilii fuit mutatum et approbatum, disponit « ut *singulis hebdomadibus* aut *circiter*, vel si loci humiditas requirat, etiam sæpius species sacramentales renoventur ». Cfr. etiam decr. S. C. R. 12 Sept. 1884 ad 2. Unde certum est sufficere *generatim et regulariter* loquendo, si omni octiduo fiat renovatio, « secluso scilicet tum particulari præcepto de frequentiori renovatione, tum periculo corruptionis, ratione circumstantiarum v. gr. ex loco humido » (Bouvry, l. c.); et admittendum est « terminum octo dierum esse nornam et universalem disciplinam pro renovatione sacrarum specierum. Ejus observantiam tamen non ita urget S. Sedes ut nunquam ab ea flectat » (Ill. Vanderstappen, l. c.). Ita Clemens VIII Italo-Græcis dedit regulam: « SS. Eucharistiæ sacramentum... singulis octo diebus, aut saltem *quindecim* renovetur ». Quod confirmavit Benedictus XIV bulla *Etsi Pastoralis*. Unde, ut ait Gardellini (in nota ad decr. 16 Dec. 1826 *in Gandaven.*) « si ad quindecim dies protrahatur renovatio, non id reprobandum, culpæque vertendum, quia hoc intra breve tempus haud formido, quod sacræ species corrumpantur. Secus nec Clemens VIII tempus hoc pro Italo-Græcis determinasset ». Addi potest, S. Congregatio-

nem Concilii approbasse terminum quindecim dierum in Concilio Provinciali Pragensi, anni 1860, statutum, et plura alia Concilia nostræ regionis a S. Sede approbata eumdem terminum permittere, ut testatur Periodicum *Mélanges Théologiques* (1), quod inde concludit Episcopos idem spatium quindecim dierum pro renovatione sacrarum specierum præfinire posse. De facto plura statuta hanc regulam admittunt, inter quæ Brugensia cum quadam restrictione : « SS. Eucharistiæ particulæ frequenter... renoventur, singulis vero quindenis (in locis humidis, præsertim pluvioso aut hiemali tempore, sæpius)... a sacerdote consumantur, et in ciborium debite purificatum novæ hostiæ consecratæ, sed quæ recentes sint, nitidæ et integræ, reponantur, nec unquam cum veteribus misceantur ». *(Pastorale, de cultu sanctissimæ Eucharistiæ, II).*

H. V. D. W.

# Evangelia Dominicarum

## Dom. XVIII post Pentec.

*Sanatio paralytici.* Matth. IX, 1-8. Cf. Marc. II, 1-12 ; Luc. V, 18-26.

*
* *

Te dien tijde, 1 in het scheepje gegaan zijnde, voer Jesus over, en kwam in zijne stad. 2 En zie, zij brachten voor hem eenen verlamde, liggende op een bed. En Jesus, hun geloof ziende, zei tot den verlamde : Heb betrouwen, zoon ! uwe zonden worden u vergeven. 3 En zie, sommigen van de Schriftgeleerden zeiden bij henzelven : Deze lastert God. 4 En Jesus, hunne gedachten

(1) Série IV, p. 527.

ziende, zei: Waarom denkt gij kwaad in uwe herten? 5 Wat is er gemakkelijker te zeggen: Uwe zonden worden u vergeven; of te zeggen: Sta op en wandel? 6 Doch opdat gij moogt weten, dat de Zoon des menschen macht heeft op aarde om zonden te vergeven,... toen zei hij tot den verlamde: Sta op, neem uw bed op, en ga naar uw huis! 7 En hij stond op, en ging weg naar zijn huis. 8 De scharen nu, dat ziende, verschrikten, en verheerlijkten God, die zoodanige macht aan de menschen gegeven had.

*
* *

## Notationes

1 *Venit in civitatem suam*, nempe Capharnaum, ubi tempore vitæ suæ publicæ frequentiùs commorabatur.

2 *Et ecce offerebant ei paralyticum.* « Causam et modum Matthæus tacet, sed exprimit Marcus. Cum enim non possent eum offerre illi, præ turba, quæ ad januam stabat, per tectum superne apertum eum demiserunt. Itaque *videns Jesus*, ex isto conatu, et facto tam inusitato, *fidem illorum* offerentium. Hæc enim tum ad plenam sanitatem, tum ad pœnitentiam peccatori impetrandam, prodesse potest. Fidem tamen ipsius paralytici etiam adfuisse colligit Chrysost. ex eo, quòd ita sese offerri passus est. Porrò fides hîc videtur non solùm assensum in id, quod de Christo credendum erat, sed simul fiduciam impetrandi, quæ ex fidei firmitate solet nasci, comprehendere. Cui potiùs, quam charitati offerentium, aut patientiæ paralytici, tribuitur hic et alibi sanitas, non quòd excludantur, sed partim quia fides prima est ordine, partim quia ei proprium est impetrare id, quod credit et sperat, partim denique ut ita fides in Christum commendaretur. *Dixit paralytico: Confide, fili*, id est, bono animo et magnâ fiduciâ esto: id enim quod petis impetrabis. *Remittuntur tibi peccata tua,* hoc ipso dicto, quo ea remitti pronuntio. Unde Græcus

dictum factum indicans legit ἀφέωνται, *remissa sunt* tibi peccata tua, hoc est, causa sublata est, per quam morbus inflictus fuerat. Ex quo satis colligitur paralyticum istum, cùm sanitatem a Christo tamquam pœnitentiæ publico præcone ambiret, concepisse simul anteactæ vitæ pœnitentiam, sive ei propter fidem offerentium aut propriam data fuerit, sive non.

3 *Et ecce quidam de Scribis*, de Legis et Scripturarum peritiâ sibi placentibus, quæ peccatorum remissionem passim Deo tribuunt, *dixerunt intra se*, in corde scilicet, id est, cogitabant: *Hic blasphemat*, nempe in Deum, contumeliosè in Deum loquitur, sibi arrogando quod Deo proprium est, et ideo ejus majestati derogando. Livor et malevolentia in deteriorem partem verba Christi rapiebant. Non enim dixerat *remitto*, sed *remittuntur;* quod intelligi poterat, a Deo, ut esset non efficientis, sed asserentis.

4 *Et cum vidisset Jesus*, non conjecturis, sed quasi oculis perspexisset *cogitationes eorum;* ita facto ipso suam Divinitatem et se non blasphemare probans, *dixit: Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris?*

5 *Quid est facilius dicere,* etc. Si nuda verba spectes, æquè facile est utrumvis dicere: si rem, longe difficilius est dimittere peccata, quàm corpori etiam propria auctoritate sanitatem dare, juxta illud Aug. tract. 72 in Joan.: Justificatio impii majus est opus, quàm cælum et terra. Itaque *quid facilius est dicere,* ita scilicet, ut dicentis auctoritas non periclitetur, neque mendacii argui possit. Nam dicere, *Dimittuntur tibi peccata* obscuræ veritatis est, quæ credi debeat, ut videri non possit, etiam tum quando verè dimittuntur. Dicere verò, *surge et ambula,* mox palpabilem requirit probationem sanitatis consequentis: alioquin temeritatis ac mendacii confestim ex re ipsa arguetur. Non ergo Christus hic asserit aut probat sanationem corporalem esse difficiliorem remissione peccatorum: sed ex veritate assertionis de re visibili, ubi effectus mox adesse debet, probat sibi

etiam esse credendum, asserenti invisibilem remissionem, quam quivis facile jactare posset sine periculo convincendæ falsitatis. Nam, ut Chrysost. hom. 30 alterum horum latet, alterum patet. Quod quamvis minus sit in se, est tamen manifestius, ut illud majus ac invisibile reddatur certius et confirmatius.

6 *Ut autem sciatis* etc. id est, ut id, quod latet, ac temere dictum a me arbitramini, ex eo quod oculis patet etiam verum esse intelligatis. *Tunc ait paralytico.* Verba sunt non Christi, sed Evangelistæ, quibus significat Christum subitò, relictis quasi Scribis, ad paralyticum se convertisse. *Surge, tolle lectum tuum:* ut quod erat testimonium infirmitatis, fiat probatio sanitatis: *et vade in domum tuam,* ne phantasticum putetur id quod factum est. Unde ad faciendam testatissimam fidem, 7 *Et surrexit, et abiit in domum suam.*

8 *Videntes autem turbæ timuerunt* ἐθαυμασαν, *admiratæ sunt* admiratione timori adjunctà. Nam, ut Lucas 5, 26. *Stupor apprehendit omnes, et repleti sunt timore:* quod fieri solet, quando subitò maxima opinio et reverentia de aliquo concipitur. *Et glorificaverunt Deum,* ejus benignitatem laudibus celebrando, *qui,* seu quia, *dedit potestatem talem,* remittendi scilicet peccata, et visibilibus istis miraculis confirmandi *hominibus,* homini, per enallagen numeri. Unde non videtur quicquam sublimius homine, seu occultum illud incarnationis Dei mysterium agnovisse ». Jans. Ipr.

***

## Conclusio

1 « Marcus II, 3, paralyticum portatum dicit a quatuor portitoribus : á quibus disce non tantum tuam, sed et proximorum curare salutem, idque impense; tum quia charitas id exigit, tum quia sæpe Deus flagellat bonos cum malis, eo quod boni malorum peccata corripere, impedire et emendare negligant » a Lapide.

2 « Porrò duplici de causa Dominus priusquam hunc paralyticum corporaliter sanaret, eidem dixit, *remittuntur tibi peccata tua*. Primùm quidem, ut significaret eum propter peccata in morbum hunc incidisse, ac priùs animæ quam corporis sanitatem quærendam. Passim enim Scriptura indicat plerisque morbos ob peccata immitti. Unde et Christus illi quem in probatica piscina sanaverat, dixit: *Ecce sanus factus es, jam amplius noli peccare, ne deterius tibi contingat* (Jo. V). Et Paulus ob indignam corporis Dominici sumptionem multos apud Corinthios laborasse, ac quosdam fuisse mortuos testatur I Corint. XI. Secundò his verbis Dominus paralytico remissionem peccatorum polliceri voluit, ut occasione obmurmurationis Pharisæorum, de sua potestate et divinitate apertius dissereret, nec jam simplex ederet curationis miraculum, sed quod multipliciter attestaretur divinitati ejus. Nam obmurmurantibus in corde suo Pharisæis, tribus modis factum est ut divinitatem suam, et potestatem declararet, videlicet demonstrando se videre cogitationes eorum, et sanitatem corporalem subitò solo jussu largiendo, et per collatam sanitatem comprobando se habere potestatem dimittendi peccata ». Jans. Gand.

3 « Tropologice: paralysis est quodvis animæ vitium, sed præsertim carnis voluptas, ex eaque nascens acedia, quæ ita animam prosternit, ut impotens sit se erigere ad virtutem, ad cœlum, ad Deum » a Lapide.

« Talis igitur anima, si agnito morbo suo humana arte immedicabili, cupida fuerit sanitatis, seipsam curet cum summa fiducia prædicatorum, pastorum, et justorum hominum institutione et oratione deferri ante Christum, eique commendari: et quoniam turba carnalium hominum, et carnalium cogitationum impedimentum præstat accedendi, curet se subvehi a carnalium commercio, sicque humiliter demitti ante Jesum, morbum suum omni deposito noxio pudore illi plane et palam detegens. Qui non dubium omnipotente sua bonitate,

non solum peccata remittet, unde paralysis illa, et dissolutio virium nata est, sed et vires largietur tantas, ut non tantùm surgat, sed etiam lectum, hoc est, corpus in quo requiescebat languescens ad omnem operationem, tollat veluti in humeros suos, dominans jam illi, cui priùs serviebat, non jam ut priùs bajulis opus habens, sed suis pedibus ambulans quocumque agit illam spiritus Christi, nec aliò ambulans quam quò jussa est. Ambulat autem, idque coram omnibus, atque in domum suam vadit; dum virtutum profectibus semper ad meliora, aliis etiam videntibus progreditur, ingrediens in requiem conscientiæ, expendens apud se beneficii accepti et bonitatis divinæ magnitudinem, ac ob eam et privatim, et publicè Deum glorificans. Porrò nostrum fuerit, non scribarum, sed simplicis turbæ sequi exemplum, ut et ipsi glorificemus Deum, non solùm quando nobis sua clementia adimit morbos animi, verum etiam cum alios videmus ejusdem bonitate a pristinis vitiis resipiscere, admirandumque et nobis, quòd talem potestatem dedit hominibus, ut et ipsi possint remittere peccata. » Jans. Gand.

4 « *Non habemus pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris: tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato. Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ: ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno.* » Hebr. IV, 15, 16.

G. V. D. P.

# Ordo Missæ

SEU

## precum et ceremoniarum Missæ interpretatio

—

*(Sequitur. — Cfr. suprà pag. 352.)*

—

22 Posthæc sacerdos præparat calicem, ei vinum infundit ac paululum aquæ. Hujus mixtionis aquæ cum vino non una est ratio: nam « monet sancta synodus (Tridentina) præceptum esse ab Ecclesia sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miscerent, tum quod Christum Dominum ita fecisse credatur; tum etiam quia e latere ejus aqua simul cum sanguine exierit; quod sacramentum hac mixtione recolitur: et quum aquæ in apocalypsi beati Joannis populi dicantur, ipsius populi fidelis cum capite Christo unio repræsentatur » (Sess. XXII, cap. 7).

Igitur ista admixtio aquæ cum vino consecrando præcipitur in primis ad imitationem Christi Eucharistiam instituentis, « quia juxta Sanctorum Patrum testimonia traditur ipsum Dominum in vino aqua permixto hoc sacramentum instituisse » (1). Inde tamen non inferatur ejusmodi mixtionem esse de præcepto *divino:* nam, uti scite animadvertit Bened. XIV, « ad præceptum divinum constituendum non satis est, Christum aquam cum vino miscuisse, sed id etiam *jussisse* oportuit. Et sane Christus Jesus consecravit in azymo; numquid ergo Ecclesiæ græcæ consecrationem in fermentato nullius roboris esse dicemus? Christus consecravit exacta cæna; quis tamen negare ausit neminem jejunum ad Eucharistiam accedere? » (2) — De præcepto quidem

---

(1) Conc. Florentinum, *Instr. pro Armenis.*
(2) Bened. XIV, l. c., cap. X, n. 8.

est dicta mixtio, imo de præcepto gravi, sed *ecclesiastico* tantum.

Accedunt hujus ritùs rationes *mysticæ*, quarum duas Tridentinum l. c. memorat: prima est ut recolatur mysterium aquæ et sanguinis qui effluxerunt e latere Christi in cruce transfixi. Quod apud ecclesias orientales et apud plures latinas, notatim in ritu Ambrosiano expresse memoratur, uti videre est apud Card. Bona, *Rerum Liturg.* l. c. — Altera causa est ut populi fidelis cum capite Christo unio repræsentetur. « Aqua significat populum, qui est insipidus, et sapidus fit per conjunctionem cum Sapientia, Christo, sicut aqua cum adjungitur vino » S. Bonav., IV, dist. 11, p. 2, a. 1, q. 3 ad 6. — « Cum aqua in vinum convertitur, significatur quod populus Christo incorporatur » S. Thom. III, q. LXXIV, art. 8, ad 2; incorporatur np. per gratiam sanctificantem, qua Christo inseritur fidelis, sicut palmes viti, ejusque naturæ divinæ fit consors. Eamdem significationem S. Cyprianus (Epist. 63 *ad Cæcilium*) evolvit his verbis: « Videmus in aqua populum intelligi, in vino ostendi sanguinem Christi. Quando autem in calice aqua vino miscetur, Christo populus adunatur, et credentium plebs ei, in quem credidit, copulatur et conjungitur. Quæ copulatio et conjunctio aquæ et vini sic miscetur in calice Domini, ut commixtio illa non possit ab invicem separari. Unde Ecclesiam, id est plebem in Ecclesia constitutam fideliter et firmiter in eo quod credidit perseverantem nulla res separare poterit a Christo ». — Tertiam explicationem mysticam addunt nonnulli opinantes per illam mixtionem aquæ et vini significari incarnationis mysterium, in quo humana natura cum divina hypostatice unita est. Quam explicationem tueri videntur verba orationis concomitantis: *Deus qui humanæ* etc., cujus sensum jam breviter exponimus.

23 *Deus, qui humanæ... reformasti.* Sane mirabilis et præstans nimis fuit hominis creatio, cum Deus ipsum

fecit ad imaginem et similitudinem suam, animam rationalem corpori ejus inspirans, qua cæteris omnibus creaturis terræ dominaretur; unde ait Propheta: « Minuisti cum paulo minus ab angelis (spiritibus *puris*), gloria et honore coronasti eum et constituisti eum super opera manuum tuarum ». Imo Deus ab initio hominem elevavit ad statum naturali sua conditione multo sublimiorem, eum adoptans in filium et hæredem regni sui cœlestis. Ast infeliciter homo per culpam suam a statu illo dignissimo deciderat; factus erat deformis utpote carens perfectione (dono nimirum justitiæ originalis) quæ ipsi inesse debebat; quare *reformatione* indigebat: hæc autem reformatio mirando prorsus ac vere stupendo modo facta est, nempe per incarnationem Verbi, qua Filius Dei unigenitus, et ipsemet Deus, humanitatem assumpsit ut hominem divinitatis faceret participem. Quod mirans exclamat Ecclesia: *O Felix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere redemptorem!* Hac oratione petimus, augmentum gratiæ sanctificantis, qua *ejus divinitatis simus consortes,* (1) *qui humanitatis nostræ fieri dignatus est particeps, Jesus-Christus, Filius Dei, Dominus noster*. Hoc autem rogamus *per hujus aquæ et vini mysterium,* i. e. per mysterium incarnationis, quo duplex natura divina et humana, hic per vinum et aquam figuratæ, hypostatice fuerunt unitæ; necnon per mysterium passionis et mortis Jesu-Christi, e cujus latere exivit sanguis et aqua; quo opus redemptionis per incarnationem inchoatum consummationem accepit.

« Cum misces aquam, inquit Card. Bona, desiderium excitabis te totum immergendi in abyssum meritorum Christi; atque ad intimam cum Deo unionem suspirabis. In oratione autem, *Deus, qui humanæ...,* tres veluti mixtiones seu conjunctiones prorsus admirabiles celebrari observabis, primam in humanæ naturæ creatione, cum mortali corpori immortalis anima copulata est:

(1) *Divinæ consortes naturæ*, ait S. Petrus, ep. 1, cap. I, 4.

alteram in ejusdem a Verbo facta assumptione, cum duo extrema infinite distantia in unitate personæ conjuncta sunt: tertia in ejus elevatione ad gratiam et gloriam, ad consortium scilicet et participationem divinitatis, quam ardentissime concupisces ». (1)

Sacerdos *aquam benedicit*, antequam infundat in calicem; circa quam benedictionem observat Bened. XIV, l. c., n. 11: « Sacerdos non vinum sed aquam, signo crucis super eam producto, benedicit: non vinum, quod Christum significat, cui nulla opus est benedictio; aquam verò benedicit, quæ significat populum, qui in hac vita, cum non sit ab omni peccato purus, benedictione indiget, ut advertit Durandus. Nulla veró fit aquæ benedictio in Missis defunctorum propter alterutram earum rationum, quas affert Gavantus: *Sicuti in fine Missæ defunctorum non benedicitur populus, ita nec aqua, quæ eumdem populum significat, ut diximus: vel aqua hoc loco significat populum purgatorii, qui jam est in gratia.* »

*
* *

24 Calicem debite præparatum jam offert celebrans, illum elevando elavatosque tenendo oculos, dum sequentem recitat orationem:

« *Offerimus tibi, Domine, calicem salutaris* » i. e. calicem *Salvatoris,* vel etiam calicem *salutis:* Christus enim Salvator instituit et voluit ut calix hujusmodi consecraretur ad salutem hominum: atque dictio ista minus refertur ad vinum in calice contentum quàm ad sanguinem Christi in quem mox est transsubstantiandum, juxtà dicta supra (n. 21) ubi de oblatione panis; — « *tuam deprecantes clementiam ut in conspectu divinæ majestatis tuæ pro nostra et totius mundi salute, cum odore suavitatis ascendat. Amen.* » Hæc locutio, *cum odore suavitatis*, multoties occurrit in Scriptura, ubi de sa-

(1) *Tract. asc. de Missa,* l. c.

crificiis Deo offerendis vel oblatis fit sermo; camque divus Paulus usurpat (Eph. V, 2) dicens de Christo quod « tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo, *in odorem suavitatis* ». Significat autem: *acceptum*, *gratum esse*, adinstar np. rei suaviter olentis. — Præsenti igitur oratione petitur ut sacrificium sanguinis Christi Deo, cui offertur, gratum acceptumque habeatur, proindeque proficiat *nostræ totiusque mundi saluti:* nam ut scribit Joannes (1ª ep. II, 2) Christus « *est propitiatio* (propitiationis victima) *pro peccatis nostris*, *non pro nostris autem tantum*, *sed etiam pro totius mundi* ». Equidem sacrificium illud, quantum in se spectatur, Deo gratissimum esse debet; sed quatenus offertur a nobis peccatoribus, ob malas nostras dispositiones, posset fieri Deo minus acceptum atque partim effectu suo frustrari: quare indigemus *deprecari Dei clementiam*. Indeque est quod sacerdos, deposito ac cooperto calice, sese inclinat atque offert *sacrificium Deo*, *spiritum contribulatum*, sciens quia *cor contritum et humiliatum non despiciet;* et dicit: « *In spiritu humilitatis et animo contrito suscipiamur a te, Domine, et sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie*, *ut placeat tibi*, *Domine Deus* ».

25 Sequitur invocatio Spiritus sancti, qui vocatur *sanctificator*, cùm ei sanctificationis opus per appropriationem speciatim tribuitur; et simul dicitur, *omnipotens æterne Deus*, ad exprimendam ejus cum Patre et Filio unam divinitatem æqualemque majestatem. Petitur autem ut spiritus sanctus *benedicat sacrificium ejus sancto nomini* (seu ad gloriam divini nominis i. e. ipsius Dei) *præparatum*. At de quanam benedictione hic agitur? S. Thomas triplicem benedictionis speciem distinguit: « Benedicere, ait, est bonum dicere. Contingit autem bonum dicere tripliciter. Uno modo *enuntiando,* putà cum quis bonum alterius laudat. — Alio modo *imperando*, et sic benedicere per auctoritatem est proprium Dei, cujus imperio bonum ad creaturas derivatur;

ministerium autem pertinet ad ministros Dei, qui nomen Domini super populum invocant. — Tertio benedicit quis *optando*, et secundum hoc benedicere est bonum alicui velle et quasi bonum pro aliquo precari » (1). Manifestum est præsenti loco significari benedictionem secundi generis, imperativam et operativam, qua sacrificium præparatum virtute divina consecretur et sanctificetur; et quidem, juxta plures AA., hic jam petitur benedictio et consecratio sanctissima et perfectissima, ipsa nimirum transmutatio panis et vini in corpus et sanguinem J. Ch. (2). Hæc autem imploratur a spiritu sancto propter analogiam existentem Missam inter et incarnationem Verbi, quæ ipsa speciatim tertiæ SS^mæ^ Trinitatis personæ adscribitur; siquidem confitemur de Filio Dei unigenito: *Et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine.* « Quando congruentius quam ad consecrandum sacrificium corporis Christi sancta Ecclesia *Spiritus sancti* deposcat *adventum*, quæ ipsum caput suum secundum carnem de spiritu sancto noverit natum? » S. Fulgent.

*(Sequetur).*

H. V. D. B.

(1) In Epist. ad Rom., cap. XIII, lect. III.
(2) Cfr. Lebrun l. c., art. VI, § 8; — Gihr l. c. p. 185 sq.

# Indictio universalis jubilæi

## Anni Sancti 1900

## LEO EPISCOPUS

### SERVUS SERVORUM DEI

UNIVERSIS CHRISTIFIDELIBUS PRÆSENTES LITTERAS INSPECTURIS SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Properante ad exitum sæculo, quod annuente Deo Nos ipsi prope totum emensi vivendo sumus, animum volentes induximus rem ex instituto majorum decernere, quæ saluti populo christiano sit, ac simul curarum Nostrarum, qualescumque in gerendo Pontificatu maximo fuerint, extremum velut vestigium ostendat. JUBILÆUM MAGNUM dicimus, jam inde antiquitus in christianos mores inductum, decessorumque Nostrorum providentia sancitum: quem tradita a patribus consuetudo *Annum sanctum* appellat, tum quod solet esse cæremoniis sanctissimis comitatior, tum maxime quod castigandis moribus renovandisque ad sanctitatem animis adjumenta uberiora suppeditat. Testes Ipsi sumus quanto opere is ad salutem valuit qui postremo actus est ritu solemni, Nobis videlicet adolescentibus, Leone XII pontifice maximo: quo tempore magnum tutissimumque religioni publicæ theatrum Roma præbuit. Memoria tenemus ac videre propemodum etiam nunc videmur peregrinorum frequentiam: circumeuntem templa augustissima, disposito agmine, multitudinem: viros apostolicos concionantes in publico: celeberrima Urbis loca divinis laudibus personantia: pietatis caritatisque exempla edentem in oculis omnium, magno Cardinalium comitatu, pontificem. Cujus recordatione memoriæ ex temporibus iis ad ea, quæ nunc sunt, mens acerbius revocatur. Earum quippe rerum quas diximus, quæque si in luce civitatis, nulla re impediente, peragantur, mire alere atque incitare pietatem popularem solent, nunc quidem, mutato Urbis statu, aut nulla facultas est, aut in alieno posita arbitrio.

Utcumque sit, fore confidimus ut salubrium consiliorum adjutor Deus voluntati huic Nostræ, quam in ejus gratiam gloriamque suscepimus, cursum prosperum ac sine offensione largiatur. Quo enim spectamus, aut quid volumus? Hoc nempe unice, efficere homines, quanto plures nitendo possumus, salutis æternæ compotes, hujusque rei gratiâ morbis animorum ea ipsa, quæ Jesus Christus in potestate Nostra esse voluit, adhibere remedia. Atque id a Nobis non modo munus apostolicum, sed ipsa ratio temporis plane videtur postulare. Non quod recte factorum laudumque christianarum sit sterile sæculum: quin imo abundant, adjuvante Deo, exempla optima, nec virtutum genus est ullum tam excelsum tamque arduum, in quo non excellere magnum numerum videamus: vim namque procreandi alendique virtutes habet christiana religio divinitus insitam, eamque inexhaustam ac perpetuam. Verum si circumspiciendo quis intuetur in partem alteram, quæ tenebræ, quantus error, quam ingens multitudo in interitum ruentium sempiternum! Angimur præcipuo quodam dolore, quotiescumque venit in mentem quanta pars christianorum, sentiendi cogitandique licentia deliniti, malarum doctrinarum veneno sitienter hausto, fidei divinæ in se ipsi grande munus quotidie corrumpant. Hinc christianæ tædium vitæ, et late fusa morum labes: hinc illa rerum, quæ sensibus percipiantur, acerrima atque inexplebilis appetentia, curæque et cogitationes omnes aversæ a Deo, humi defixæ. Ex quo fonte teterrimo dici vix potest quanta jam in ea ipsa, quæ sunt civitatum fundamenta, pernicies influxit. Nam contumaces vulgo spiritus, motus turbidi popularium cupiditatum, cæca pericula, tragica scelera, nihil denique sunt aliud, si libet caussam introspicere, nisi quædam de adipiscendis fruendisque rebus mortalibus exlex atque effrenata decertatio.

Ergo interest privatim et publice, admoneri homines officii sui, excitari consopita veterno pectora, atque ad studium salutis revocari quotquot in singulas prope horas discrimen temere adeunt pereundi, perdendique per socordiam aut superbiam cælestia atque immutabilia bona, ad quæ sola nati sumus. Atqui huc omnino pertinet annus sacer: etenim per id tempus totum Ecclesia parens, non nisi lenitatis et misericordiæ memor, omni qua potest ope

studioque contendit ut in melius humana consilia referantur, et quod quisque deliquit, luat emendatrix vitæ pœnitentia. Hoc illa proposito, multiplicata obsecratione auctâque instantia, placare nititur violatum Dei numen, arcessere e cælo munerum divinorum copiam: lateque reclusis gratiæ thesauris, qui sibi sunt ad dispensandum commissi, vocat ad spem veniæ universitatem christianorum, tota in eo ut reluctantes etiam voluntates abundantia quadam amoris indulgentiæque pervincat. Quibus ex rebus quid ni expectemus fructus uberes, si Deo placet, ac tempori accomodatos?

Augent opportunitatem rei extraordinaria quædam sollemnia de quibus jam, opinamur, satis notitia percrebuit: quæ quidem sollemnia excessum undevicesimi sæculi viccsimique ortum quodam modo consecraverint. Intelligi de honoribus volumus Jesu Christo Servatori medio eo tempore ubique terrarum habendis. Hac de re excogitatum privatorum pietate consilium laudavimus libentes ac probavimus: quid enim fieri sanctius aut salutarius queat? Quæ genus humanum appetat, quæ diligat, quæ speret, ad quæ tendat, in unigenito Dei Filio sunt omnia: is enim est *salus, vita, resurrectio nostra:* quem velle deserere, est velle funditus interire. Quamobrem etsi numquam silet, imo perpetua viget omnibus locis ea, quæ Domino nostro Jesu Christo debetur, adoratio, laus, honos, gratiarum actio, tamen nullæ gratiæ nullique honores possunt esse tanti, quin longe plures ei debeantur longeque majores. Præterea num paucos sæculum tulit immemori ingratoque animo, qui divino servatori suo pro pietate contemptum, pro beneficiis injurias referre consueverint? Certe ipsa ab ejus legibus præceptisque vita discrepans plurimorum argumento est flagitiosæ ingratissimæque voluntatis. Quid quod de ipsa Jesu divinitate Arianum scelus non semel renovatum nostra vidit ætas? Macti itaque animo, quotquot populari incitamentum pietati consilio isto novo pulcherrimoque præbuistis; quod tamen ita efficere oportet, nihil ut Jubilæi curriculum, nihil statuta solemnia impediat. In proxima ista catholicorum hominum significatione religionis ac fidei id quoque propositum inerit, detestari quæcumque impie dicta patratave memoriâ nostrâ sint, deque injuriis, augustissimo Jesu Christi numini præ-

sertim publice illatis, publice satisfacere. Nunc autem, si vera quærimus, genus satisfactionis maxime optabile et solidum et expressum et inustum notis veritatis illud omnino est, deliquisse pœnitere, et pace a Deo veniaque implorata, virtutum officia aut impensius colere aut intermissa repetere. Cui quidem rei cum tantas habeat annus sacer opportunitates, quantas initio attigimus, rursus apparet oportere atque opus esse ut populus christianus accingat se plenus animi ac spei.

Quapropter sublatis in cælum oculis, divitem in misericordia Deum enixe adprecati, ut votis inceptisque Nostris benigne annuere, ac virtute sua illustrare hominum mentes itemque permovere animos pro bonitate sua velit; romanorum Pontificum decessorum Nostrorum vestigia sequuti, de venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium assensu, universale maximumque Jubilæum in hac sacra Urbe a prima vespera Natalis Domini anno millesimo octingentesimo nonagesimo nono incohandum, et ad primam vesperam Natalis Domini anno millesimo noningentesimo finiendum, auctoritate omnipotentis Dei, beatorum apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, quod gloriæ divinæ, animarum saluti, Ecclesiæ incremento bene vertat, indicimus per has litteras et promulgamus, ac pro indicto promulgatoque haberi volumus.

Quo quidem Jubilæi anno durante, omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere pœnitentibus et confessis sacraque Communione refectis, qui beatorum Petri et Pauli, item Sancti Joannis Lateranensis et Sanctæ Mariæ Majoris de Urbe Basilicas semel saltem in die per viginti continuos aut interpolatos dies sive naturales sive ecclesiasticos, nimirum a primis vesperis unius diei ad integrum subsequentis diei vespertinum crepusculum computandos, si Romæ degant cives aut incolæ: si vero peregre venerint, per decem saltem ejusmodi dies, devote visitaverint, et pro Ecclesiæ exaltatione, hæresum extirpatione, catholicorum Principum concordia, et christiani populi salute pias ad Deum preces effuderint, plenissimam peccatorum suorum indulgentiam, remissionem et veniam misericorditer in Domino concedimus et impertimus.

Quoniamque potest usuvenire nonnullis ut ea, quæ supra

præscripta sunt, exequi, etsi maxime velint, tamen aut nullo modo aut tantummodo ex parte queant, morbo scilicet aliaque caussa legitima in Urbe aut ipso in itinere prohibiti; idcirco Nos piæ eorum voluntati, quantum in Domino possumus, tribuimus ut vere pœnitentes et confessione rite abluti et sacra communione refecti, indulgentiæ et remissionis supra dictæ participes perinde fiant, ac si Basilicas, quas memoravimus, diebus per Nos definitis reipsa visitassent.

Quotquot igitur ubique estis, dilecti filii, quibus commodum est adesse, ad sinum Roma suum vos amanter invitat. Sed tempore sacro decet catholicum hominem, si consentaneus sibi esse velit, non aliter versari Romæ, nisi fide christiana comite. Propterea posthabere nominatim oportet leviorum profanarumve rerum intempestiva spectacula, ad ea converso potius animo quæ religionem pietatemque suadeant. Suadet autem imprimis, si alte consideretur, nativum ingenium Urbis, atque ejus impressa divinitus effigies, nullo mortalium consilio, nulla vi mutabilis. Unam enim ex omnibus romanam urbem ad munera excelsiora atque altiora humanis delegit, sibique sacravit servator humani generis Jesus Christus. Hic domicilium imperii sui non sine diuturna atque arcana præparatione constituit: hic sedem Vicarii sui stare jussit in perpetuitate temporum: hic cælestis doctrinæ lumen sancte inviolateque custodiri, atque hinc tamquam a capite augustissimoque fonte in omnes late terras propagari voluit, ita quidem ut a Christo ipso dissentiat quicumque a fide romana dissenserit. Augent sanctitudinem avita religionis monumenta, singularis templorum majestas, principum Apostolorum sepulcra, hypogea martyrum fortissimorum. Quarum rerum omnium qui probe sciat excipere voces, sentiet profecto non tam peregrinari se in civitate aliena, quam versari in sua, ac melior, adjuvante Deo, discessurus est quam venerit.

Ut autem præsentes Litteræ ad omnium fidelium notitiam facilius perveniant, volumus earum exemplis etiam impressis, manu tamen alicujus notarii publici subscriptis ac sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eamdem prorsus adhiberi fidem, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Nulli ergo hominum

liceat hanc paginam Nostræ indictionis, promulgationis, concessionis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo octingentesimo nonagesimo nono, Quinto Idus Maii, Pontificatus Nostri anno vicesimo secundo.

C. Card. ALOISI MASELLA Pro-Dat. —
A. Card. MACCHI

VISA
De Curia I. De Aquila e Vicecomitibus

*Loco ✠ Plumbi*

*Reg. in Secret. Brevium*

I. Cugnonius

Anno a Nativitate Domini Millesimo octingentesimo nonagesimo nono, die undecimo Maii, festo Ascensionis Domini nostri Jesu Christi, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris et Domini nostri Leonis divina providentia Papæ XIII anno vicesimo secundo, præsentes litteras apostolicas in atrio sacrosanctæ Basilicæ Vaticanæ de Urbe. adstante populo, legi et solemniter publicavi.

Ego Joseph De Aquila e Vicecomitibus
Abbreviator de Curia.

# Litteræ Encyclicæ

## DE HOMINIBUS

## SACRATISSIMO CORDI JESU

## DEVOVENDIS

VENERABILIBUS FRATRIBUS
PATRIARCHIS PRIMATIBUS ARCHIEPISCOPIS EPISCOPIS
ALIISQUE LOCORUM ORDINARIIS
PACEM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTIBUS

## LEO PP. XIII

**VENERABILES FRATRES**

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Annum Sacrum, more institutoque majorum in hac alma Urbe proxime celebrandum, per apostolicas Litteras, ut probe nostis, nuperrime indiximus. Hodierno autem die, in spem auspiciumque peragendæ sanctius religiosissimæ celebritatis, auctores suasoresque sumus præclaræ cujusdam rei, ex qua quidem, si modo omnes ex animo, si consentientibus libentibusque voluntatibus paruerint, primum quidem nomini christiano, deinde societati hominum universæ fructus insignes non sine caussa expectamus eosdemque mansuros.

Probatissimam religionis formam, quæ in cultu Sacratissimi Cordis Jesu versatur, sancte tueri ac majore in lumine collocare non semel conati sumus, exemplo Decessorum Nostrorum Innocentii XII, Benedicti XIII, Clementis XIII, Pii VI eodemque nomine VII ac IX: idque maxime per Decretum egimus die XXVIII Junii mensis an. MDCCCLXXXIX datum, quo scilicet Festum eo titulo ad ritum primæ classis eveximus. Nunc vero luculentior quædam obsequii forma obversatur animo, quæ scilicet honorum omnium, quotquot Sacratissimo Cordi haberi consueverunt, velut absolutio perfectioque sit: eamque Jesu Christo Redemptori pergratam fore confidimus. Quamquam hæc, de qua loquimur, haud

sanc nunc primum mota res est. Etenim abhinc quinque ferme lustris, cum sæcularia solemnia imminerent iterum instauranda postea quam mandatum de cultu divini Cordis propagando beata Margarita Maria de Alacoque divinitus acceperat, libelli supplices non a privatis tantummodo, sed etiam ab Episcopis ad Pium IX in id undique missi complures, ut communitatem generis humani devovere augustissimo Cordi Jesu vellet. Differri placuit rem, quo decerneretur maturius: interim devovendi sese singillatim civitatibus data facultas volentibus, præscriptaque devotionis formula. Novis nunc accedentibus caussis, maturitatem venisse rei perficiendæ judicamus.

Atque amplissimum istud maximumque obsequii et pietatis testimonium omnino convenit Jesu Christo, quia ipse princeps est ac dominus summus. Videlicet imperium ejus non est tantummodo in gentes catholici nominis, aut in eos solum, qui sacro baptismate rite abluti, utique ad Ecclesiam, si spectetur jus, pertinent, quamvis vel error opinionum devios agat, vel dissensio a caritate sejungat: sed complectitur etiam quotquot numerantur christianæ fidei expertes, ita ut verissime in potestate Jesu Christi sit universitas generis humani. Nam qui Dei Patris Unigenitus est, eamdemque habet cum ipso substantiam, *splendor gloriæ et figura substantiæ ejus* (1), huic omnia cum Patre communia esse necesse est, proptereaque quoque rerum omnium summum imperium. Ob eam rem Dei Filius de se ipse apud Prophetam, *Ego autem*, effatur, *constitutus sum rex super Sion montem sanctum ejus. — Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula a me, et dabo Tibi gentes hereditatem tuam et possessionem tuam terminos terræ* (2). Quibus declarat, se potestatem a Deo accepisse cum in omnem Ecclesiam quæ per Sion montem intelligitur, tum in reliquum terrarum orbem, qua ejus late termini proferuntur. Quo autem summa ista potestas fundamento nitatur, satis illa docent, *Filius meus es tu*. Hoc enim ipso quod omnium Regis est Filius, universæ potestatis est heres: ex quo illa, *dabo Tibi gentes hereditatem tuam*. Quorum sunt ea similia, quæ habet Paulus apostolus: *Quem constituit heredem universorum* (3).

---

(1) Hebr. I, 3. — (2) Ps. II. — (3) Heb. I, 2.

Illud autem considerandum maxime, quid affirmaverit de imperio suo Jesus Christus non jam per apostolos aut prophetas, sed suis ipse verbis. Quærenti enim romano Præsidi: *ergo rex es tu?* sine ulla dubitatione repondit: *tu dicis quia rex sum ego* (1). Atque hujus magnitudinem potestatis et infinitatem regni illa ad Apostolos apertius confirmant: *Data est mihi omnis potestas in cælo et in terra* (2). Si Christo data potestas omnis, necessario consequitur, imperium ejus summum esse oportere, absolutum, arbitrio nullius obnoxium, nihil ut ei sit nec par nec simile: cumque data sit in cælo et in terra, debet sibi habere cælum terrasque parentia. Re autem vera jus istud singulare sibique proprium exercuit, jussis nimirum Apostolis evulgare doctrinam suam, congregare homines in unum corpus Ecclesiæ per lavacrum salutis, leges denique imponere quas recusare sine salutis sempiternæ discrimine nemo posset.

Neque tamen sunt in hoc omnia. Imperat Christus non jure tantum nativo, quippe Dei Unigenitus, sed etiam quæsito. Ipso enim eripuit nos *de potestate tenebrarum* (3), idemque *dedit redemptionem semetipsum pro omnibus* (4). Ei ergo facti sunt *populus acquisitionis* (5) non solum et catholici et quotquot christianum baptisma rite accepere, sed homines singuli et universi. Quam in rem apte Augustinus: *quæritis*, inquit, *quid emerit? Videte quid dederit, et invenietis quid emerit. Sanguis Christi pretium est. Tanti quid valet? quid, nisi totus mundus? quid, nisi omnes gentes? Pro toto dedit, quantum dedit* (6).

Cur autem ipsi infideles potestate dominatuque Jesu Christi teneantur, causam sanctus Thomas rationemque, edisserendo, docet. Cum enim de judiciali ejus potestate quæsisset, num ad homines porrigatur universos, affirmassetque, *judiciaria potestas consequitur potestatem regiam*, plane concludit: *Christo omnia sunt subjecta quantum ad potestatem, etsi nondum sunt ei subjecta quantum ad executionem potestatis* (7). Quæ

(1) Joan. XVIII, 37.
(2) Matt. XXVIII, 18.
(3) Coloss. I, 13.
(4) I. Tim. II, 6.
(5) I Petr. II, 9.
(6) Tract. 120 in Joan.
(7) 3ª p. q. 59, a. 4.

Christi potestas et imperium in homines exercetur per veritatem, per justitiam, maxime per caritatem.

Verum ad istud potestatis dominationisque suæ fundamentum duplex benigne ipse sinit ut accedat a nobis, si libet, devotio voluntaria. Porro Jesus Christus, Deus idem ac Redemptor, omnium est rerum cumulata perfectaque possessione locuples: nos autem adeo inopes atque egentes ut, quo eum munerari liceat, de nostro quidem suppetat nihil. Sed tamen pro summa bonitate et caritate sua minime recusat quin sibi, quod suum est, perinde demus, addicamus, ac juris nostri foret: nec solum non recusat, sed expetit ac rogat: *Fili præbe cor tuum mihi.* Ergo gratificari illi utique possumus voluntate atque affectione animi. Nam ipsi devovendo nos, non modo et agnoscimus et accipimus imperium ejus aperte ac libenter: sed re ipsa testamur, si nostrum id esset quod dono damus, summa nos voluntate daturos; ac petere ab eo ut id ipsum, etsi plane suum, tamen accipere a nobis ne gravetur. Hæc vis rei est, de qua agimus, hæc Nostris subjecta verbis sententia. — Quoniamque inest in Sacro Corde symbolum atque expressa imago infinitæ Jesu Christi caritatis, quæ movet ipsa nos ad amandum mutuo, ideo consentaneum est dicare se Cordi ejus augustissimo: quod tamen nihil est aliud quam dedere atque obligare se Jesu Christo, quia quidquid honoris, obsequii, pietatis divino Cordi tribuitur, vere et proprie Christo tribuitur ipsi.

Itaque ad istiusmodi devotionem voluntate suscipiendam excitamus cohortamurque quotquot divinissimum Cor et noscant et diligant: ac valde velimus, eodem id singulos die efficere, ut tot millium idem voventium animorum significationes uno omnes tempore ad cæli templa pervehantur. — Verum numne clabi animo patiemur innumerabiles alios, quibus christiana veritas nondum affulsit? Atqui ejus persona geritur a Nobis, qui venit salvum facere quod pericrat, quique totius humani generis saluti addixit sanguinem suum. Propterea eos ipsos qui in umbra mortis sedent, quemadmodum excitare ad eam, quæ vere vita est, assidue studemus, Christi nuntiis in omnes partes ad erudiendum dimissis, ita nunc, eorum miserati vicem, Sacratissimo Cordi Jesu commendamus majorem in modum et, quantum in Nobis est, dedicamus. — Qua ratione hæc, quam cunctis

suademus, cunctis est profutura devotio. Hoc enim facto, in quibus est Jesu Christi cognitio et amor, ii facile sentient sibi fidem amoremque crescere. Qui, Christo cognito, præcepta tamen ejus legemque negligunt, iis fas erit e Sacro Corde flammam caritatis arripere. Iis demum longe miseris, qui cæca superstitione conflictantur, cæleste auxilium uno omnes animo flagitabimus, ut eos Jesus Christus, sicut jam sibi habet subjectos *secundum potestatem*, subjiciat aliquando *secundum executionem potestatis*, neque solum *in futuro sæculo, quando de omnibus voluntatem suam implebit, quosdam quidem salvando, quosdam puniendo* (1), sed in hac etiam vita mortali, fidem scilicet ac sanctitatem imperiendo; quibus illi virtutibus colere Deum queant, uti par est, et ad sempiternam in cælo felicitatem contendere.

Cujusmodi dedicatio spem quoque civitatibus affert rerum meliorum, cum vincula instaurare aut firmius possit adstringere, quæ res publicas naturâ jungunt Deo. — Novissimis hisce temporibus id maxime actum, ut Ecclesiam inter ac rem civilem quasi murus intersit. In constitutione atque administratione civitatum pro nihilo habetur sacri divinique juris auctoritas, eo proposito ut communis vitæ consuetudinem nulla vis religionis attingat. Quod huc ferme recidit, Christi fidem de medio tollere, ipsumque, si fieri posset, terris exigere Deum. Tanta insolentia elatis animis, quid mirum quod humana gens pleraque in eam inciderit rerum perturbationem iisque jactetur fluctibus, qui metu et periculo vacuum sinant esse neminem? Certissima incolumitatis publicæ firmamenta dilabi necesse est, religione posthabita. Pœnas autem Deus de perduellibus justas meritasque sumpturus, tradidit eos suæ ipsorum libidini, ut serviant cupiditatibus ac sese ipsi nimia libertate conficiant.

Hinc vis illa malorum quæ jamdiu insident, quæque vehementer postulant, ut unius auxilium exquiratur, cujus virtute depellantur. Quisnam autem ille sit, præter Jesum Christum Unigenitum Dei? *Neque enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri* (2). Ad illum ergo confugiendum, qui est *via, veritas et vita*. Erratum est:

---

(1) S. Thom. l. c.
(2) Act. IV, 12.

redeundum in viam: obductæ mentibus tenebræ: discutienda caligo luce veritatis: mors occupavit: apprehendenda vita. Tum denique licebit sanari tot vulnera, tum jus omne in pristinæ auctoritatis spem revirescet, et restituentur ornamenta pacis, atque excident gladii fluentque arma de manibus, cum Christi imperium omnes accipient libentes eique parebunt, *atque omnis lingua* confitebitur *quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris* (1).

Cum Ecclesia per proxima originibus tempora cæsareo jugo premeretur, conspecta sublimè adolescenti imperatori crux, amplissimæ victoriæ, quæ mox est consecuta, auspex simul atque effectrix. En alterum hodie oblatum oculis auspicatissimum divinissimumque signum: videlicet Cor Jesu sacratissimum, superimposita cruce, splendidissimo candore inter flammas elucens. In eo omnes collocandæ spes: ex eo hominum petenda atque expectanda salus.

Denique, id quod præterire silentio nolumus, illa quoque caussa, privatim quidem Nostra, sed satis justa et gravis, ad rem suscipiendam impulit, quod bonorum omnium auctor Deus Nos haud ita pridem, periculoso depulso morbo, conservavit. Cujus tanti beneficii, auctis nunc per Nos Sacratissimo Cordi honoribus, et memoriam publice extare volumus et gratiam.

Itaque edicimus ut diebus nono, decimo, undecimo proximi mensis Junii, in suo cujusque urbis atque oppidi templo principe statæ supplicationes fiant, perque singulos eos dies ad ceteras preces Litaniæ Sanctissimi Cordis adjiciantur auctoritate Nostra probatæ: postremo autem die formula Consecrationis recitetur: quam vobis formulam, Venerabiles Fratres, una cum his litteris mittimus.

Divinorum munerum auspicem benevolentiæque Nostræ testem vobis et clero populoque, cui præestis, apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum die xxv Maii, An. MDCCCLXXXXIX, Pontificatus Nostri vicesimo secundo.

LEO PP. XIII

(1) Phil. II, 11.

## AD SACRATISSIMUM COR JESU

### Formula consecrationis recitanda

Jesu dulcissime, Redemptor humani generis, respice nos ad altare tuum humillime provolutos. Tui sumus, tui esse volumus; quo autem Tibi conjuncti firmius esse possimus, en hodie Sacratissimo Cordi tuo se quisque nostrum sponte dedicat. — Te quidem multi novere numquam: Te, spretis mandatis tuis, multi repudiarunt. Miserere utrorumque, benignissime Jesu: atque ad sanctum Cor tuum rape universos. Rex esto, Domine, nec fidelium tantum qui nullo tempore discessere a te, sed etiam prodigorum filiorum qui Te reliquerunt: fac hos, ut domum paternam cito repetant, ne miseria et fame pereant. Rex esto eorum, quos aut opinionum error deceptos habet, aut discordia separatos, eosque ad portum veritatis atque ad unitatem fidei revoca, ut brevi fiat unum ovile et unus pastor. Rex esto denique eorum omnium, qui in vetere gentium superstitione versantur, eosque e tenebris vindicare ne renuas in Dei lumen et regnum. Largire, Domine, Ecclesiæ tuæ securam cum incolumitate libertatem; largire cunctis gentibus tranquillitatem ordinis: perfice, ut ab utroque terræ vertice una resonet vox: Sit laus divino Cordi, per quod nobis parta salus: ipsi gloria et honor in sæcula: Amen.

# E S. R. Univ. Inquisitione

**Solvuntur dubia circa duplicem casum consanguinitatis multiplicis quoad dispensationis petitionem et interpretationem.**

*Beatissime Pater,*

Recens vulgata est responsio S. C. S. Officii data ad Episcopum Cenomanensem (1), circa impedimenta consanguinitatis multiplicia, casu quo duo sponsi in secundo gradu

(1) Cfr. *Collationes Brugenses*, tom. I, p. 376.

consanguinitatis revincti, avum et aviam habent in secundo item gradu conjugatos; ex qua responsione aperte sequitur:

1. In casu contemplato adesse non solum impedimentum in secundo æquali, sed etiam in quarto æquali;

2. Ideoque non sufficere declarationem, item nec dispensationem impedimenti in secundo æquali; unde matrimonium contractum in hujusmodi hypothesi, id est declarato et dispensato solo impedimento secundi gradus, esse nullum.

Sequitur præterea 3. Consanguinitatem in quarto gradu esse duplicem; quia cum avus et avia sponsorum non se habeant per modum unius stipitis sed ut personæ, ideoque stipites distincti, jam duplex est via ad ascendendum usque ad ulteriorem stipitem.

Videtur autem illa duplex consanguinitas in quarto æquali ita duplex constituere impedimentum, ut si unicum declaretur et dispensetur impedimentum in quarto gradu (declarato item et dispensato altero in secundo gradu æquali), matrimonium foret nullum.

Porro frequentior praxis in Curiis ecclesiasticis nostrarum regionum duplex tantum, non triplex, in casu proposito retinebat et dispensandum curabat impedimentum: scilicet unum in secundo æquali; alterum in quarto æquali. Numquid igitur dispensationes sic datæ nullius fuissent momenti et matrimonia sic contracta invalida? Namque graves pro matrimoniorum valore adesse videntur rationes. Nam: 1. Dum oratores arborem genealogicam exibent, ex qua aperte deducitur eos descendere in secunda generatione a parentibus qui in secundo gradu æquali contraxerant, liquide et candide aperiunt omnia, nec locus esse videtur subreptioni aut obreptioni. — 2. Dum Curia, considerans casum et arborem genealogicam, dispensat super duplici tantum impedimento, res prout sunt, contemplatur et casui vero prospicere intendit; durumque videretur dicere matrimonium nullum fuisse, eo quod Curia, omnia casus elementa habens, duplex tantum vidisset impedimentum, dum triplex erat.

Sed et alia difficultas oritur ex præfata decisione. Casu enim quo duo fratres duxerint duas sorores, jam eorum filii non duplici tantum sed quadruplici impedimento consanguinitatis in secundo æquali devincerentur. Quia nempe, si

pater et mater singulorum non per modum unius stipitis se habeant, jam quoad singulos filios, duplex datur via ascendendi ad duplicem stipitem ulteriorem, unde quatuor sunt impedimenta quod nemo auctorum, si unus, me conscio, excipiatur, docuit, nullaque ex Curiis, quantum scire fas est, in praxi servat; quando enim adsint sponsi quorum pater materque sunt respective frater et soror alterutrius patris et matris, Curiæ dispensationem petunt aut concedunt super duplici tantum impedimento in secundo gradu æquali.

Quum vero in hac Diœcesi N. innumera sint matrimonia cum variis impedimentis consanguinitatis contracta, sequentium dubiorum solutio a S. Congregatione S. Officii enixe petitur nempe:

I. Quando duo sponsi constituuntur in secundo æquali consanguinitatis gradu, et eorum avus et avia ipsi in secundo consanguinitatis gradu matrimonium contraxerant, ita ut devinciantur etiam quarto gradu consanguinitatis, utrum necessario petenda et obtinenda sit dispensatio super triplici impedimento, nempe in secundo et in duplici quarto, an valida sit dispensatio forsan petita et obtenta super duplici tantum impedimento, nempe secundi æqualis et quarti item æqualis. — Et quatenus negative ad secundam partem;

II. Quid agendum quoad matrimonia in hac Diœcesi cum simili dispensatione contracta, nempe super duplici tantum impedimento in secundo et quarto?

III. Dum duo fratres duas sorores duxerunt, num eorum soboles devinciatur duplici vel quadruplici vinculo consanguinitatis in secundo æquali? — Et quatenus quadruplici;

IV. Num invalida sint matrimonia inter hujusmodi contracta cum dispensatione super duplici tantum consanguinitatis impedimento in secundo æquali? — Et quatenus invalida;

V. Quid faciendum quoad matrimonia in hac Diœcesi sic contracta?

Et Deus etc.

*Feria IV, die 22 Februarii 1899.*

In Congregatione Generali ab E^mis DD. Cardinalibus in rebus fidei et morum Inquisitoribus Generalibus habita, propositis suprascriptis dubiis, præhabitoque RR. DD. Con-

sultorum voto, iidem EE. ac RR. Patres respondendum mandarunt:

*Ad I. Quoad primam partem, affirmative ut in fer. IV, die 11 Martii 1899 in Cenomanen. — Quoad secundam partem pariter affirmative; dummodo exponatur casus uti est, non obstante errore materiali in computatione impedimentorum.*

*Ad II. Provisum in præcedenti.*

*Ad III. Duplici tantum consanguinitatis impedimento in secundo gradu æquali.*

*Ad IV et V. Provisum in præcedenti.*

Sequenti vero Feria VI, die 24 ejusdem mensis et anni, in audientia a SS. D. N. Leone Div. Prov. Pp. XIII. R. P. D. Adsessori impertita, SS^mus^ D. N. resolutionem EE. et RR. Patrum adprobavit.

I. Can. MANCINI, *S. R. et U. Inquis. Not.*

# Jurisprudence administrative

## Edifices publics — Travaux supplémentaires

—

Bruges, le 27 Mars 1899.

*Aux administrations communales et aux administrations fabriciennes de la Province.*

Messieurs,

L'autorité provinciale a été récemment dans le cas de constater, en plusieurs circonstances, que malgré les instructions formelles contenues dans mes circulaires, insérées au *Mémorial administratif* de l'année 1891 (partie générale, p. 766), et de l'année 1897 (partie générale, p. 8) (1), on exécute, lors de la construction et surtout de la restauration des édifices, notamment des édifices du culte et des presbytères,

(1) Nous avons rapporté le texte des circulaires visées dans les *Collationes*, T. II, p. 352.

des travaux parfois considérables qui n'avaient pas été prévus au moment de l'approbation des plans et devis ou qui même en avaient été écartés de l'avis des autorités compétentes.

On vient ensuite tardivement solliciter l'approbation pour ces changements auxquels il n'est pas possible parfois de remédier et l'on fait des instances pour obtenir des subsides supplémentaires de l'État et de la Province.

En vue d'obvier à cette situation, la Députation permanente a décidé de prescrire les règles suivantes auxquelles elle se tiendra strictement pour l'allocation des subsides provinciaux :

1° Tout subside supplémentaire sera refusé lorsqu'il sera établi que les travaux complémentaires pouvaient être prévus lors de la confection des plans et devis primitifs.

2° Lorsqu'il aura été constaté que, par suite de circonstances *extraordinaires et tout à fait inattendues,* des travaux supplémentaires ont dû être exécutés, ceux-ci ne pourront être admis au bénéfice des subsides que s'il conste par un rapport spécial du Service technique que, *préalablement à tout commencement d'exécution,* un inspecteur du dit service s'est rendu sur les lieux et a autorisé le travail.

Il incombera donc au collège échevinal ou à l'administration fabricienne de prévenir par un rapport urgent ou, *au besoin, par télégramme,* le Gouverneur de la Province, qui enverra dans le plus bref délai un agent du Service technique chargé de faire un rapport.

Seuls les cas de force majeure pourront être exceptés de cette règle ; encore faudra-t-il que, dans un *délai de trois jours,* l'administration intéressée en donne *d'urgence* avis au Gouverneur.

3° La Députation permanente se réserve de réduire les subsides primitivement octroyés, lorsqu'il sera constaté que les travaux complémentaires non autorisés ont eu pour conséquence soit de diminuer la valeur artistique de l'édifice ou sa solidité, soit de réaliser en fait, des travaux pour lesquels l'autorisation administrative avait été refusée ;

4° Les administrations communales ou fabriciennes ne sont pas toujours directement la cause des abus visés dans la présente instruction. Il est arrivé que l'architecte dirigeant

les travaux ait pris sur lui de prescrire des travaux supplémentaires parfois considérables ou d'apporter des modifications aux plans approuvés. Pour obvier à cet abus, aussi préjudiciable aux finances publiques qu'aux intérêts de l'art, la Députation permanente estime qu'il est nécessaire d'inscrire désormais au cahier des charges que « l'architecte sera personnellement responsable, lors du règlement des honoraires, pour toutes les pertes ou diminutions de subsides qui seraient motivées soit par les ordres qu'il aurait donnés, soit par son incurie ou sa négligence à observer ou à faire observer les prescriptions administratives ». On pourrait ajouter que pour tous travaux supplémentaires non régulièrement autorisés, les honoraires de l'architecte seront réduits de moitié ou même davantage.

5° Les cahiers des charges présentés par certains architectes portent que les honoraires seront calculés sur les chffires non de l'adjudication des travaux mais du devis. Il en résulte que celui-ci comprend parfois des ouvrages qui ne doivent pas être exécutés et qui partant ne devraient pas donner lieu à une retribution proportionnelle. Il importe donc que, *en dehors de circonstances exceptionnelles,* le cahier des charges mentionne expressément que « le montant des honoraires sera calculé proportionnellement aux chiffres établis par l'adjudication ».

6° Avant d'autoriser la liquidation des subsides, la Députation permanente se réserve de faire examiner par un délégué si l'exécution des travaux a eu lieu d'une manière irréprochable.

7° En vue d'assurer l'observation des prescriptions qui précèdent, il sera joint à toute demande de subsides une déclaration de l'administration intéressée portant qu'elle a pris connaissance des présentes instructions et qu'elle s'engage à s'y conformer pendant tout le cours des travaux.

Des exemplaires de la présente circulaire seront tenus à la disposition des administrations locales, tant pour leur gouverne que pour être remis par elles aux architectes, entrepreneurs, etc. Il suffira de s'adresser dans les bureaux du Gouvernement provincial ou des Commissariats d'arrondissement.

8° Le Service technique provincial, dans l'examen de

chaque cahier des charges, vérifiera s'il y a été tenu compte des présentes instructions et en fera mention dans son rapport.

J'ajouterai encore que, de son côté, le Gouvernement est intentionné de réagir également contre l'abus des travaux supplémentaires. (Voir entr'autres la circulaire ministérielle insérée au *Mémorial administratif* de 1897, partie générale, page 393). (1)

Pour le Gouverneur :
*Le Député délégué,*
Bon BETHUNE.

# Fabriques d'église

## Séance légale du mois de Juillet — Examen et vote du budget

Les conseils de fabrique doivent s'assembler le Dimanche, 2 Juillet prochain. Art. 10 du décret du 30 Décembre 1809.

(1) Voici le texte de cette circulaire :

Bruxelles, le 2 Octobre 1897.

Monsieur le Gouverneur,

A la demande de M. le Ministre de l'Agriculture et des Travaux publics, je vous prie de rappeler aux conseils de fabrique des églises *classées comme monuments* que, lorsque la nécessité et l'urgence de travaux supplémentaires ou d'ouvrages dont l'exécution immédiate n'a pas été prévue, viennent à être reconnues, il importe que l'autorité supérieure en soit avertie sur le champ et que l'on n'attende pas, pour solliciter son intervention, le moment où elle se trouvera en présence de faits accomplis.

En transmettant ces instructions aux administrations fabriciennes intéressées, vous voudrez bien leur faire remarquer qu'elles s'exposent notamment à se voir refuser tout subside de l'État pour les travaux exécutés à l'insu du Gouvernement.

Le Ministre de la Justice,
V. BEGEREM.

C'est à la réunion de Juillet que les conseils de fabrique examinent et arrêtent le budget pour l'exercice 1900. Art. 47 du décret combiné avec l'art. 1er de la loi du 4 Mars 1870.

Les administrations intéressées sont instamment priées d'observer, dans la confection et l'examen du budget, les règles que nous avons précédemment signalées dans cette Revue. Cf. *Collat. Brugen.*, T. I, pp. 309 et 368; T. II, p. 349.

C. V. C.

# Consultatio

*Quæritur*. An et quandonam conjux *incestuosus* a confessario *moneri* debet de amisso vel amittendo jure petendi debitum conjugale?

*Resp*. I/ Generatim de *perdito* jure aut facultate non est monendus pœnitens, *nisi certò constet eum a dicto jure aut facultate excidisse*, cum nemo possit a jure suo disturbari nisi indubie amisso.

Agitur autem in præsenti re de dispositione SS. Canonum (l. IV Decretalium, tit. XIII), quæ prohibet *petitionem* (non redditionem) debiti conjugalis, excepto casu quo petitio æquivalet redditioni, vel quo secus exponeretur ipse conjux gravi periculo incontinentiæ. Dicitur « quæ *prohibet* » : etenim non modo amittit incestuosus *strictum jus* sicut quivis adulter, sed etiam *licentiam* petendi debitum; ita ut non tantùm ipsi petenti juste denegetur debiti redditio sed et ipse peccet petendo.

Jamvero ad hoc ut jus et facultas petendi debitum censeantur certò amissa,

a/ requiritur ut copulam habuerit pœnitens cum

persona *consanguinea compartis in primo vel secundo gradu* (1), sive in linea recta sive in linea collaterali.

b/ Insuper cum hæc privatio juris videatur habere rationem *pœnæ*, ab ea excusat vis vel metus gravis necnon et *legis ignorantia*, sive juris sive facti. Unde non cadit sub lege conjux nesciens dictum incestum *lege ecclesiastica* speciali modo cohiberi, vel non advertens personam cum qua fornicatur esse compartis consanguineam in 1° vel 2° gradu.

Imo c/ cum Decretales non urgeant præfatam pœnam nisi in eos qui « *scienter* » crimen admiserunt (cap. 1° h. t.), accipitur qua excusans ignorantia *vincibilis*, *crassa et supina*, imo, juxta nonnullos, ipsa *affectata*. Cfr. *Collationes Brugenses*, IV, p. 36.

Quoad d/ ignorantiam *solius pœnæ*, non levis existit controversia inter DD., sed ad minus probabilis dicenda videtur sententia quæ docet et hanc ignorantiam a pœna incurrenda excusare (2). Revera pœna quæ ignoratur, juxta principia juris, non incurritur si non est proportionata delicto et extraordinaria est, qualis, juxta S. Alph., VI, n. 1074, est habenda nostra pœna, quippe quæ per se, ne in confuso quidem, prævideri potest. Cfr. Van den Berghe, *De Legibus*, n. 138. Cæterum est pœna simul medicinalis, ad hoc lata ut conjuges a fidelitate conjugali non declinent ad consortia illicita et signanter incestuosa; intimata autem pœna nequit a

---

(1) Hæc restrictio *ad 2m gradum* introducta est a Conc. Trident., SS. XXIV, cap. 4°, de *Reformatione Matrimonii*, et probabiliter applicatur etiam cognationi *in linea recta*. Cfr. Theol. Mechl., n. 46 et Feije, *De impedimentis matrimonii* (ed. 4a), n. 382.

(2) Hæc sententia a S. Alph, VI, n. 1074 dicitur satis probabilis et ibidem citantur AA. ipsi faventes. Quibus adde plures recentiores, inter quos Feije, l. c., n. 383, ad quem remittit De Becker, *De Sponsalibus et Matrimonio*, p. 192; Gasparri, *De Matrimonio*, n. 1060; D'Annibale, *summula*, III, p. 472; Ballerini-Palm., VI, n. 1171; Marc, *Institutiones morales*, n. 2031, qu. 3; Bucceroni, *Theologia moralis*, II, n. 1006; Lehmk , *Theologio moralis* (ed. 9a), II, n. 846; Putzer, *Comment. in facultates apostolicas* (ed. 5a), n. 124).

delicto avertere nisi illos quibus est nota. Aliunde pro praxi ubi deficit notitia pœnæ, deficiet plerumque ipsa scientia legis *ecclesiasticæ*, speciali statuto, præter jus naturale vel divinum, incestum adulterinum vetantis, ita ut saltem ex hoc capite pœna vitetur.

Quæ conditiones ultimæ si attendantur, liquebit vix unquam locum esse monitioni stricte dictæ circa jus amissum, cum non amittatur nisi a pœnæ conscio. Non est ergo cur confessarius pœnitentem doceat pœnam quam novit et incurrit, sed ipsum hortetur et urgeat ut pœnam rite solvat et a debito petendo abstineat, donec ab auctoritate competente jus perditum fuerit restitutum (1).

---

(1) In facultatibus quinquennalibus a S. C. de Prop. Fide Episcopis Belgii concedi solitis (Form. III, art. 5, ex Form. I, art. 8) reperitur facultas « restituendi jus amissum petendi debitum », quæ facultas communicari potest « sacerdotibus idoneis in conversione animarum laborantibus ». (Form. III, art. 20 ex Form. I, art. 28). Cfr. *Liber Manualis* pro diœcesi Brugensi, p. 175 et 176; Putzer, l. c.

A S. Pœnitentiaria, *pro foro conscientiæ*, accipiunt idem Episcopi ad quinquennium, sub n. 10 facultatem « dispensandi cum incestuoso vel incestuosa ad petendum debitum conjugale, cujus jus amisit ex superveniente occulta affinitate per copulam carnalem, habitam cum consanguinea vel consanguineo sive in primo, sive in primo et secundo sive in secundo gradu suæ uxoris seu respective mariti; remota occasione peccandi et injuncta gravi pœnitentia salutari et confessione sacramentali singulis mensibus, per tempus arbitrio dispensantis statuendum ». Cfr. *Liber Manualis*, p. 179; Feye, l. c., n. 673.

Quam alteram facultatem subdelegare valent præfati Episcopi « canonico pœnitentiario necnon vicariis foraneis pro foro pariter conscientiæ sed in actu sacramentalis confessionis dumtaxat, etiam *habitualiter*, si ipsis placuerit ». Cfr. *Nouv. Rev. théol.*, XXIV, p. 623. « *Formula*, si restitutio juris petendi debitum in confessione post absolutionem fit : Ego insuper auctoritate apostolica mihi specialiter communicata, tibi restituo jus petendi debitum conjugale, quod amisisti per copulam a te habitam cum (e. gr. sorore uxoris tuæ). In nomine Patris etc. Passio... » Putzer, l. c.

In diœcesi Brugensi, dicta facultate subdelegata *habitualiter* gaudent decani juxta *statuta diœcesana* (ed. 2a), p. 68; quæ facultas ab Episcopo pro opportunitate conceditur *transeunter* reliquis confessariis illam sollicitantibus.

*Notetur* autem restitutionem ab auctoritate competente factam auferre quidem prohibitionem Ecclesiæ et *licitam* reddere petitionem debiti, minime vero conjugi incestuoso conferre *jus strictum exigendi* a comparte innocente ut debitum reddatur. Cfr. Putzer, l. c.

II/ *Pro futuro* autem, quando pœnitens de quo quæritur criminis quidem plectendi factus est reus, sed hic et nunc ab adnexa pœna excusatur, *per se* admoneri debet fore ut pœnæ subjaceat et amittat jus petendi debitum, statim ac in idem delictum reinciderit.

Ratio est quod vanæ et frustraneæ evaderent leges ab Ecclesia sapienter statutæ, si eas simpliciter dissimulare liceret; quæ dissimulatio cæteroquin in dispendium hic vergeret ipsius pœnitentis, cum pœna statuta in medicinam sit introducta delinquentis, ut ob ejus timorem salutarem a delicto deterreatur. Ideo etiam admonendi sunt illi qui ob ignorantiam a censura excusantur, quam secus incurrissent. Cfr. Instr. C. S. O. 1 Febr. 1871, apud *Nouv. Rev. theol.*, VII, p. 27 seq.; *Collat. Brug.*, IV, p. 39; *Tract. de Cas. Reserv.* in diœcesi Brugensi, p. 18.

Dicitur *per se*, quia per accidens nonnunquam prudenter abstinebit a monitione confessarius, nimirum ubi pœnitens versatur in bona fide et monitio indubie prævidetur non profutura; puta quando agitur de pœnitente in incestum admodum labili, quem, licet nunc sufficienter dispositum, timet confessarius, non obstante pœnæ comminatione, esse lapsurum et post lapsum difficulter abstenturum a debito petendo. Qua in re non parum perplexa, providi confessarii est judicare; in quo judicio proferendo magna prudentia est opus et ratio habenda non tantum dispositionis pœnitentium sed maxime fragilitatis carnis, signanter apud juniores conjuges.

A. D. S.

# Collationes Brugenses

## Meditationes theologicæ

*(Sequitur. — Cfr. supra, tom. IV, pag. 257.)*

### SCHOLION.

### De divina beatitudine.

161. Vidimus Deum esse summum bonum veluti finale, non tantum respectu omnis creaturæ, sed sibi, ita ut sit objectum infinitæ et perfectæ suæ beatitatis.

Et ratione quidem naturali novimus objectivam beatitudinem Deo competere, quæ est bonum perfectum intellectualis naturæ, cum utrumque, scilicet, et perfectum esse et intelligentem excellentissime Deo conveniat. Quod enim perfectissimum est in intellectuali natura, est intellectualis operatio, secundum quam capit quodammodo omnia; est autem Deus actus purus intelligendi infinitus.

Hæc beatitudo, cum sit summum bonum, est quidem objectum voluntatis, cum vero objectum præintelligatur actui potentiæ, prior secundum rationem intelligendi est objectiva beatitudo, quæ in actu intelligendi consistit, quam actus voluntatis in ea requiescentis, seu prior est beatitudo objectiva quam formalis, quæ est fruitio intellectus et voluntatis quiescentium in illo actu intelligendi (1).

Porro, beatitudo objectiva Dei quomodo omnem beatitudinem comprehendit pulchre ostendit S. Thomas, ubi ait: « De contemplativa enim felicitate, habet continuam et certissimam contemplationem sui et omnium

(1) Cf. S. Thom., 1, q. XXVI, art. 4.

aliorum; de activa vero, gubernationem totius universi. De terrena vero felicitate, quæ consistit in voluptate, divitiis, potestate, dignitate et fama, secundum Boëtium in 3 *de consol.*, habet gaudium de se et de omnibus aliis pro delectatione; pro divitiis habet omnimodam sufficientiam, quam divitiæ promittunt; pro potestate, omnipotentiam; pro dignitate, omnium regimen; pro fama vero, admirationem totius creaturæ (1) ».

Ex hisce jam patet Deum beatitudine sua objectiva, quæ essentialiter in actu infinito intelligendi consistit, perfecte frui eodem actu intelligendi puro ac porro quiescentia voluntatis; aliis verbis Deum esse infinite beatum formaliter, ita ut nulla re indigeat, nihil extra se boni desideret; imo, ita ut sit omnipotens ad diffundendum extra se bonum, sine ulla amissione aut diminutione proprii boni, idque absque exigentia extrinseca aut adjutorio alieno; unde hanc omnipotentiam intelligimus, antecedenter ad dictamen intellectus, plane indifferentem ad effectum finitum quemvis ad extra producendum, necne; ex quibus omnibus sequitur Deum ad extra operari cum perfectissima libertate, ex mera et gratuita bonitate, ex ratione perfecta in finem se dignum. Porro consectaria hæc omnia latius infra explicanda, eo majori luce offunduntur quo perfectius cognoscitur divina beatitudo.

Jamvero, ex revelata Trinitate, penitius beatitatem Dei intelligimus: scilicet, eam esse perfectum gaudium seu perfectam fruitionem summi boni in perfecta trium personarum infinitarum, consubstantialium, nulla re indigentium, societate, quarum altera a prima procedit, ut Verbum intellectuale infinitum, tertia ab utraque priore, tamquam ab uno principio, ut Amor voluntatis hypostaticus, infinitus. Ut enim Bonaventura ait: « Summa beatitudo exigit dilectorem et condilectorem (2) ».

---

(1) Ibid., art. 4.
(2) In 1 *Sent.*, dist. 2, q. 4.

162. Universa hæc doctrina de bonitate et beatitudine Dei magni momenti est, in ordine ad prædefinitionem totius ordinis, naturæ atque gratiæ, explicandam. Quæcumque in hunc finem jam de divina scientia et omnipotenti voluntate, deque libertate ac immutabilitate divinæ voluntatis, in altera sectione præliminari dicemus, ex hac quoque doctrina penitius intelligi videbimus. Ut unum tantum alterumve indicemus, patebit quod, quemadmodum supra, n. 150 et n. 154, advertimus ex revelata Trinitate perfectius intelligi quomodo omnia ab æterno intelligibilia sunt Deo, et actu intellecta, ita ex ejusdem mysterii revelatione intimius perspiciatur quomodo Deus finita ut in futuro aliquando existentia cognoscat et amet (1); et, sicuti prius est Verbum produci quam res finitas intelligi (2), ita prius sit Spiritum sanctum procedere, quam res finitas intelligi et tamquam in futuro aliquando existentes cognosci et amari. Tandem, cum actus creans, sicut omnis actus ad extra, sit ipsa Dei essentia, nihilominus appropriationis convenientia perfecta elucebit, qua dicitur Pater creare (ut omnipotens causa efficiens) per Filium (ut causam exemplarem) in Spiritu sancto (ut causa quodammodo finali et veluti motiva, ut est bonitas Dei substantialis seu amor Dei hypostaticus, quasi movens Deum).

163. Huic sectioni priori de essentia Dei ejusque proprietatibus absolutis, in lumine revelatæ Trinitatis conspectis, finem imponimus, eamque concludimus verbis Seraphici Doctoris, in quibus doctrina mirabili quasi compendium exhibetur eorum omnium quæ exposuimus, et simul quæ obiter tantum de appropriatione in divinis diximus (3) luculenter et concinne exponuntur.

Sic igitur in *Breviloquio*, partis I, cap: VI, quod inscribitur: « De unitate divinæ naturæ in multiplicitate appropriatorum » loquitur S. Bonaventura:

---

(1) Cf. supra n. 136.
(2) Vide supra n. 154.
(3) Fusius de appropriatione S. Thomas, 1, q. 39, art. 8.

« Tertio vero de pluralitate appropriatorum hoc docet sacra Scriptura esse tenendum, quod licet omnia essentialia omnibus personis æqualiter et indifferenter conveniant, tamen Patri dicitur appropriari unitas, Filio veritas, Spiritui sancto bonitas. Et juxta hanc sumitur secunda appropriatio Hilarii *(II lib. de Trinit.)*, scilicet æternitas in Patre, species in imagine, et usus in munere. Et juxta hanc sumitur tertia, scilicet in Patre ratio principiandi, in Filio ratio exemplandi, in Spiritu sancto ratio finiendi. Et juxta hanc sumitur quarta, scilicet omnipotentia Patri, omniscientia Filio, voluntas seu benevolentia Spiritui sancto. Hæc autem dicuntur appropriari, non quia fiant propria, cum semper sint communia: sed quia ducunt ad intelligentiam et notitiam propriorum, scilicet trium personarum.

Intelligentia autem et ratio prædictorum hæc est: quia enim primum principium est nobilissimum et perfectissimum, ideo conditiones entis nobilissimæ et generalissimæ in eo reperiuntur in summo. Hæ autem sunt unum, verum, bonum, quæ non contrahunt ens secundum supposita, sed secundum rationem. Nam unum nominat ens, ut connumerabile, et hoc habet per indivisionem sui in se. Verum, secundum quod cognoscibile, et hoc habet per indivisionem sui a propria specie. Bonum, secundum quod communicabile, et hoc habet per indivisionem sui a propria operatione. Et quia hæc triplex indivisio se habet secundum ordinem quantum ad rationem intelligendi, ita quod verum præsupponit unum, et bonum præsupponit verum et unum: hinc est quod hæc tribuuntur primo principio in summo, quia perfecta et generalia, et appropriantur tribus personis, quia ordinata: et ideo summe unum Patri, qui est origo personarum; summe verum Filio, qui est a Patre, ut Verbum; summe bonum Spiritui sancto, qui est ab utroque, ut amor et donum.

Et quia summe unum est summe primum, quia caret omni inceptione: et quia summe verum est summe

æquale et pulchrum; et quia summe bonum est summe utile et proficuum; hinc oritur secunda appropriatio Hilarii, quæ est æternitas in Patre, quia non habet principium, sed est omnino primum; species in imagine, id est in Verbo, quia summe pulchrum; usus in munere, id est, in Spiritu sancto, quia summe proficuum et communicativum. Quod per alia verba sic insinuat Augustinus (*lib. I de doct. christ.*, *c. 5*): In Patre unitas, in Filio æqualitas, in Spiritu sancto unitatis æqualitatisque concordia.

Rursus, quia summe unum et primum tenet rationem principiandi et originandi: quia summe pulchrum et speciosum tenet rationem exprimendi et exemplandi: quia summe proficuum et bonum tenet rationem finiendi: quia bonum et finis idem; hinc oritur tertia ratio appropriandi efficientiam Patri, exemplaritatem Filio, finalitatem Spiritui sancto.

Rursus, quia a primo et summo principio fluit omne posse, a primo et summo exemplari fluit omne scire, et ad summum finem tendit omne velle: ideo necesse est primum principium esse omnipotentissimum, omnisapientissimum et benevolentissimum. Unitas autem prima et summa, rediens supra seipsam reditione completa et perfecta, est omnipotentissima, sic et veritas sapientissima, et bonitas benevolentissima: et hæc appropriantur, quia ordinem insinuant. Voluntas enim dat præintelligere cognitionem, et voluntas et cognitio præsupponunt potentiam et virtutem, quia posse scire est aliquid posse. Ex his apparet, quæ sint appropriata, et quibus, et qua de causa. Hæc tamen ultima, scilicet potentia, et sapientia, et voluntas, sunt potissime illa, ex quibus in Scripturis laudatur Trinitas summa. »

## Sectio posterior

### De quibusdam attributis Dei, in ordine ad prædefinitionem rerum consideratis.

164. Jam propius accedimus ad objectum princeps hujus secundæ partis meditationum, quæ est æterna prædefinitio operum Dei ad extra. Quoniam autem Deus ad extra operatur, prælucente infinita scientia, ex decreto liberrimo voluntatis, per suam omnipotentiam, breviter quædam, iis quæ supra jam attigimus, sunt addenda, tribus articulis distinctis, de scientia, de voluntate et de potentia Dei ejusque operatione ad extra in se considerata, ut via sternatur ad æternam rerum prædefinitionem perfectius intelligendam.

### ARTICULUS I.

*De Scientia Dei.*

165. In Deo est infinita ac perfecta scientia. Quam ut breviter explicemus, primo considerabimus eam in se, naturam scilicet ipsam divinæ cognitionis; deinde agemus de rebus scientiæ divinæ subjectis, et tandem, de modo quo diversæ res cognoscibiles a Deo cognoscuntur; quæ quidem tria, ut patet, nequeunt ab invicem discerpi, sed sese mutuo complent, et intime inter se cohærent, ita ut in iis exponendis sæpius unum in aliud incurrat.

#### § I.

*De scientia Dei in se considerata.*

166. Quum Deo evidenter conveniat scientia infinita et omnimode perfecta, oportet ut ei tribuamus scientiam, cujus notionem ex creata scientia haurire cogimur, scientiam, inquam, talem de qua affirmetur quidquid perfectionis in nostra notione scientiæ invenitur, nege-

tur vero et excludatur quidquid imperfectionis in eadem notione occurrit, et tandem per excessum seu supereminentiam asseratur quidquid perfectionis affirmatur. Jamvero talis scientia intelligitur aperta, clara ac perfecta intelligentia omnis cognoscibilis, quæ non sit qualitas nec habitus, nec actus a potentia elicitus, nec accidens quodvis adveniens substantiæ, sed ipsa divina substantia, quæ est actus purus et infinitus intelligendi, seipsum infinite intelligibilem, per seipsum infinite intelligens seu perfecte comprehendens et per se ipsum ac in seipso omnia extra se cognoscens.

167. Talis igitur est scientia Dei ut non tantum se sed et omnia quæ sunt extra se, Deus in se ipso perfecte cognoscat, utpote qui essentiam suam, in qua omnia intelligibilia sunt, et virtutem suam ad omnia sese extendentem, quæque cum scientia identice idem sunt, intelligendo exhaurit seu adæquat. Ubi affirmantur duo: primum quidem, scientiam Dei nequaquam ex rebus ipsis extra Deum hauriri ac duci, sed ex sese ac natura sua et in ipsa Deum omnia cognoscere. Quod quidem aliis verbis exprimi potest, dicendo: essentiam Dei esse objectum divinæ scientiæ princeps et formale, quod scilicet Deus per se et propter se (quasi motivum cognitionis) seu ratione suî cognoscit, alia vero extra Deum esse objectum secundarium et materiale tantum cognitionis divinæ, ad quod quidem terminatur divina scientia, sed quod non cognoscitur nisi per objectum formale et ratione cognitionis illius objecti. Nihil extra Deum quocumque modo causat divinam scientiam, nec ea ullam habet dependentiam a creaturis cognitis. Hinc tamen non infirmatur alterum assertum: scilicet Deum cognoscere alia a se perfecte et propria cognitione, non tantum ut sunt eminenter in Deo, sed prout sunt in seipsis, secundum distinctas et proprias singularum rationes. Aliud enim est cognoscere in seipsis, quod de Deo negatur, aliud cognoscere prout sunt in seipsis, quod de Deo affirmatur, nempe Deum in se ipso et per

seipsum perfecte cognoscere omnia extra se, prout sunt in seipsis. Utrumque breviter indicamus ex S. Thoma; « Deus seipsum videt in seipso, quia seipsum videt per essentiam suam. Alia autem a se videt non in se ipsis, sed in seipso, in quantum essentia sua continet similitudinem aliorum ab ipso (1). » Et: « Deus non solum cognoscit res esse in seipso, sed per id quod in seipso continet res, cognoscit eas in propria natura; et tanto perfectius, quanto perfectius est unumquodque in seipso (2). » Et ibidem, paulo ante: « Sicut intellectus cognoscit lapidem secundum esse intelligibile, quod habet in intellectu, in quantum cognoscit se intelligere, sed nihilominus cognoscit esse lapidis in propria natura. » Hoc igitur tenendum est, res creatas esse quidem vere terminum quem tendit ac fertur cognitio, etiam divina, nequaquam vero divinæ scientiæ esse, sicut nostræ, causam ac principium; quoniam, ut diximus, scientia Dei est ipsa divina substantia. Explicatio autem quod Deus creaturas cognoscat complebitur, ubi infra ostendemus scientiam Dei non modo non dependere a rebus cognitis sed esse rerum causam.

168. Ex eo quod scientia Dei est ipsa ejus substantia, sequitur manifesto 2° scientiam Dei esse unam et simplicem, ac singularem, ita ut Deus unica cognitione omnia, et quidem infinita, in sua virtute omnipotenti et in potentia creaturarum in perpetuum contenta, percipiat; non multiplicem, qualis est nostra, qui unica perceptione non possumus complecti omnia. Et sequitur 3° scientiam Dei esse omnino immutabilem ac invariabilem, et secundum quidem entitatem actus, evidenter, cum sit ipsa Dei essentia; secundum vero terminationem ad objecta idem facile ostenditur, etiam quoad objecta in se mutabilia, quæ aliquando existunt, ali-

(1) 1, q. XIV, art. 5.

(2) Ibid., art. 6, ad 1m. — Lege utrumque articulum, ad fusiorem explicationem.

quando non. Nam, ad singula ab æterno terminatur divina scientia, prout æterno decreto existunt in tempore, sive sola Dei voluntate, sive eadem cooperante causæ secundæ, necessariæ aut liberæ, ut infra explicabitur. Mutatio autem decreti divini non concipitur, non quidem ob defectum libertatis divinæ voluntatis, sed propter divinas perfectiones, quibus illa mutatio repugnat, ut infra patebit.

Ex eadem simplicitate et immutabilitate divinæ scientiæ concludes Deum omnia uno intuitu cognoscere, non vero componendo ac dividendo intelligere, quamquam omnia enuntiabilia quæ formari possunt cognoscit; neque ullam successionem esse in divina cognitione, scientiamque divinam nullatenus esse discursivam. Adeoque Deus non inducitur ex cognito effectu ad cognitionem causæ, neq etiam ex causa cognita ad effectus cognitionem, quamquam simplici intuitu videt ex quibus causis sit unusquisque effectus.

169. Postrema divinæ scientiæ dos est consideranda, quod rerum omnium causa sit. Quod dilucido exponit Wiggers: « In agente per intellectum dupliciter potest cognitio concurrere ad opus aliquod liberum, ejusque dici causa: primo, quasi sub ratione prudentiæ, quatenus cognitio et judicium de opere tamquam honesto, utili, aut alias convenienti, inclinat voluntatem, ut se determinet ad illud eligendum aut prosequendum. Secundo, quasi sub ratione artis, quatenus cognitio operis ac modi illius faciendi dirigit voluntatem et potentias executrices, in operis effectione, ut scilicet forma, quæ est in intellectu, suo modo transeat in opus: atqui scientia Dei utroque modo concurrit ad productionem rerum, ergo et rerum causa est..... Cæterum, sicut ars humana nihil efficit nisi a voluntate applicetur, ita quoque Dei scientia in creaturis nihil producit nisi a divina voluntate ad producendum applicetur seu determinetur. (1) »

(1) In 1m, q. 14, art. 8, n. 31.

Sub hac posteriori ratione quasi artis, ponendæ sunt in mente divina ideæ seu exemplaria rerum omnium extra Deum, quæ rerum causæ sunt, exemplares quidem respectu omnium, sed et efficientes, prout cum voluntatis decreto conjunguntur seu actuosæ sunt, earum rerum quæ actu aliquando existunt, de quibus utiliter leges S. Thomam, ejusque commentatores, I, q. XV. Ideas divinas hic consideramus ut sunt principia effectionis rerum; sunt autem et principia cognitionis rerum, ut ex supra dictis patet, et sic solent potius vocari rerum rationes in mente divina, quam exemplaria.

Ex hisce patet scientiam divinam esse vere rerum causam, efficientem in actu primo, quemadmodum artificis scientia opus artis efficit, et in actu secundo, prout cum voluntate divina conjungitur; tum exemplarem, quatenus ideas operum omnium in sese continet; merito proin *omnium artifex* divina *sapientia* in libro sapientiæ dicitur (1). At vide præterea ingens discrimen inter scientiam divinam, et nostram: scientia nostra solummodo causa est artificiatorum, quæ producimus, eaque effectio in sola quadam externa rerum dispositione consistit, nec physicam rei naturam, sive substantiam sive vel accidens intrinsecum attingit, atque ipsum exemplar humanus artifex aut totum simul aut per partes ex aliquibus rebus aliquo modo jam didicit (2); præter illa artificiata, non est cujusvis rei causa nostra scientia, contra, causatur ab ipsis. Divina vero scientia causaliter attingit ipsam rerum naturam, nec solum accidens, sed et substantiam, nec aliunde haurit quidquam nec ab ulla re causatur, sed omnia in se et per se ipsam habet unde sit rerum extra se causa.

Ex dictis rursum facile intelliges et conciliabis quæ Patres dicunt, alii quidem: non ideo Deum res nosse, quia sunt, sed ideo esse, quia Deus eas novit; eo scili-

---

(1) VII, 21.

(2) V. S. Anselmum, in *Monologio*, cap. X.

cet sensu, quo exposuimus scientiam Dei esse rerum causam; alii vero: non ideo aliquid futurum esse, quia Deus novit, sed ideo nosse Deum, quia futurum est; nimirum, non eo sensu quod res futura sit causa divinæ præscientiæ, sed eo sensu, quod, licet modo exposito sit causa futuræ rei divina scientia, non tamen terminetur ad rem ut aliquando actu existentem, quin res existens præsupponatur, nec adeo causa sit, præcise ut denominatur scientia visionis, sed ut est simplicis intelligentiæ, quæ est in actu primo causa rerum, et ut est scientia approbationis vel permissionis, cum libero decreto voluntatis conjuncta, quæ est causa rerum in actu secundo.

*(Continuabitur.)*

# Quæstiones pro Conferentiis

## mensis Octobris

—

I

Expone et cum *ad Roman.* V, 6-10 compone Jo. XV, 13: *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.*

II

Demonstretur Beatam Mariam Virginem, quum sit mater Christi secundum temporalem ejus nativitatem, vere dici et esse Matrem Dei.

III

An et quare sacerdos potest absolvere instructus jurisdictione *dubia?*

IV

Quænam inest efficacia satisfactioni sacramentali?

V

*Quanta* satisfactio est injungenda a confessario? paucis explicando.

VI

Accurate determina sensum quem habet vox « religio » in Decretis Generalibus de prohibitione et censura librorum.

# Responsa

## ad quæstiones in Conferentiis mensis Junii propositas.

—

### I

Q. Explana Jo. VI, 64: *Spiritus est, qui vivificat: caro non prodest quidquam. Verba, quæ ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt.*

R. Christus hic respondet verbis discipulorum v. 60: *Durus est hic sermo, et quis potest eum audire?* Durum autem dicebant esse sermonem, quia dixerat neminem vitam habere posse, nisi carnem suam manducaret. His enim verbis, ut ait Cyrillus « ad immanes ferarum mores vocari se arbitrabantur, incitarique ut vellent crudas hominis carnes manducare et sanguinem bibere, quæ vel auditu horribilia sunt. Illud etiam ad hæc cogitabant, quomodo caro hujus hominis æternam nobis vitam largietur, aut quomodo ad immortalitatem adducere poterit? » Connectitur autem versiculus 64 immediatè præcedenti sententiæ, quà dixerat se ascensurum in carne, ubi erat prius, significans se Deum esse, carnemque suam unitam esse divinitati. Jam persequitur: *Spiritus est*, id est, divinitas mea carni unita, seu caro unita divinitati est *quæ vivificat*, quæ effectrix est vitæ æternæ, non sola caro: nam *caro* mea sola per se, si nimirum à spiritu seu divinitate separata foret, *non prodest quidquam* ad vitam æternam conferendam.

Explicat igitur Christus vitæ, quam supra attribuit carni suæ, causam præcipuam esse divinum spiritum suum, carnemque non nisi organum esse seu instrumentum spiritus. Iisdem verbis subindicat manducationem carnis suæ non communem, carnalem scilicet ac ferinam fore, sed spiritualem atque carni divinitati

conjunctæ convenientem. « Nam carnem Christi puram, ait Toletus, ut cæterorum hominum arbitrantes, non solùm vitam non posse dare credebant, sed sensibiliter et carnaliter manducandam putabant. Quod Dominus etiam his verbis rejecit; si enim caro ipsa non propter se, sed propter unitam divinitatem, futura est cibus vitam efficiens, non ergo carnalis modus, et sensibilis est cogitandus, sed qui carni divinitati copulatæ conveniat, qualis est is, quem Dominus postea instituit: ita enim vera nobis caro datur, ut tamen non carnaliter, et sensibiliter, sicut cibi communes, manducetur. »

Hanc interpretationem proponunt S. Cyrillus, S. Augustinus, Toletus, Lucas Brugensis, Maldonatus, Beelen, Liagre, Corluy etc. apud quos confutatas vide varias aliorum sententias. Expositionem nostram illustrat S. Augustinus *tract.* 27 exemplo illius I Cor. VIII, 1: *Scientia inflat, charitas vero ædificat*, i. e. sola scientia, nisi charitati sit unita, inflat; at si adsit charitas, non inflat scientia, sed multa potius per eam bona operatur charitas. Sic caro, si sola adsit, nihil prodest ad vitam, sed prout divinitatis est organum, vitam operatur æternam.

Quomodo vero sententiæ nostræ suffragetur tum usus loquendi Scripturæ, tum nexus cum versu præcedente et sequente, tum etiam scopus Christi, vide apud Corluy.

*Verba, quæ ego locutus sum vobis*, in hoc meo sermone de carne mea ceu pane vitæ manducanda, *spiritus et vita sunt*, i. e. de spiritu vivifico dicta sunt, nimirum de divinitate mea cum carne conjuncta, ac per eam vitæ fonte æternæ, non vero de sola et nuda carne: sola enim caro nihil prodest, cum spiritu verò conjuncta, vivificat.

Christus igitur carnem suam, *spiritum* vocat, propter unitam carni divinitatem; *verba* autem sua dicit *spiritum et vitam*, ratione materiæ, de quà tractant; *spiritum* denique *et vitam* Hebraico more ponit pro spiritu vivi-

ficante, uti patet ex verbis præcedentibus, quibus hæc respondent: *Spiritus est qui vivificat.*

Ex hoc autem quòd verba Christi intelligenda sunt de carne Christi cum divinitate conjuncta, non sequitur excludi manducationem *realem,* sed *carnalem tantùm ac ferinam,* qualem Judæi imaginabantur.

Verba: *spiritus et vita sunt*, nonnulli auctores catholici sic exponunt: spiritualiter intelligenda sunt, non eo sensu quod non re ipsa carnem ejus manducare jubemur, sed quod non carnali modo. « Hæretici verò, ait Maldonatus, interpretantur spiritualiter intelligenda, id est figuratè, metaphoricè, quòd non re ipsa, sed sola fidei apprehensione manducemus, quod absurdum penitus est. Quis enim unquam isto modo locutus est, ut spiritualiter diceret, pro metaphoricè? Sane si ita loqueremur, magis spiritualiter spurcissimus quisque poëta, quàm Christus loqueretur, quia magis metaphoricè, et figuratè loquitur. Et ut fingamus ita quenquam locutum esse, quid erit, *Vita sunt?* an vitaliter intelligenda? hoc enim postulat consequentia, quod nescio an quisquam audire sine risu queat. »

G. V. D. P.

II

Q. *Ostende 1° Judith ornatu suo et blandiloquentia noluisse pellicere Holofernem ad libidinem (Judith IX, 13; X, 2, 3); 2° eamdem suo ad Holofernem accessu neque turpitudinis periculo se temere exposuisse, neque illius libidini vere consensisse* (*XII*, *12-14*).

R. ad 1$^{um}$. Quod Judith ornatu suo noluerit pellicere Holofernem ad libidinem, diserte testatur sacer Historicus, animadvertitque ideo Deum eidem singulari modo cooperatum esse. Ait enim X, 4. *Cui etiam Dominus contulit splendorem: quoniam omnis ista compositio, non ex libidine, sed ex virtute pendebat.* (Nullam ergo nec in

se nec in altero libidinem intendebat): *et ideo Dominus hanc in illam pulcritudinem ampliavit, ut incomparabili decore omnium oculis appareret.* Idem dic de blandiloquentia. Unde Judith « solum intendit et optavit pellicere Holofernem ad amorem sui honestum et castum, quo v. g. poterat Holofernes prosequi Juditham ut futuram conjugem. Et licet probabilibus conjecturis præsciret illum non ad castum, sed ad turpem amorem pellectum iri, quia tamen id non ex natura facti Judithæ, sed vitio ipsius Holefernis futurum erat, et Juditha justissimas haberet causas faciendi quod faciebat, putà ad liberandam patriam suam, et fugandos hostes, poterat negativè seu merè passivè se habere ad peccatum Holofernis, et eo non obstante, curare modis omnibus ut is ad sui amorem pertraheretur. » Tirinus.

Fusius Nicolaus Abramus (*Pharus Vet. Test.* p. 545): « Quid igitur appetebat Judith? Quid enim aliud quàm patriam à vastitate, cives ab internecione, templum ab excidio, paternam religionem à contumeliâ vindicare? Honestissimum hunc finem qui citra controversiam secundum se spectatus è virtute pendebat, ut obtineret, proximum medium elegit cædem Holofernis: justè potuit hostis interfici. Ad eam cædem pervenire non potuit, nisi in ejus cubiculum admitteretur, et vino somnoque demersum per insidias invaderet. Hoc etiam sine peccato potuit eligere. Non potuit admitti, nisi prius Holofernis oculis elegantia formæ placuisset. Virorum oculis placere res est naturâ suâ indifferens et bona vel mala, prout ad bonum malumve finem refertur. Placere porro non potuit, nisi se comptius ornasset, et naturæ pulchritudini fucum ac mundum muliebrem addidisset. Hæc iterum in virtutis ac vitii confinio posita sunt, et perinde se habent, ut ejus animus, quæ elegit: quæ proinde ab heroina nostra non solum sine suo vel alieno flagitio, sed etiam maxima cum laude usurpari potuerunt, quamvis aliunde futurum prævideret ut Holofernes his pro sua intemperantia,

non ad honestum amorem et virtutem, sed ad flagitium et nequitias uteretur, tanquam admissarius ad suas cupiditates adhinniret, et haustam oculis libidinem omnibus modis et corporis et animi devoraret.

Paucis ut absolvam, cum finis honestissimus fuerit, media secundum se spectata nihil turpitudinis habuerint, honeste potuerunt ad persecutionem finis adhiberi, neque propter alienum peccatum, quod præter intentionem suam secuturum prævidebat, tenebatur Judith à cœpto tam præclaro desistere, potiusque permittere ut sui cives partim gladio interirent, partim in servitutem raperentur acerbissimam, templum deflagraret, extingueretur avita religio, quàm ut citra effectum solo nefariæ cupiditatis affectu semel et postremùm peccaret Holofernes, quem ita sciebat animo comparatum, ut nisi elegantia formæ, et orationis venustate deceptus ac mollitus fuisset, reipsa libidinem, injustitiam, crudelitatem omni diritate atque immanitate teterrimam, superbia, impietate, sacrilegiis implicatam in homines, in templum, in castus ceremoniasque paternas, in Deum ipsum paratus esset expromere. »

R. ad 2um. Quod vero Judith suo ad Holofernem accessu neque turpitudinis periculo se temerè exposuerit, neque ejusdem libidini verè consenserit, sic demonstrat Smitsius : « Habuit sanctissima Vidua exornandi se ac Assyriorum castra adeundi justissimam causam; solamque patriæ liberationem intendebat. Rectè confidere poterat de Domino, cujus Providentiæ se enixè ادeò commendaverat, atque à totâ Bethuliensi Ecclesia commendari fecerat, c. VIII, 31, etc. Nulla in facto illo temeritas; maturum ubique consilium, et juges preces: ut proin Judith periculum quod verè suberat, non quæsivisse, sed permisisse dumtaxat, omninò censenda sit.

Et quemadmodum periculum nequaquam quæsivit aut amavit, sic nec in eo ullatenus periit : *sed sine pollutione peccati* ad suos victrix remeavit, c. XIII, 20.

Quod suadebat Vagao, minime persuasit. Verborum horum: *Non vereatur bona puella introire ad dominum meum* etc. duplex, ut rectè reflectit Menochius, erat sententia. Altera simplex et intellectui primùm obviâ, quâ tantùm ad cœnam, ad familiaritatem, ad hilaritatem invitabatur: altera insidiosa et tectior, quâ vocabatur ad flagitium. Et Judith quidem priorem sensum accepit; ideoque se ad ejus obsequium paratam esse respondit. Holofernes autem et Vagao alteram verborum sententiam spectabant, et verborum ambiguitate decepti sunt. Ita ille. Adde et verbis similibus connubium suaderi potuisse, quod sanè, hoc in casu, exemplo Estheris, Judithæ non videtur fuisse illicitum. »

G. V. D. P.

III

Q. *Quæritur utrum Spiritus Sanctus sit causa formalis nostræ justificationis.*

R. Causa generatim definitur: « Principium per se influens esse in aliud. » Principium generatim est id a quo aliquid quocumque modo procedit. Nomine vero causæ designatur id a quo aliquid procedit modo quodam determinato: nempe quatenus id quod dicitur causa per verum influxum suum dat esse alteri rei a se distinctæ: hæc autem res quæ influxu principii transit de non esse ad esse vocatur res facta, seu effectus.

Jamvero dantur quatuor causarum genera: *efficiens*, *finalis*, *materialis* et *formalis:* duo priora sunt effectui *extrinseca*, *intrinseca* vero posteriora. Causarum intrinsecarum propria causalitatis ratio in hoc consistit quod immediata ad invicem unione constituunt aliquod compositum ab utraque inadæquate distinctum. Hoc porro compositum esse potest vel *substantiale*, quando ex unione duorum elementorum exsurgit aliquod ens in suo primo esse constitutum, vel *accidentale* quando

aliquid, in suo primo esse jam constitutum, recipit per accessionem alicujus formæ, aliquod esse secundarium quod complet esse substantiale.

Jamvero si ad invicem comparantur causa materialis et formalis, hæc est earum propria ratio. Causa *materialis* est « id ex quo aliquid fit et est ei inexistens, (puta materia prima respectu rerum materialium, materia secunda respectu artefactorum; item quodlibet subjectum quod forma perficitur, respectu compositi.) » Causa *formalis* est « id quo aliquid est determinatum ad specialem rationem entis, sive sit forma substantialis qua ens corporeum determinatur ad unam speciem in genere substantiæ, sive sit forma accidentalis qua res in suo primo esse jam constituto, determinatur ad participandum esse secundum quamdam perfectionem sibi superadditam. » Billot, *De Sacramentis*, T. I, p. 48 et seq.

Unde si quæritur « utrum Spiritus Sanctus sit causa formalis nostræ justificationis » sensus est : utrum ipsa Persona Spiritus Sancti tamquam forma physica immediate uniatur animæ nostræ tamquam subjecto, ita ut hac unione evadat anima nostra formaliter justa.

Porro huic quæstioni respondendum est *negative*, ut apparet ex sequentibus argumentis.

Arg. I^um^. Si Spiritus Sanctus esset causa formalis nostræ justificationis, nos essemus justi formaliter ipsa Dei justitia. Atqui hoc non est. Ergo.

Declaratur nexus inter conditionem et conditionatum. Jam demonstratum est (*Collat. Brug.* T. III, p. 558 et seq.) nos, in præsenti Providentiæ ordine, justos fieri dono aliquo supernaturali et interno quod permanenter nobis inest : si Spiritus sanctus esset causa formalis nostræ justificationis, tunc Ipse esset præcise hoc donum, et nos essemus formaliter justi quia ipsa Spiritus Sancti, seu Dei, justitia nobis applicaretur ; consequenter essemus omnes eodem modo justi nempe eadem infinita Dei justitia nobis unita.

Negatio conditionati invenitur in ipsa definitione Conc. Trid. docentis: « unica formalis causa (justificationis) est justitia Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit: qua videlicet ab eo donati, renovamur spiritu mentis nostræ, et non modo reputamur, sed vere justi nominamur et sumus, justitiam in nobis recipientes, unusquisque suam secundum mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur singulis prout vult, et secundum propriam cujusque dispositionem et cooperationem. » Sess. VI, cap. 7. (apud Denzinger, *Enchir.* n. 681) Negat ergo Concilium nos, justitia qua Deus justus est, fieri justos. Ergo nostra justitia est diversa a justitia qua Deus justus est, est quædam justitia creata: quod confirmat Concilium docendo hanc justitiam pro diversitate subjectorum esse plus minusve perfectam: « justitiam in nobis recipientes, *unusquisque suam secundum mensuram*, quam Spiritus Sanctus partitur singulis prout vult, et *secundum propriam cujusque dispositionem et cooperationem.*

Arg. 2$^{um}$. Ex ratione. Si Spiritus Sanctus esset causa formalis nostræ justificationis, Ipse esset physice unitus nobis: atqui hoc non est:

Nam hæc physica unio Spiritus Sancti nobiscum esset necessario vel substantialis, vel accidentalis: non enim datur inter hæc medium. Jamvero hæc unio non est substantialis, quia tunc essemus Deus: (1) quod est contra fidem; nec unio hæc potest esse accidentalis: nam, tunc Deus inhæreret nobis tamquam accidens: quod repugnat quum Deus sit ipsum *Esse subsistens.* Ergo Spiritus Sanctus non est causa formalis nostræ justificationis.

*Nota.* Objicies forte: testimonia S. Scripturæ quibus demonstratur (Cf. *Collat. Brug.* l. c.) nos fieri justos

---

(1) Physice et substantialiter, h. e. secundum subsistentiam seu hypostatice unitur Persona Verbi singulari cuidam naturæ humanæ: ideo hic homo, Jesus-Christus, est verus Deus.

dono aliquo physico et interno docent *Spiritum Sanctum effundi in nos*, (Tit. III, 6.) *membra nostra esse templum Spiritus Sancti* (1 Cor. VI, 16): unde videtur ipse Spiritus Sanctus esse id quod immediate et physice nobis unitum facit ut formaliter constituamur justi.

Sed neganda est consequentia: docet utique S. Scriptura nos justificari dono aliquo interno et physico, et etiam in ipsa justificatione nos speciali quodam modo uniri Deo: sed modus illius unionis non determinatur in illis S. Scripturæ textibus. Unde ulterius inquirunt theologi de præsentia seu *inhabitatione* Dei et nominatim Spiritus sancti in anima justi. Ut hanc etiam rem, quæ cum proposita questione est connexa, aliquantisper illustremus, accipe sequentia.

Accurate distinguendus est duplex modus quo Deus inest puris creaturis: (non loquimur hic de unione Verbi ad humanitatem) primus modus ille est quo Deus omnibus rebus intime inexistit, quatenus est omnium causa essendi: omne enim quod existit extra Deum in tantum existit et perseverat in esse in quantum divina virtus ei applicatur, influens esse. Atqui virtus Dei nihil aliud est quam ipsa Dei essentia. Ergo Deus essentia sua omnibus rebus inexistit. Et inexistit maxime quidem intime, quia in rebus nihil intimius quam ipsum esse. Hic modus inessendi omni creaturæ magis explicatur dicendo Deum ubique esse per essentiam, præsentiam, potentiam. Cf. S. Thom. I, q. VIII, a. 2 et 3.

Sed ex revelatione constat dari et alterum modum, omnino a præcedenti diversum, quo Deus animæ justificatæ, formaliter qua tali, præsens est. Anima justificatur formaliter gratia sanctificante quæ, ut ex argumentis superius allatis constat, non est ipse Deus, sed forma creata: anima porro hoc dono ordinatur ad finem suum ultimum supernaturalem, h. e. ad fruitionem ipsius divini boni *prouti est in se*. (Cf. *Coll. Brug.*, T. IV, p. 387). Hæc fruitio *perfecta* habetur in visione Dei intuitiva, *inchoatur* vero aliqualiter hic quatenus homo

« fide adhæret ipsi primæ veritati et caritate ipsi summæ bonitati. » (I Sent. D. 37, q. 1, a. 2) et sic jam Deo unitur ut vero amico qui sua bona *propria* communicat.

Unde statim ac anima donatur gratia sanctificante incipit Deus novo omnino modo inesse animæ, nempe ut objectum amicalis cognitionis et amoris: hæc Dei præsentia, non transitoria sed de se permanens, est *inhabitatio* Dei in anima justa. Quamvis hæc habitatio communis sit tribus divinis Personis, specialiter tamen attribuitur Spiritui Sancto *per appropriationem*. Quum enim hæc inhabitatio Dei sit summum donum et consequenter effectus divini amoris, hæc specialiter tribuitur Spiritui Sancto quippe qui est « *Amor* » Dei, sicut Filius est Verbum.

Rejicitur ergo sententia Petavii asserentis aliquam cum justis unionem *propriam Spiritui Sancto, non communem tribus personis*. Hæc unio, ait Petavius, « in hypostasi sive persona inest Spiritus Sancti: adeo ut certa quædam ratio sit, qua se Spiritus Sancti persona sanctorum, justorumque mentibus applicat, quæ ceteris personis (divinis) eodem modo non competit. » (*De Trinitate*, L. VIII, c. VI, n. 6.) Rejicitur etiam sententia Petavii asserentis specialem Spiritus Sancti applicationem ad animam esse formalem rationem filiationis adoptivæ (l. c. c. 7, n. 8), quæ (secundum Petavium) non habetur per solam gratiam sanctificantem: tenemus enim gratiam sanctificantem esse solam causam formalem tum justificationis tum simul adoptionis filiorum. Sed hæc innuisse sufficiat: ulteriorem hujus rei disputationem ad alium locum remittimus.

J. V. D. M.

IV

Q. *Ex verbis Institutionis, apud Joan. XX, 22 et 23, ostende sacramentum Pœnitentiæ esse institutum* in modum judicii.

R. Judicium constat duobus: cognitione causæ et prolatione sententiæ judicialis: utrumque autem elementum sacramento Pœnitentiæ inesse deducimus ex verbis apud S. Joan. l. c. relatis. Et revera

A/ Sententiam confessarii esse sententiam vere *judicialem*, in qua proferenda *agit judicem* seu exercet veram potestatem *judiciariam*, ita ostenditur: Nimirum potestas judiciaria est potestas 1°/ *jurisdictionalis* et 2°/ *bipartita*, sese extendens ad duo opposita (ad remittendum aut retinendum), et ad unum determinanda *ope judicii, in ipso potestatis usu exercendi*. Attende ultima verba, quia ut potestas aliqua sit judiciaria, non sufficit ut ad eam exercendam, *prævio actu* postuletur judicium de opportunitate illà utendi vel non, sed ut *in ipso potestatis usu* judicium exerceatur.

Jamvero, in laudato textu classico, confertur a Christo Domino

1°/ potestas *jurisdictionalis* in peccatores, quippe quæ continetur in potestate *remittendi* peccata: peccatum namque non deletur *in modum remissionis*, nisi *directe et immediatè* condonetur ipsa *offensa* imputabiliter remanens. (1)

Porro offensa formaliter sumpta condonatur et proprie remittitur (non tantum nuntiatur condonata) per solum offensum vel per alium qui relate ad offensorem

(1) In peccato habituali distinguuntur, etsi non realiter, macula peccati et ipsa offensa quoad reatum perseverans, et ideo duplici ratione formali potest auferri peccatum: in sacramento Pœnitentiæ deletur peccatum *in modum remissionis*, destruendo *directe* ipsam offensam, in Baptismate vero *in modum ablutionis*, auferendo *directe* ipsam maculam. Cfr. Billot, *De natura et ratione peccati personalis*, thesi 5ª.

in eadem habitudine constituitur ac ipse offensus; offensus autem *qua talis* respectu offensoris *qua talis* sistitur tanquam superior relate ad subditum, vera auctoritate gaudens in eum in ordine ad remittendam necne offensam factam; cum autem hic agatur de offensa *contra legem*, dicta potestas non sufficit ut sit privata dumtaxat sed requiritur ut sit vera potestas *jurisdictionalis*.

2°/ Est simul « potestas *bipartita*..... » Etenim a/ porrigitur potestas a Christo accepta ad remissionem vel ad retentionem peccati: « quorum remiseritis peccata remittuntur eis, et quorum retinueritis peccata, retenta sunt »; ita ut negatio absolutionis seu retentio peccati sit usus ipsius potestatis collatæ æque ac absolutionis elargitio.

b/ Ex hoc quod ipsa potestas sese habeat indifferenter ad duo opposita, *in ipso suo exercitio* est determinanda ad unum, ope judicii quod sit usus ipsius potestatis. Apprimè igitur distingue, juxta superius dicta, hoc judicium sacramentale in ipsa sacramenti collatione instituendum, huic sacramento plane proprium, a judicio prudentiali prævio de opportunitate conferendi sacramentum vel non, quod judicium commune est cæteris sacramentis.

Qua attenta distinctione melius intelligetur cur reliqua sacramenta et signanter Baptisma non sint instituta in modum judicii, quamvis penes baptizantem sit neophytum abluere et a peccato mundare vel non, pro prudenti judicio suo. Quæ ipsa comparatio nata est totam rem illustrare.

Imprimis a/ potestas baptizandi auctoritate quidem Christi exercetur sed non est potestas *jurisdictionalis*, uti liquet ex dictis supra in nota.

nec b/ sese habet ad duo opposita, siquidem sola collatio Baptismatis pertinet ad potestatem baptizandi non autem ejus negatio, quippe quæ negatio non est usus potestatis sed merus *non-usus*.

Tandem c/ nullum exercetur judicium *in ipsa hujus sacramenti administratione*, sed tantum, *prævio actu*, judicium postulatur prudentiale ad discernendam opportunitatem baptizandi vel non; quemadmodum docet Palmieri: « hoc judicium non est actus potestatis baptizandi..., sed est actus *præcedens* exercitium illius potestatis, requisitus ex rei natura et æque necessarius quoad cætera sacramenta, ex ea lege quod non est dandum Sanctum canibus ». Cfr. *Tractatus de Pœnitentia*, thesi XI; collato Billot, *De Sacramentis*, II, thesi 1ª et 2ª.

B/ *Quoad cognitionem causæ:* Si *in ipso potestatis exercitio*, seu in ipsa sacramenti administratione, instituendum est a sacerdote judicium, ope cujus determinetur potestas in alterutram partem, in absolutionem nempe concedendam vel negandam, ad ipsum sacramentum pertineat oportet causæ dijudicandæ subjectio. (1) Sequetur autem præfata criminum subjectio naturam instaurandi judicii: quod si non sit in vindictam criminis sed in rei reconciliationem, petitur ut *spontanee* fiat illa accusatio ab ipso reo, qui sit actor et reus, procedatque ex displicentia peccati.

A. D. S.

V

Q. *Solve sequentem difficultatem contra honestatem attritionis proponi solitam: Qui atteritur de peccatis ex metu inferni plus timet infernum quam horret peccatum. Atqui hoc est inordinatum. Ergo inhonesta est attritio ex metu gehennæ concepta.*

R. *Ad Maj.:* Qui atteritur de peccatis ex metu inferni, plus timet infernum quam horret peccatum,

(1) Pro momento abstrahimus a quæstione scholastica, utrum causæ submissio pertineat ad sacramentum tanquam essentiale constitutivum ipsius signi sacramentalis, uti volunt Thomistæ, an vero tanquam conditio sine qua non, ad mentem Scotistarum.

*distinguo Maj.:* intensive *Conc. Maj.;* appretiative, *subdist.:* si atteritur de peccatis ex metu inferni seu ut vitet infernum *exclusive*, positive nempe excludendo omnia alia odii motiva seu ordinando attritionem suam in fugam inferni tanquam in finem ultimum, *Conc. Maj.;... præcisive,* abstrahendo scilicet a reliquis motivis seu ordinando suam attritionem ad fugam inferni tanquam ad finem proximum, præscindendo ab ulteriori relatione, *Nego maj.*

*Ad Min.:* Atqui timere infernum plus quam horrere peccatum est inordinatum, *contradist, min.:* timere plus *appretiative, conc. min.; intensive, Nego.*

*Ad concl.:* Ergo inhonesta est attritio ex metu inferni concepta, *contradist. concl.:* si est concepta ex metu inferni *exclusive...* conc.; si *præcisive, Nego.*

*Explicatur.* Peccatum, utpote offensa Dei, Summi Boni, est summum malum, adeoque positiva inordinatione inordinatum esset et inhonestum infernum habere ceu majus malum quam peccatum (appretiative plus timere), etsi salvo ordine possit quis majori animæ *intensione* (1) horrere infernum quam peccatum. Porro qui peccatum aversatur propter metum inferni non tantùm timore gehennæ *intensius* commovetur quam horrore peccati, sed etiam videtur habere infernum tamquam malum ipso peccato majus. Juxta vulgatum enim axioma « propter quod unumquodque tale, et illud magis » seu verbis utendo S. Thomæ, in supplemento Partis III, qu. 3ia, art. 1° ad 4m « quod propter aliud oditur, minus oditur ».

Atvero non valet invocatum adagium nisi, aliis quibusvis odii motivis positive exclusis, *tota ratio odibilitatis* reponatur in pœna inferni adnexa, seu, quod idem est,

(1) Cfr. Boucquillon, *De virtutibus theologicis,* n. 419 et Ill. Lambrecht, *Verklaring van den Mechelschen Catechismus,* p. 267: *intensio* odii vel amoris sese habet *per accidens,* quippe quæ pendet a dispositione subjectiva vel a modo apprehendendi.

fuga inferni attrito sit *in finem ultimum* (1); contra, fallitur adagium quotiescumque attritus præscindit ab aliis rationibus quæ reddunt peccatum odibile et fuga inferni ipsi est in finem proximum ad ulteriorem finem referibilem: movetur quidem hic et nunc per metum gehennæ, sed pœna inferni pro ipso non explet totam rationem *odibilitatis* quæ inest peccato.

« Sic v. gr. justus qui videns suspendi furem odit furtum propter patibulum, seu ut evitet suspendium, non sequitur tamen quod odiat magis suspendium quam furtum, siquidem, cum supponatur justus, si inter utrumque faceret comparationem et alterutrum, aut furtum aut suspendium, eligendum proponeretur, magis eligeret suspendi quam furari. Item justus diligit Deum propter retributionem; non tamen sequitur quod magis diligeret retributionem quam Deum. Similiter igitur qui odit peccatum propter infernum, non sequitur quod magis (appretiative) odiat infernum, quia licet de facto non odiat peccatum propter aluid motivum, quia, ut suppono, adhuc peccator est sine amore Dei benevolo; attamen illud motivum seu metus inferni cum non sit finis ultimus, quantum ex se non excludit aliud motivum, puta amoris, licet etiam non includat, sed ab illo abstrahit imo ad illud inducit et disponit ». Billuart, *Tractatus de Pœnitentia*, dissert. IV, art. V ad obj. 2m.

Attende ultima hæc verba: « imo ad illud inducit etc. »; revera timor inferni esset inefficax, nisi excluderet voluntatem peccandi, adeoque nisi disponeret ad odio habendum positive omne peccatum grave supra infernum.

Hac ratione attritio ex metu inferni concepta purgatur a prætensa inordinatione, quasi importaret odium inferni appretiative majus quam odium peccati.

*Nota*. Prædictum responsum *solam* vindicat *honesta-*

(1) Hac in hypothesi timor inferni foret *serviliter servilis*, nec peccatum verè odio haberetur ab hujusmodi attrito, cum eo ipso convinceretur esse paratus ad peccandum si id posset impunè.

*tem* attritionis ex timore gehennæ procedentis, quatenus ipsi nulla insit *positiva* inordinatio seu ordinis disturbatio; attamen ordini contradicit *negative* seu deficit a perfectione. Et revera si dicta attritio non includit, uti vidimus, odium inferni supra peccatum (in quo esset positiva inordinatio), neque includit *actu exercito* odium peccati supra infernum. Ad perfectionem autem actus requireretur ut peccator *positive et exercite* feratur in peccatum tanquam *in odibile super omnia*, cum objective sit summum malum.

Hoc tamen non impedit quominus excludatur in attritione *omnis voluntas peccandi*, etsi nequeat dici odisse peccatum supra infernum: ad illud enim sufficit ut detestationi sit peccatum super omnia mala *quorum timor potest inducere in peccatum*, timor autem inferni nequit inducere ad peccandum, e contrario. Hoc unicum inde sequitur, attritionem nempe de qua agitur non esse *appretiative summam* (bovenal) *simpliciter et absolute*, sicuti contritio perfecta: contritio nimirum perfecta includit *positivo actu* odium peccati *super omnia omninò mala*, cum procedat ex amore Dei perfecto, quo fertur homo in Deum supra omnia dilectum adeoque in peccatum supra omnia detestatum; attritio vero ex metu inferni concepta non est appretiative summa nisi *cum addito*, quippe quæ non importat odium peccati super omnia mala *absolute*, sed super illa dumtaxat *quorum timor inducit ad peccandum.*

A. D. S.

## VI

Q. *Quid in Const.* « OFFICIORUM AC MUNERUM » **De prohibitione et censura librorum**, *statuitur de libris acatholicorum? Brevis detur in hac re decretorum commentatio.*

R. In Decretis a R. P. Leone XIII editis unaque cum Const. « OFFICIORUM AC MUNERUM » conjunctis

plura occurrunt libros acatholicorum (1) spectantia, e quibus apparet alia prædictorum auctorum opera *omnino* seu *absolute*, alia minus absolute seu *cum aliquo temperamento*, alia *minime*, lege generali Ecclesiæ prohiberi.

I. *Absolute* seu « *omnino* prohibentur », ita ut nemini fas sit ipsos edere, legere, retinere aut venales habere qui legitimam veniam non fuerit assecutus (cf. art. 23 et 46), « *libri* apostatarum, hæreticorum, schismaticorum et quorumcumque scriptorum, *hæresim vel schisma propugnantes,* aut *ipsa religionis fundamenta utcumque evertentes* » (art. 2).

Quinimo « omnes et singuli *scienter legentes*, sine auctoritate Sedis Apostolicæ, libros *apostatarum* et *hæreticorum hæresim propugnantes*,... eosdemque libros *retinentes*, *imprimentes* et quomodolibet *defendentes, excommunicationem* ipso facto incurrunt, *Romano Pontifici speciali modo reservatam* » (art. 47).

Absolutæ igitur *prohibitioni* subsunt quæcumque opera, etiam si molem libri stricte talis non attingant, in quibus auctor accitis rationibus stabilire et suadere conatur errorem contra aliquod fidei dogma, vel separationem seu discessionem ab Ecclesiæ unitate aperte tuetur ; aut utcumque, argumentis scilicet ex quocumque fonte petitis, et quocumque modo, sive seria impugnatione, sive joco et irrisione, directe vel indirecte, eas veritates quæ revelationi necessario substernuntur quibusque religio tanquam fundamento innititur (2), evertere seu destruere intendit.

(1) *Acatholicorum* nomine intelligendi videntur omnes, etiam non baptizati, qui quocumque modo a communitate catholica alieni reputantur, puta pagani, judæi, aliique infideles, hæretici, schismatici, apostatæ.

Quum in præsenti unice quæstio sit de libris acatholicorum, qua talibus, loqui prætermittimus de libris articulo primo prohibitis, quamvis multi ex illis ab hæreticis conscripti fuerint.

(2) Plerique auctores, nonnullis tamen contradicentibus, *religionis fundamenta* intelligunt de solis veritatibus *ordinis naturalis*, quibus tamquam fundamento *quæcumque religio revelata* innititur ; non vero de fundamentalibus religionis *catholicæ* dogmatibus. Quidquid sit, libri hæc dogmata evertentes ut prohibiti sunt habendi quatenus hæresim propugnant.

*Censura* autem unice plectuntur libri *stricte dicti*, ab *apostatis* a christiana fide vel *hæreticis* conscripti, qui ad evincendam *hæresim* diriguntur; atque hi soli excommunicationis vinculo perstringuntur, qui *scienter* et *notabiliter* delinquunt sive legendo, sive apud se vel alium retinendo seu conservando, sive imprimendo (hoc est edendo vel proxime impressioni cooperando), sive quomodolibet, physice nempe vel moraliter, defendendo hujusmodi libros.

II. Præter hos libros penitus et omnibus prohibitos, alia sunt acatholicorum opera quæ, licet de se suspecta aut proscripta, *certa tamen lege* seu conditione *omnibus vel certis saltem personis permittuntur;* videlicet:

1° Per se omnibus « prohibentur acatholicorum libri, *qui ex professo de religione tractant* ». Verumtamen hi libri omnibus permittuntur, si « *constet nihil in eis contra fidem catholicam contineri* » (art. 3).

Ut autem liber censeatur *ex professo de religione tractare*, non sufficit ut obiter quædam de ea proponat, sed requiritur ut auctor, vel in toto libro, vel in notabili saltem ejus parte, ex instituto, enucleate et cum argumentorum serie atque delectu, disserat de argumento quod fidei dogmata, mores, aut disciplinam ecclesiasticam respicit.

Hi igitur libri ut impune legi ac retineri valeant, necesse est ut certo moraliter constet nihil in eis, quod sit alicujus momenti, fidei catholicæ contrarium contineri.

2° *Regulariter* interdicuntur « *editiones textus originalis et antiquarum versionum* catholicarum Sacræ Scripturæ, etiam Ecclesiæ Orientalis, ab acatholicis quibuscumque publicatæ »; item « *aliæ versiones* Sacrorum Bibliorum, sive *latina,* sive *alia lingua non vulgari* ab acatholicis editæ »; demum « *versiones omnes* Sacrorum Bibliorum, *quavis vulgari lingua* ab acatholicis quibuscumque confectæ, atque illæ præsertim, quæ per Societates Biblicas, a Romanis Pontificibus non semel damnatas,

divulgantur ». Hæ nihilominus editiones et versiones iis permittuntur « *qui studiis theologicis vel biblicis dant operam*, modo tamen non impugnentur in prolegomenis aut adnotationibus catholicæ fidei dogmata « (art. 5, 6 et 8).

Ex his patet editiones textus orignalis et cujuscumque versionis Sacræ Scripturæ, quatenus auctor non est catholicus, omnibus per se prohibitas esse; atque illis duntaxat permitti qui habitualiter, non autem actu mere transeunte, sive in scholis, sive privatim, studia theologica vel biblica excolunt; et neque his, si in prolegomenis aut adnotationibus impugnentur seu allatis rationibus impetantur fidei catholicæ dogmata.

III. Quod vero spectat cæteros acatholicorum libros, « *qui ex professo de religione non tractant, sed obiter tantum fidei veritates attingunt* », articulo quarto sancitur, quod usu jam invaluerat, ut « *jure ecclesiastico prohibiti non habeantur,* donec *speciali decreto* proscripti haud fuerint ».

Hujusmodi ergo libri, etsi forte errorem aliquem contra fidem contineant, *omnibus* jam *permittuntur*, nisi speciali decreto in Indicem fuerint relati, aut proximam alicui peccandi occasionem præbeant.

C. V. C.

# Evangelia Dominicarum

## Dom. XXII post Pentecost.

*De tributo Cæsari solvendo.* Matth. XXII, 15-21.
Cf. Marc. XII, 13-17; Luc. XX, 20-26.

***

Te dien tijde 15 gingen de Pharizeërs weg, en hielden te zamen raad, ten einde Jesus in zijne rede te verstrikken. 16 En zij zonden tot hem hunne leerlingen met de Herodianen, zeggende: Meester, wij weten dat gij waarachtig zijt, en den weg Gods naar waarheid leert, en u aan niemand en stoort: want gij en ziet den persoon der menschen niet aan. 17 Zeg ons dan: wat dunkt u? is het geoorloofd den keizer schatting te geven, of niet? 18 Doch Jesus hunne boosheid kennende, zei: Wat beproeft gij mij, gij huichelaars! 19 toont mij den schattingpenning. En zij brachten hem eenen penning. 20 En Jesus zegt tot hen: Wiens is dit beeld en het opschrift? 21 Zij zeggen tot hem: Des keizers. Toen zegt hij tot hen: Geeft dan aan den keizer wat den keizer toekomt, en aan God wat God toekomt.

***

### Notationes

15 *Consilium inierunt*, quamquam jamdiu experientia didicisse debuerant nullum valere consilium adversùs Dominum, *ut eum caperent*, græce illaquearent, irretirent, *in sermone*, in verbis ipsius. « Christi objurgationibus, licet æquissimis, magis magisque exacerbati, nec quo se defenderent habentes, ipsum e vivis tollere statuerant. Ut autem improbitati suæ aliquam juris speciem coram plebe præferrent, rationem inierunt de

illaqueando eum captiosa quadam quæstione: hoc sperantes, ut aliquid ab ipso elicerent cujus obtentu accusari posset apud Romanum præsidem. Cf. Luc. XX, 20. Quare

16 *Mittunt ei discipulos suos cum Herodianis*... Jesum, a quo pluries palam redarguti fuerant, ipsi per se adoriri non ausi, quibusdam e discipulis suis negotium committunt.

Sperabant aliàs eum facilius captum iri ab ignotis, horumque cladem, si forte res male gereretur, minoris momenti esse futuram.

*Herodiani* quinam fuerint, non constat. Utrum civilis factio, an ecclesiastica esset, dubitatur. Merito tamen habentur pro fautoribus Herodis, cujus exemplo a Cæsaris et Romanorum partibus stabant. Propterea Pharisæi illos discipulis suis nunc adjecerint: ut isti videlicet illis testibus crimen majestatis Christo objectarent, si quidem, ut sperabant, is negaret tributum Cæsari a Judæis licite solvi.

*Magister, scimus quia verax es*,... Hæc profecto vera et Christo digna: at in ore eorum adulatoria et insidiosa verba sunt, quibus se incautum irretire et responsum, quod exoptant, ab eo auferre posse inepte arbitrantur. Vehementer quippe exoptabant, invidiæ plebis declinandæ causa, Jesum coram præside Romano majestatis accusari.

*Viam Dei in veritate doces*,... i. e. viam, quam Deus homines sequi jubet, sive divina mandata, sincere et ingenue doces, nullo prorsus humano respectu motus, nullaque personarum ratione habita. — *Respicere personam* seu, quod Lucas habet, *accipere personam* alicujus, locutio est Hebræis usitatissima de eo qui partium studio ducitur: qui proinde docet et judicat non pro rei veritate aut æquitate, sed pro personarum conditione et fortuna.

17 *Dic ergo nobis quid tibi videtur*,... i. e. Quum igitur dignus plane sis cui credatur, neque cuiquam sit

verendum ne, ut alii plerique, Cæsaris metu, a vero et recto definiendo avertaris, dic nobis, hac de re anxiis, quid sentias: utrum scilicet, salva lege et conscientia, liceat nobis, qui populus Dei sumus, Cæsari, viro gentili, tributum solvere; an non? In alterum hunc sensum propendebant Pharisæi, quibus, non secus ac reliquo populo, hoc onus, ut omnino romanum imperium, maxime invisum erat: ut adeo nonnisi inviti tributum solverent. Captiosa ergo erat quæstio Jesu nunc proposita: quam qui instituunt *insidiatores* a Luca (XX, 20) merito appellantur. Si enim tributum Cæsari solvendum esse negasset, Herodiani illico eum seditionis accusabant; si vero solvendum dixisset, in odium populi, libertatis suæ cupidissimi, incurrebat.

18-22 *Cognita autem...* Christus divina sua scientia compertam habens eorum, qui ipsum interrogabant, improbitatem atque astutiam (Luc. XX, 23), *Quid me tentatis,* ait, *hypocritæ?* aperte his significans pessima illorum consilia se minime latere. Quum autem insidiatoribus responsum negare jure ac merito potuisset, maluit, illorum fraude jam detecta, quid ea de re sentiendum esset, ad fidelium suorum doctrinam, declarare.

*Numisma census* h. e. numum quo tributum penditur.

*Obtulerunt ei denarium.* Denarius argenteus, qui illa ætate sexdecim asses valebat, tributum erat in singula capita a Judæis populo romano quotannis pendendum. Cæsaris effigies et nomen ei inscripta erant.

*Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari.* Pharisæi, numum romanum, imagine et inscriptione Cæsaris ornatum, tamquam pecuniam in Judæa vulgatam exhibendo, eumque *numisma census* palam agnoscendo, tacite significabant Judæos potestati Romanorum subesse. Sin aliter, non eo erant animo ut numisma externum, præsertim ethnica imagine signatum, in usu haberent. Quare Christus ex illorum responso merito colligit: *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari.* q. d. Supervacanea prorsus est hæc vestra quæstio. Si enim, quod

ipsi ultro agnoscitis, Cæsaris subditi estis, reddite ergo illi tributum quod a subditis debetur. At Deo quoque cujus multo magis subditi estis, tributum in usus templi debitum (et quæcumque a vobis requirit) persolvite. Quo prudenti responso insidiatorum consilia frangit atque frustratur. Nullam quippe reprehensionis sive coram præside romano sive coram plebe ansam habet. Idcirco illi, sapientiam et prudentiam ejus mirati, nihilo tamen meliores effecti, abierunt. » Liagre. Cf. Van Steenkiste.

## Conclusio

1 « Moraliter: docet nos hic Christus prudentiam, ut apud captiosos ita sapienter loquamur et sermonem temperemus, ut neutram partem offendamus; sed inter duas aquas natemus, ac inter Scyllam et Charibdim enatemus.

2 Politice: Christus hîc tacite monet Cæsares et principes, ut suis contenti, Dei et Ecclesiæ negotiis sese non ingerant » a Lapide.

3 « Discendum ex hac Christi responsione, Christianos etiam ethnicis principibus obsequi debere, sed dum aliquid petunt ex suis rebus, eisque in quæ imperium obtinent. Nam si petant divinum sibi exhiberi honorem, aut aliàs aliquid contra Deum præcipiant, non est quod petunt reddendum, quia non quod suum est petunt, sed quod Dei est. *Reddite*, inquit, *Cæsari*, sed *quæ Cæsaris sunt,* quæque tanquam suo jure postulare potest.

4 Addit autem admodum opportunè, *et quæ sunt Dei Deo*, primùm ne calumniari illum possent, quasi populum Dei subjiceret homini, et non Deo, Deique gloriam non, ut videri volebat, in primis assereret et quæreret. Nam illa erat altera calumniæ pars, in quam lapsurum Dominum sibi persuadebant, si diceret censum Cæsari dandum. Itaque illam calumniam præripiens, adjecit, *reddite item quæ sunt Dei Deo*, significans census solutionem non esse contrariam his quæ debentur Deo, nec

obesse quicquam pietati si res humanæ hominibus darentur. Secundò istud Dominus adjecit, ut illos ob avaritiam (prætextu tamen pietatis) anxios de solvendo censu, notaret neglectæ pietatis in Deum. Non enim admonendi fuerant, nisi in eo fuissent negligentes. Perinde ergo est ac si dixisset: Solliciti estis de solvendo censu, cum istud, utpote non contrarium pietati, obiter facientes, potius id curare deberetis ut quæ Dei sunt, Deo redderetis, cui nihil tam datur quàm redditur, utpote a quo accepta sunt quæcunque ei dari possunt. Sunt autem Dei ea quæ Deus ab hominibus requirit, Deoque sunt debita, primitiæ scilicet, decimæ, honor ipsius, reverentia, et dilectio ejus super omnia. Dicitur enim Deut. 10: *Et nunc, Israel, quid Dominus Deus tuus petit a te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum, et ambules in viis ejus, et diligas eum, ac servias ei toto corde tuo* etc. Cum autem omnia quæ habet homo in bonis vel animæ, vel corporis, vel fortunæ, sint ipsius Dei, omnia hæc quodam modo Deo sunt reddenda. Id autem fit, cum omnia Dei dona illi accepta ferimus, eisque omnibus utimur secundùm illius voluntatem, et ad ipsius gloriam. » Jans. Gand.

« *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo*, id est, imaginem Cæsaris Cæsari quæ in nummo est, et imaginem Dei Deo quæ in homine est; ut Cæsari quidem pecuniam reddas, Deo temetipsum. » Tert. *de idol.* 15.

G. V. D. P.

# Ordo Missæ

SEU

## precum et ceremoniarum Missæ interpretatio

—

*(Sequitur. — Cfr. suprà pag. 404.)*

—

26 Dicta oratione *Veni Sanctificator* Sacerdos junctis manibus, progreditur ad Epistolæ latus, ubi sibi manus, *extremam scilicet pollicum et indicum partem* lavat, dicens: *Lavabo* etc. Hujus autem ritus rationem sic explicat S. Thomas: « Ablutio manuum fit in celebratione Missæ propter reverentiam hujus sacramenti et hoc dupliciter: primò quidem quia aliqua pretiosa tractare non consuevimus nisi manibus ablutis; unde indecens videtur quod ad tantum sacramentum aliquis accedat manibus etiam corporaliter inquinatis. Secundò propter significationem, quia, ut Dionysius dicit... extremitatum ablutio significat emundationem etiam a minimis peccatis, secundum illud (Joan. XIII, 10): *qui lotus est non indiget nisi ut pedes lavet.* Et talis emundatio requiritur ab eo qui accedit ad hoc sacramentum. » (1) — Ratio prior potius congruit manuum lotioni, quæ fit antequam sacerdos missam celebraturus paramenta sacra induat; minus vero illi quæ fit, durante missa, (nisi forte in missa solemni, ubi celebrans thuribulum tractando manus inquinare posset). Alteri igitur rationi np. morali præcipue hic innitendum, quam jam explicaverat S. Cyrillus Hierosolymitanus scribens: « Illa manuum ablutio symbolum est oportere vos a peccatis omnibus et iniquitatibus mundari. Cum enim per manus designentur actiones, lavare certe easdem

(1) 3 part. q. LXXXIII, art. 5, ad 1m.

munditiem et puritatem operum significat... Itaque manus abluere est symbolum, non obnoxium esse peccatis » (1). Ad hæc attendat sacerdos et dum accedit ad ablutionem istam, mente oret cum Propheta: *Amplius lava me ab iniquitate mea...* Et sane « si patena et calix non solum debent esse pretiosa, ex auro scilicet vel argento, sed etiam mundissima a quocumque pulvere et macula, eo quod sanctissimum corpus et sanguinem Salvatoris contingant, quanto erit magis rationi consentaneum sacerdotes habere manus mundas a pravis operibus, linguam a verbis ineptis, et pectus suum a malis desideriis et cogitationibus, et sese purificare ab omni immunditia etiam valde parva » (2). Quare Ecclesia jubet sacerdotem, dum sibi manus lavat, recitare versus quosdam Ps. XXV, quibus Propheta sanctus protestatur coram Domino de innocentia suæ vitæ ac morum puritate; sic tacite illum monens qualis ipsemet esse debeat ut dignus habeatur qui sacrificium divinum offerat.

*Lavabo... Domine:* Manus meas mundas servo vivens in innocentia (hebr.) seu innocens est vita mea et ab inquinamento peccati pura; quare audeo ascendere ad altare tuum, Domine, *ut audiam... tua* i. e. ut audire faciam (hebr.) seu celebrem laudem tuam et enarrem mirabilia potentiæ ac misericordiæ tuæ. Ceterum *Domine, dilexi decorem,.. tuæ,* in deliciis habeo in domo tua, in ecclesia ubi habitas, conversari ibique sacris muniis fungi. *Ne* (igitur) *perdas cum impiis animam meam et cum viris sanguinum,* cum viris scelestis *vitam meam; in quorum manibus iniquitates sunt* seu quorum opera iniqua sunt; et signanter *dextera eorum repleta est muneribus* i. e. non dubitant muneribus judices corrumpere, vel ipsi munera acceptant ut innocentes condemnent; sensus ergo generalis est: « Domine, ne agas mecum

(1) *Catech. mystag.* V, n. 2.

(2) De Ponte *De christiani hominis perf.* tom. IV, tr. II, cap. VI, § 1.

sicuti cum hominibus impiis, perversis et injustis, qui flagitiis suis iram tuam ac vindictam provocant ». Nam ego prorsus ab eis dissimilis, gratia tua præventus et adjutus, *in innocentia mea ingressus sum,* vitam duxi inculpatam; quapropter *redime* seu libera *me et miserere mei;* siquidem *pes meus stetit in directo* (hebr. in via plana) i. e. ambulavi continuo in via recta et sancta, atque *in ecclesiis* seu piorum cœtibus *benedixi te Domine*, ac semper *benedicam* (1).

Apposite animadvertit Dion. Carthus.: « Ecce ex psalmo isto sententioso ac splendido audivimus quid ad christianum perfectum pertineat. Si igitur aliquid horum in nobis invenimus, Deo gratias referamus et ad perfectionem (majorem) feramur. Si autem prædictæ perfectiones viri perfecti longe a nobis sunt, ingemiscamus, emendemur atque, juxta verbum gloriosi Apostoli, cum timore et tremore nostram operemur salutem ». (2)

*
* *

27 « Sacerdos, manuum ablutione peracta, ad medium altare se confert, super quo junctas manus tenet, ac nonnihil inclinatus secretò orationem dicit: *Suscipe, S^ta Trinitas* » (rub.) Hic et alibi pluries per Missam jubetur celebrans manus jungere et corpus inclinare; qui gestus « est suppliciter et humiliter orantis, et designat humilitatem et obedientiam Christi ex qua passus est ». S. Thomas, l. c. ad 5^m.

Postquam sacerdos sejunctim panem et vinum obtulit, nunc utramque materiam simul offert Sanctissimæ Trinitati una oratione, circa quam duo maxime veniunt animadvertenda:

Primò, in illa oratione mentio fit de *passione, resurrectione et ascensione D^ni N. J. Ch.*, cujus rationem

(1) Cfr. Van Steenkiste, in h. ps.
(2) *Comment.* in ps. XXV.

pulchre explicat Bened. XIV, ut sequitur: « In sacrificiis judaicis mactanda victima eligebatur, atque per ejusmodi electionem quasi sanctificata censebatur, et a profano usu semota: in Incarnatione itidem victima selecta fuit, et sanctificata; humana enim electa fuit Christi natura, eaque cum natura divina hypostatice conjuncta, ac per eam unionem conflata fuit victima digna, quæ Deo sacrificaretur. — In iisdem Judæorum sacrificiis victimam sacerdos offerebat antequam mactaret: primam itidem victimæ oblationem ante ejus immolationem fecit Christus in momento Nativitatis suæ; *Ingrediens enim mundum dicit: Holocautomata pro peccato tibi non placuerunt. Tunc dixi: Ecce venio ut faciam, Deus, voluntatem tuam....* In sacrificiis Judaicis sacrificabatur victima ejusque sanguis circum altare spargebatur: in Lege nova nostra fuit victima mactata in cruce, ubi se ipse Christus obtulit Patri in nostrorum expiationem peccatorum, suumque sanguinem fudit circum altare, cum sacrum ejus latus lancea transfixum est. — In sacrificiis Judaicis victima incendebatur super altare holocaustorum, ut quidquid in ea vitii esset, flammis absumeretur, et fumus ad cœlum tolleretur *in odorem suavitatis*, ut scriptura loquitur. In nova Lege consumpta fuit victima in Christi Resurrectione et Ascensione. Nam in Resurrectione absorptum fuit in Christo *quod mortale est a vita,* ut ait Apostolus 2 Epist. ad Corinth., absorptumque fuit quidquid inesse poterat corruptibile; et in Ascensione victima a Deo accepta in odorem suavitatis, et ad ejus dexteram fuit collocata. — Denique in sacrificiis Judaicis populus partem victimæ commedebat; et in die Pentecostes populus *communicavit victimæ,* ut Scripturæ loquuntur; nam discipuli Christi Domini tunc cum eo sunt concorporati, eique tanquam membra capiti, juxta verba Apostoli, adhæserunt ».

« Quapropter in hac oratione Ecclesia Græca de Incarnatione, de Nativitate, de Passione, de Resurre-

ctione, de Ascensione, deque Spiritus Sancti adventu mentionem facit. Quod si nunc Romana Ecclesia in eadem oratione Passionem, Resurrectionem et Ascensionem solùm commemorat, in causa illud est, quòd in tribus hisce mysteriis, quæ sunt præcipuæ sacrificii partes, optime repræsentantur immolatio victimæ et consumptio ». (1)

Secundò, SS^mæ Trinitati offerimus divinum sacrificium non tantum ad memorandum Redemptionis nostræ beneficium deque eo gratias referendum, sed etiam *in honorem* (2) Sanctorum, qui Dei sunt amici et filii regnique ejus hæredes, ac Christi membra electa et gloriosa: quare honor et gloria quæ sacrificio altaris Deo et Christo tribuuntur redundant in Sanctos. Inter hos fit mentio expressa primùm *Beatæ Mariæ Virginis*, Sanctorum Reginæ, quæ ex carne sua virginea Victimæ divinæ corpus suppeditavit; dein *S^ti Joannis Baptistæ*, qui, ut. Præcursor Christi, hunc annuntiavit tanquam Agnum Dei qui tollit peccata mundi; tandem *SS. Apostolorum Petri et Pauli*, qui inter Apostolos et præcones Christi crucifixi præcipuum tenuerunt locum. Additur autem *istorum et omnium Sanctorum:* sub nomine *istorum* intelliguntur vel illi mox nominati vel illi quorum reliquiæ in altari reconduntur.

Porro rogamus SS^m Trinitatem ut sacrificium, quod ei offerimus, *Sanctis proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem:* quomodo intelligendum sit honoris augmentum, quod Sanctis adprecamur explicat Innocentius III scribens: « quod in plerisque orationibus continetur, *prosit* videlicet vel *proficiat huic Sancto* vel *tali* talis *oblatio ad gloriam* vel *honorem*, ita sane debet intelligi, ut ad hoc prosit quòd magis ac magis a fidelibus *glorificetur in terris,* aut etiam *honoretur*; licet plerique reputent non indignum, Sanctorum gloriam (putà acci-

(1) Op. cit. Lib. II, cap. XI, n. 5 sq.
(2) « Legendum in *honorem* (non verò in *honore*) » S. R. C., 25 Maii 1877.

dentalem) usque ad judicium augmentari ac Ecclesiam interim sane posse augmentum glorificationis eorum optare » *Regest.* l. V, ep. 121.

*Nobis autem ad salutem* proficit Sacrificium quia est propitiatorium ac impetratorium; utque hos salutares effectus abundantius percipiamus, Sanctorum *memoriam agimus in terris*, maxime in celebrando divino mysterio, quatenus ipsi, nostris obsequiis permoti, *pro nobis intercedere dignentur in cœlis.*

***

28 Posthæc sacerdos osculatur altare, « tum junctis manibus ante pectus, *dimissisque oculis ad terram*, a sinistra manu ad dexteram vertit se ad populum, et versus cum extendens et jungens manus, dicit voce *aliquantulum* elata: ORATE FRATRES: et secreto prosequens (1) *ut meum ac vestrum sacrificium* etc. perficit circulum revertens junctis manibus ante pectus a manu dextra ad medium altaris » (Rubr.).

Jam instat solemnis actio sacrificii; quasi in eo est sacerdos ut ingrediatur *Sanctum Sanctorum* Deo victimam divinam immolaturus: quare ultimò vertit sese ad fideles adstantes eos jam non adspecturus usque ad sacrificii consummationem, illosque monet ut orent quatenus, ait, *meum ac vestrum sacrificium acceptabile fiat apud Deum Patrem Omnipotentem.* Dicit « meum ac *vestrum* sacrificium », quia offert sacrificium nomine totius Ecclesiæ; unde omnes fideles aliquo sensu ad sacrificii oblationem concurrunt; perfectiori autem modo concurrunt assistentes animo et affectu celebranti sacerdoti ac potissimum Christo principali offerenti conjuncti, maxime si infra missam ad sacram mensam accedant aut etiam si ad altare ministrant (2). Igitur

(1) Ergo contra apertam rubricarum præscriptionem agunt sacerdotes multi, cùm stant, facie versa ad populum, usquedum totam absolverint formulam *ut meum... Omnipotentem.*

(2) Cf. Lambrecht l. c. p. 225 sq.

« merito, ait Sporer, sacerdos ad populum dicit: *meum ac vestrum* sacrificium. Et laudandus esses, mi sacerdos, qui facta reflexione super ejusmodi verba, ex vera humilitate cogitares, esse complures e laicis præsentes, qui majori pietate ac puritate animi Deo offerunt hoc SS. Sacrificium, quam tu, minister ordinarius et insignitus charactere sacerdotali. Sed hoc in aurem ». (1)

Respondet minister: « *Suscipiat D*nus... *sanctæ* », quibus verbis exprimuntur fines ob quos offertur sacrificium: inprimis *ad laudem et gloriam nominis Dei*, cùm eo agnoscimus supremum Dei dominium in creaturas; dein *ad utilitatem nostram totiusque Ecclesiæ sanctæ:* quæ utilitas importat ut tùm Deo debitas solvamus gratiarum actiones, quæ sàne magis proficiunt nobis quam Deo cui redduntur: tùm iram Dei peccatis nostris concitatam placemus, pœnarumque remissionem obtineamus; tum novas gratias a Dei bonitate recipiamus.

***

29 Sequuntur orationes quæ *Secretæ* vocantur, quia secreto seu tacite recitantur: nonnisi conclusio ultimæ secretæ *per omnia sæcula sæculorum* dicitur voce elata, ut fideles ore ministri respondeant *Amen*, quo verbo quasi comprobant et ratificant preces a sacerdote omnium nomine Deo oblatas.

*(Sequetur).*

H. V. D. B.

(1) *Theol. Sacram.*, P. II, cap. V, sect. 2, § 4, n. 3.

# Jurisprudence des Cours et Tribunaux

## Règlement des funérailles — interprétation de la volonté du défunt — compétence du juge en référé.

—

**Ordonnance de référé du président du tribunal de première instance de Bruxelles, du 1er Avril 1899.**

(*Pasic.* 1899, III, p. 158)

—

Attendu que par testament authentique du 17 Décembre 1897..., feu J. L... a institué le défendeur Y... son légataire universel; qu'il a exprimé dans ce testament le désir d'avoir des funérailles civiles;

Attendu que les demandeurs X... et consorts, proches parents de J. L..., ont justifié à suffisance de droit que le dit J. L... est mort dans les croyances de la religion catholique, apostolique et romaine, et qu'il a reçu librement, quelques heures avant de mourir, les secours religieux que le culte catholique procure à ses fidèles; (1)

Attendu que si l'article 1035 du Code civil porte que les testaments ne peuvent être révoqués que par un testament postérieur, ou par un acte devant notaire portant déclaration du changement de volonté, cette disposition doit être mise en rapport avec l'article 895 du Code civil portant que le testament est un acte par

(1) En fait, J. L... était décédé à l'étranger, et la relation des secours religieux qu'il avait reçus à ses derniers moments, résultait d'une communication adressée à la famille, par un compagnon d'hôtel. La famille prétendait que le défunt fût enterré religieusement; mais le légataire universel, le sieur Y..., contestait formellement la demande de la famille et requérait l'exécution du testament.

lequel le testateur dispose pour le temps où il n'existera plus de tout ou partie de ses biens; que cet article 1035 du Code civil précité est sans application au testament dit « *philosophique* », lequel peut être révoqué par une manifestation contraire, dont l'appréciation est laissée à la conscience du juge;

Attendu que la cause est urgente de sa nature;

Par ces motifs, nous... juge du référé, disons contradictoirement avec le défendeur que J. L... sera enterré et qu'il sera procédé à son service funèbre par le clergé catholique, conformément à ses dernières volontés exprimées par la réception libre des secours de cette religion; dépens à prélever sur la succession du dit J. L...; ordonnons l'exécution provisoire sans caution, et vu l'absolue nécessité, sur la minute et avant l'enregistrement.

*Observations.* Il est de principe que chacun a le droit de disposer de sa dépouille mortelle et de régler les conditions de ses funérailles, notamment en ce qui concerne le caractère religieux ou civil à leur donner. Ce droit n'est limité que par l'obligation de ne porter atteinte à aucune loi d'ordre public, et de ne pas prescrire des conditions impossibles ou contraires aux bonnes mœurs.

Lors donc que le défunt a clairement manifesté sa volonté à cet égard, c'est cette volonté qui, avant tout, doit être respectée et accomplie. Il n'est pas nécessaire que cette volonté soit consignée dans un testament; elle peut être exprimée dans un acte notarié ordinaire ou dans un écrit sous signature privée; elle peut même résulter d'une simple déclaration verbale, ou d'un ensemble de circonstances révélant l'intention tacite ou présumée du défunt. D'autre part, il importe que la volonté exprimée par le défunt au point de vue du règlement de ses funérailles ait persisté jusqu'au moment de sa mort: les intentions manifestées d'abord peuvent tomber devant un acte de révocation. En France, la

déclaration faite, soit dans un *testament* proprement dit (art. 895 du Code civil), soit dans un acte ne contenant pas de dispositions de biens, mais *en forme testamentaire* (reçu par un notaire, ou bien écrit en entier, daté et signé de la main du testateur), a la même force qu'une disposition testamentaire relative aux biens, et elle est soumise aux mêmes règles quant aux conditions de révocation (art. 3 de la loi du 15 Novembre 1887). En Belgique, il n'existe aucun texte de loi prescrivant, même dans ce cas, des formes spéciales de révocation; et comme les volontés concernant les conditions des funérailles ne sont pas des dispositions testamentaires proprement dites, il s'en suit que, lors même qu'elles ont été exprimées dans un *testament*, elles peuvent être revoquées, non seulement « par un testament postérieur ou par un acte devant notaire, portant déclaration du changement de volonté » (art. 1035 du Code civil), mais par toute manifestation contraire, soit écrite, soit verbale. La preuve de la révocation peut même résulter d'un ensemble de faits précis et concordants démontrant que les dispositions primitives concernant les funérailles sont inconciliables avec les actes postérieurs du défunt. Il en serait ainsi, par exemple, dans le fait d'un homme qui ayant déclaré dans son testament vouloir être enterré civilement, recevrait, avant de mourir, les derniers sacrements, s'il est démontré qu'il était, en ce moment, en possession de sa raison, qu'il y a eu un acte libre et raisonné de sa volonté. (1)

(1) La thèse consacrée par l'ordonnance qui nous occupe, admettant que le changement des dernières volontés relatives à la nature des funérailles, lors même qu'elles ont été exprimées dans un testament, peut être établi par tout moyen de preuve, même non écrite, n'est pas universellement admise. Voir en sens contraire ord. réf. Bruxelles, 21 Juillet 1891 (*Journ. des trib.*, an. 1891, p. 961). Cf. *Belg. judic.*, an. 1876, p. 766.

Cette thèse cependant nous paraît absolument fondée. Chacun a le droit de déterminer les conditions de ses funérailles, et de révoquer les volontés d'abord manifestées à cet égard; et, en l'absence d'une disposition formelle réglant le mode de révocation, peu importe la preuve d'où résulte le changement de volonté, pourvu qu'il soit clairement établi. Comp. *Pandectes*, V° *Funérailles*, n. 15 ss.

Quand le défunt n'a pas manifesté une volonté formelle en ce qui concerne les conditions de ses funérailles, et que les circonstances ne permettent pas d'établir suffisamment ses intentions à cet égard, il faut s'en rapporter à ses proches, à ceux qui l'entouraient pendant sa vie; il appartient à *la famille du défunt* de déterminer le lieu et le mode d'inhumation.

Mais, à *quel membre de la famille* appartient le droit de prendre une décision sur ces points? C'est là une question fort difficile, qui ne comporte pas une solution générale et invariable : ce sont surtout les éléments de fait qui doivent déterminer l'ordre de préférence, et il importe d'examiner et d'apprécier, dans chaque cas particulier, les circonstances spéciales qui le caractérisent. Il est cependant un principe fondamental qui domine toute la matière et qui doit inspirer la décision des magistrats appelés à trancher les conflits qui peuvent surgir: ce principe, c'est la volonté du défunt; et si le défunt n'a pas manifesté de volonté particulière, c'est qu'il a voulu s'en rapporter à ceux qui sont le mieux à même de connaître ses intentions présumées.

C'est par application de ce principe que les auteurs et la jurisprudence admettent généralement que le soin de régler souverainement les funérailles appartient, en premier lieu, au *conjoint* du défunt. C'est une conséquence de la nature du mariage qui crée entre les époux les liens les plus étroits, établit entre eux une communauté de vie, de sentiments, d'idées. Du reste qui peut, mieux que l'époux survivant, connaître les dernières volontés du défunt? L'époux doit être, par suite, préféré à tout autre parent, même au père et

---

La Cour de cassation, appelée à apprécier la légalité de l'ordonnance susvisée, a décidé, le 3 Juillet dernier, que les dispositions arrêtées par le défunt quant au caractère de ses funérailles ont force de droit, et que le juge des référés a compétence pour les faire respecter. Cf. *Rev. cath. de droit*, II, p. 152.

à la mère (1). Cependant la présomption qui milite en faveur du conjoint survivant peut être renversée. Il en serait ainsi, par exemple, si le conjoint vivait séparé ou était en instance de divorce ou de séparation du corps (*Pandectes*, V° *Funérailles*, n. 37 ss. et V° *Inhumation*, n. 7). L'époux survivant ne peut d'ailleurs user de son droit que pour autant que son conjoint n'ait pas manifesté une volonté particulière; et il ne lui appartient, en aucun cas, de prendre une décision contraire aux intentions présumées du défunt. Le cas est susceptible de se présenter, surtout quand le conjoint survivant est le mari et qu'il veut faire enterrer sa femme civilement. Si celle-ci a demandé et reçu avant sa mort les secours de la religion, ou bien si, après avoir vécu dans la religion catholique, elle n'a jamais manifesté l'intention d'être inhumée sans aucune cérémonie religieuse, la famille peut s'adresser au juge et lui demander de faire respecter la volonté présumée de la défunte. (2)

S'il n'y a pas de conjoint survivant, le droit de régler les funérailles appartient, en règle générale, aux *parents les plus proches* du défunt, parce qu'ils sont censés être les dépositaires les plus autorisés de ses désirs et de ses intentions.

En cas de conflit entre le père et la mère, la préférence devra en principe être donnée au père, conformément, dit-on, aux dispositions du Code civil sur la puissance paternelle. Cette règle a cependant des limites. Ainsi, quand le père a fait baptiser son enfant et que ce dernier est décédé peu de temps après, « la prétention de lui imposer l'enterrement d'un libre penseur n'est pas, dit Dalloz, un acte raisonnable de la puissance paternelle, un acte qui ait sa justification dans une con-

---

(1) Cf. Cour de Liége, 5 Février 1886 (*Pasic.*, II, p. 184 et nomb. autorités citées en note); ord. réf. Anvers, 6 Avril 1899 (*Pasic.*, III, p. 184); — Cour de Toulouse, 3 Décembre 1889 (Dalloz, 1890, II, p. 133); cour de cassation franç., 12 Décembre 1898 (*Pasic. belge*, 1899, IV, p. 60).

(2) Tribunal de Lille, 22 Juin 1883 (Dalloz, *Répert.*, suppl. V° *Culte*, n. 871); — Comp. ord. réf. Anvers, 16 Janvier 1894 (*Pasic.*, III, p. 139).

viction arrêtée ; c'est un acte de faiblesse, d'obéissance à des sentiments de vanité ou de respect humain ; c'est un abus de la puissance paternelle » (*Répert.*, suppl., V° *Culte*, n. 875). Au surplus, comme le remarquent fort judicieusement les *Pandectes belges*, la puissance paternelle ne doit pas toujours primer : ce sont des motifs empruntés à la volonté présumée du défunt, ou aux convénances, aux sentiments d'affection, qui doivent trancher le différend (V° *Funérailles*, n. 34 ss.). En effet, « les principes qui règlent l'autorité paternelle ne peuvent trouver application dans l'espèce, puisque cette autorité cesse à la mort de l'enfant ; il s'agit, en réalité, de trancher entre parties une question dans laquelle les sentiments les plus intimes et les plus sacrés sont seuls engagés » (ord. réf. Bruxelles, 5 November 1893 confirmée par arrêt de la Cour de Bruxelles, 2 Décembre 1893 : *Pasic.*, 1894, II, p. 141).

En cas de conflit entre ascendants et descendants, ascendants et collatéraux, il y a lieu de rechercher et d'apprécier les titres d'affection, les relations d'amitie dont se prévalent les réclamants. Il semble arbitraire de tracer une ligne invariable d'appréciation. *Pandectes*, V° cit., n. 41.

Les contestations relatives au droit de régler les funérailles sont du ressort des tribunaux ; et s'il s'agit d'un cas qui requiert célérité, le juge des référés est compétent pour statuer sur toutes les mesures d'urgence concernant l'excercice de ce droit. A défaut d'une manifestation formelle de la volonté du défunt, il lui appartient, non seulement de décider à quel membre de la famille doit être réservé le droit de fixer le lieu et le mode de sepulture, mais aussi, d'après l'opinion qui prévaut, d'arrêter par lui même les conditions dans lesquelles l'inhumation devra se faire. (1)

C. V. C.

(1) Ord. réf. Bruxelles, 7 Sept. 1875 (*Belg. jud.*, 1875, p. 1288), 16 Fév. 1887 (*Journ. des trib.*, 1887, p. 259) et 5 Nov. 1893 (citée plus

# Fabriques d'église

## Séance légale du mois d'Octobre — Visite et entretien des bâtiments — conservation des tableaux placés dans les églises.

—

En exécution de l'article 10 du décret du 30 Décembre 1809, les conseils de fabrique s'assembleront en séance ordinaire le dimanche, 1er Octobre prochain. L'avertissement de la séance doit être publié, le dimanche *précédent*, au prône de la grand'messe.

Avant d'entamer la délibération sur les divers objets qui peuvent lui être soumis, le conseil pourvoit préalablement au remplacement des membres décédés ou sortis par suite de démission, de changement de domicile ou autre cause. Art. 6 de l'arr. roy. du 4 Mars 1849.

Nous rappelons aux marguilliers, et spécialement au trésorier, l'obligation qui leur incombe, en vertu de l'article 41 du décret de 1809, de visiter, au commencement de l'automne, les bâtiments affectés au service du culte, et de veiller à ce que toutes les réparations nécessaires soient bien et promptement faites. Nous avons précédemment signalé les principaux objets sur lesquels doit se porter spécialement l'attention des

---

haut); Nivelles, 29 Mai 1876 (*Pasic.*, III, p. 193 et la note); Anvers, 28 Sept. 1882 (*Journ. des trib*, 1882, p. 754, et 16 Janv. 1894, solution implicite (*Pasic.*, III, 139); Namur, 24 Mars 1882 (*Pasic.*, III, p. 175); Gand, 18 Mai 1895 (*Pasic.*, III, p. 270); Cour de Bruxelles, 2 Déc. 1893, *Pasic.*, 1894, II, p. 141); cass. franc., 23 Jan. 1899 (*Pasic.*, IV, p. 60); — *contra* ord. réf. Anvers, 22 Oct. 1896 (*Pasic.* 1897, III, p. 7) et 6 Avril 1899 (*Pasic.*, III, p. 184). Comp. Moreau, *Jurisd. des réf.*, n. 297; *Pandectes belges*, V° *Funérailles*, n. 42; *Rev. de l'adm.*, 1897, p. 237 ss.; *Pasic.*, 1897, III, p. 7, note 2; *Het Vl. Bestuur*, VIII, p. 287; Dalloz, *Répertoire*, suppl., V° *Culte*, n. 880; Caulet, *L'avocat du clergé*, p. 790 ss.

marguilliers. Voir les *Collationes*, T. I, p. 130, et T. II, p. 92.

Dans une circulaire récente, le Ministre de la justice, sur l'invitation de la Commission royale des Monuments, insiste particulièrement sur la nécessité de veiller avec le plus grand soin à ce que toutes les mesures de précaution soient prises pour que l'écoulement des eaux pluviales soit assuré aux abords des constructions. La négligence des administrateurs sous ce rapport donne lieu, au point de vue de la conservation des édifices, à de graves inconvénients. L'introduction de l'humidité amène des désordres dans les fondations, le salpètre dans les maçonneries, des lézardes dans les murs, la ruine partielle des édifices et le sacrifice de grandes sommes d'argent destinées aux réparations.

Il importe donc que les marguilliers, ne perdent pas de vue les devoirs qu'ils ont à remplir à cet égard. Circ. du 2 Août 1898.

Une autre circulaire, en date du 5 Avril 1899, a été envoyée par le Ministre de l'agriculture et des travaux publics aux Gouverneurs des provinces, invitant ces hauts fonctionnaires à appeler l'attention des administrations locales sur les prescriptions suivantes faites en vue de la conservation des tableaux placés dans les monuments publics, et notamment dans les églises: (1)

1° L'humidité étant l'un des agents les plus actifs de la destruction des peintures, un tableau ne doit jamais être appliqué à la muraille, mais en être écarté suffisamment pour permettre à l'air de circuler derrière la toile ou le panneau. Toutefois, il faut éviter les courants d'air trop vifs, qui dessèchent rapidement les couleurs et provoquent la formation d'écailles. Il faut aussi incliner les tableaux pour éviter autant que faire se peut le dépôt de la poussière sur la face peinte;

(1) Voir *Ann. parlem.* du Sénat, 1898-1899, p. 433 ss. Séance du 28 Juin 1899. — Cfr *supra*, p. 360 ss.

2° L'action du soleil est funeste et rapide; il convient donc de préserver les peintures des rayons directs du soleil, soit en matant les fenêtres, soit en y appendant des stores;

3° Les cierges dégageant une fumée grasse qui ternit rapidement l'éclat des couleurs, il importe de les éloigner autant que possible des tableaux;

4° Il convient d'enlever, de temps à autre, la poussière ou les traces d'humidité de la peinture; mais cette opération doit s'effectuer avec une délicatesse infinie et au moyen de vieux linges de toile fine usés ou de morceaux de foulard, employés à sec. Le lavage ou le nettoyage des tableaux ne doivent jamais être confiés qu'à des hommes de l'art d'une compétence éprouvée;

5° Les tableaux doivent être vernis; mais il est important de n'employer qu'un vernis de toute première qualité pour ce travail, qui devra également être réservé à un spécialiste, artiste peintre ou restaurateur d'une habileté reconnue.

L'expérience a établi que l'application d'un vernis *à l'envers* des toiles peintes contribue également à leur conservation.

Eu égard à toutes les précautions qu'exige la conservation des œuvres picturales, les administrations publiques ne devraient jamais y laisser effectuer un travail quelconque sans avoir, au préalable, pris les avis de la Commission royale des monuments.

C. V. C.

# Ex S. Congregatione Rituum

## I

## VICENTINA

Proposito dubio a R. P. Josepho Preto Sacerdote Diœceseos Vicentinæ: « Utrum in reditu in Sacristiam, absolutione ad tumulum expleta, in officiis et Missis cum cantu pro uno vel pluribus defunctis die septima, trigesima et anniversaria aut etiam extra has dies celebratis, dici debeat: *Anima ejus*

vel *Animæ eorum et animæ omnium Fidelium defunctorum per misericordiam Dei requiescant in pace;* et antiphona *Si iniquitates* cum psalmo *De profundis* et Oratione *Fidelium Deus?* Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicæ, omnibusque rite perpensis, respondendum censuit: *Affirmative* juxta Rituale Romanum et Decreta in una *Brixien.* ad 2, d. d. 28 Julii 1832 et in altera *Florentina* d. d. 31 Augusti 1872.

Atque ita rescripsit, die 11 Martii 1899.

C. Card. Mazzella *S. R. C. Præf.*
L. ✠ S. Diomedes Panici *Secretarius.*

**Adnotatio.** Hoc decretum, quod jam in præcedenti fasciculo pag. 364 vulgavimus juxta textum exhibitum a periodicis Romanis: « Ephemerides liturgicæ » et « Analecta Ecclesiastica », hic iterum vulgamus, eo quod aliquid mutationis licet accidentalis contineat; prouti eadem periodica testantur, denuò idem decretum correctum edendo.

Uti videre licet, in dubio non tantum quæritur de recitanda, post absolutionem ad tumulum, antiphona *Si iniquitates* cum psalmo *De profundis* et Oratione, sed insuper expresse mentio fit de versu *Anima ejus* vel *Animæ eorum* etc., de quo silebat textus decreti primùm editus. Cum autem responsio sit affirmativa quoad omnia petita, jam evidens evadit per ipsum hoc decretum 11 Martii 1899, hunc versum *Anima* etc. cum reliquis esse addendum (1).

In priori textu responsi citabatur decretum in una *Congregationis Canonicorum Regularium Lateranensium* d. d. 2 Decembris 1684 et alterum *in Florentina* d. d. 31 Augusti 1872. In textu autem correcto omittitur prius decretum et ejus loco allegatur aliud, scilicet, *in Brixien.* ad 2, d. d. 28 Julii 1832. Hoc autem in nova collectione decretorum sub n. 2696 ita legitur: « An

(1) Cfr. pag. 365.

prosequi possit consuetudo canendi Antiphonam *Si iniquitates* cum psalmo *De profundis*, quum, celebrata missa *de Requie,* ad medium progreditur processionaliter pro exequiis absolvendis? Resp. Negative; et antiphona ac psalmus *De profundis* dici debent post absolutionem *ad tumulum*, in reditu ad sacrarium ». In hoc decreto, uti patet, S. Congregatio agit de absolutione *ad tumulum* seu *absente corpore*, et damnat quidem consuetudinem canendi antiphonam et psalmum immediate post missam, dum processio instituitur ad tumulum, sed absolute asserit hæc dici debere in reditu ad sacristiam, scilicet post versum *Anima ejus* vel *Animæ eorum*, quem (excepta die Commemorationis Omnium fidelium) dicendum præcipit alterum decretum citatum *in Florentina* 31 Augusti 1872 (1).

H. V. D. W.

## II

## DECRETUM

Instantibus aliquibus Parochis, Sacrorum Rituum Congregationi sequens dubium propositum fuit: « An pro paupere defuncto cujus familia impar est solvendi expensas Missæ exequialis cum cantu, hæc Missa legi possit sub iisdem clausulis et conditionibus, quibus præfata Missa cum cantu conceditur. Et Sacra Eadem Congregatio, exquisito voto Commissionis Liturgicæ, omnibusque rite expensis, rescribendum censuit: *Affirmative,* seu permitti posse in casu Missam exequialem lectam, loco Missæ cum cantu, dummodo in dominicis aliisque festis de præcepto non omittatur Missa officio diei currentis respondens. Die 9 Maii 1899.

Quibus omnibus Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papæ XIII per infrascriptum Cardinalem Sacræ Rituum Congregationi Præfectum relatis, Sanctitas Sua Rescriptum Sacræ ipsius Congregationis ratum habuit et confirmavit. Die 12 Junii, eodem anno.

C. Card. Mazzella *Præf.*

L. ✠ S. D. Panici *Secret.*

(1) Vide textum pag. 365.

**Adnotatio.** Quoad missam exequialem pauperum qui solvere non valent expensas missæ cantatæ, S. Congregatio Rituum decreto 12 Septembris 1840 declaravit servari posse consuetudinem vigentem in multis locis diœcesis Brugensis, legendi missam privatam *præsente corpore* in festis etiam duplicibus majoribus, non tamen primæ vel secundæ classis, neque infra octavas privilegiatas, neque in Dominica, neque iis diebus quæ excludunt festa duplicia. Idem concessit pro Archidiœcesi Mechliniensi decreto 22 Maii 1841. Per decretum autem *in Adrien.* (1) S. Congregatio declaravit modo generali in die obitus pauperum *legi* posse missam, loco missæ cantatæ, etiam in festis duplicibus exceptis principalioribus « ad tramitem concessionis in una *Mechlinien.* diei 22 Maii 1841 ». Unde scriptores liturgici hanc concessionem non amplius ut localem seu aliquibus diœcesibus propriam, sed ut generalem habuerunt (2).

Post decretum generale « *Aucto* » 8 Junii 1896 et decretum *in Romana* 12 Januarii 1897 (3) quibus indulgetur sub quibusdam conditionibus, in die vel pro die obitus, aliquibus tamen diebus exceptis, addi posse missæ exequiali cantatæ missas *privatas de Requie*, cum applicatione tamen pro defuncto cujus funus celebratur, opinati sumus (4) facultatem celebrandi missam privatam de Requie, loco cantatæ, in exequiis pauperum, non amplius limitari ad solos dies quibus per decreta *in Brugen.* et *in Adrien.* indulgetur, sed extendi ad omnes dies in quibus per recentiora decreta missæ privatæ præter cantatam fieri possunt in die vel pro die obitus cujuscumque defuncti. Jamvero excipiuntur ab hac concessione tantummodo Dominicæ et festa de præcepto, festa duplicia primæ classis et dies hæc festa

---

(1) 2 Sept. 1871. — Vide *Collat. Brugenses* 1897, p. 283.
(2) Ibid. 1898, p. 185.
(3) Ibid. 1896, p. 474, 1897, p. 281.
(4) Ibid. 1897, p. 283, 1898, p. 185.

primæ classis excludentes. Hanc tamen extensionem alii, uti *Ephemerides liturgicæ* (1), non admiserunt. Quidquid autem sit de hac controversia, res jam alio modo definita est, cùm S. Congregatio per præsens decretum, 12 Junii 1899 à SS. Dom. Leone XIII confirmatum, ulterius progressa, permittat, ut pro paupere defuncto cujus familia impar est solvendi expensas missæ exequialis cum cantu, hæc missa legi possit *sub iisdem clausulis et conditionibus* quibus præfata missa cum cantu conceditur ; ex quo sequitur hanc missam permitti, non tantum diebus, quibus missæ privatæ *de Requie* juxta decr. 8 Junii 1896 missam exequialem *cantatam* comitari possunt, sed omnibus diebus exceptis tantum illis quæ excludunt etiam missam exequialem solemnem (2). Ponit autem S. Congregatio hanc solam limitationem : « dummodo in dominicis aliisque festis de præcepto, non omittatur missa officio dici currentis respondens » ; ideoque in ecclesiis, in quibus unica tantum missa celebratur, parochus omittere non potest missam parochialem officio convenientem, ut celebret exequialem.

Cum hæc missa lecta exequialis in casu permittatur *sub iisdem clausulis et conditionibus* quibus missa cum cantu conceditur, sequitur etiam eam licitam esse non tantum *corpore præsente*, sed uti dicitur in decreto 9 Junii 1896 « præsente, insepulto, vel etiam sepulto non ultra biduum cadavere. » Si nempe rationabili de causa corpus est absens, v. gr. propter morbum contagiosum, civile vetitum etc., vel tumulandum est sine missa propter impedimentum liturgicum, missa exequialis lecta, sicuti cantata, permittitur sive tempore intermedio à morte ad sepulturam (insepulto cadavere), sive die sepulturæ, sive uno ex duobus immediate sequentibus diebus (sepulto non ultra biduum cadavere), exceptis tamen celebrioribus illis festis quæ excludunt

(1) 1898, p. 137 ; 1899, p. 36 et 252.
(2) Vide Calendarium, Prænotanda p. 10.

etiam cantatam. Sed probe notandum missam exequialem in prædicto spatio permissam, non in singulis diebus infra ejusmodi tempus inclusis posse dici (occurrente officio duplice vel duplici æquivalente), sed semel tantum seu in *uno* ex præfatis diebus.

H. V. D. W.

# Consultationes

1° Les services funèbres prescrits par l'autorité diocésaine à la mort du Roi, d'un membre de la famille royale, du Souverain-Pontife ou de l'Évêque du lieu, peuvent-ils être rétribués? Par qui et à quel taux?

2° Les *Te Deum* à célébrer annuellement peuvent-ils être rétribués? Par qui et à quel taux?

3° Est-ce que A, qui a épousé la *nièce* de B, peut en même temps que celui-ci faire partie du *bureau des marguilliers?*

4° Dans certaines contrées, lorsque pour des funérailles les curés sont obligés d'appeler comme officiants des prêtres étrangers à la paroisse, il est d'usage de ne donner aux officiants étrangers qu'une part des honoraires fixés par le tarif. Le curé peut-il, conformément à cet usage, conserver le surplus? An hoc non sapit simoniam?

R. 1° Il y a lieu de se conformer en cette matière aux instructions de l'autorité diocésaine ou à l'usage des lieux. Rien ne s'oppose à ce que les services dont il s'agit soient rétribués, conformément au tarif de l'église, approuvé par l'Évêque ou consacré par la coutume; et, d'après la jurisprudence en vigueur, « il est loisible aux fabriques de porter dans les comptes les frais d'exonération » de ces services... « Ce sont là

des dépenses qu'il appartient aux chefs du culte d'ordonner » (Circ. min. du 17 Juillet 1884). Les frais de ces services trouveront leur place à l'article 61 des budgets et des comptes (Circ. min. du 15 Mai 1885).

2° Ce que nous venons de dire des services prescrits pour le Roi, le Souverain-Pontife, etc., s'applique également aux frais des *Te Deum*, qui pourront être inscrits à l'article 50. Circ. citées.

En fait, dans la presque totalité des églises, aucune dépense n'est inscrite aux budgets et comptes des fabriques pour la célébration des *Te Deum*.

3° La négative est certaine. L'incompatibilité résulte d'un texte formel de la loi. En effet, l'article 14 du décret du 30 Décembre 1809 porte : « Ne pourront être en même temps membres du bureau, les parents ou *alliés, jusques et y compris le degré d'oncle et de neveu* ».

4° Si l'on excepte les *droits d'étole*, qui reviennent au curé de la paroisse alors même qu'il se ferait remplacer par un autre prêtre pour la célébration des funérailles, les honoraires fixés par le tarif pour les différents offices doivent être remis intégralement aux officiants étrangers ; et l'usage d'après lequel le curé s'en réserve une partie ne saurait se légitimer. Hoc non simoniam, sed injustitiam sapit, legibusque Ecclesiæ adversatur.

C. V. C.

**Ontleding** en **Woordenboek** van den **Catechismus** des **Bisdoms van Brugge**, door *P. Baes*, Diocesanen School-opziener. 178 bladz. in octavo, te verkrijgen voor 0,90 fr. bij *J. Dooms, Boek- en Steendrukker, te Iseghem.*

—

Diù desideratà hàc duplici lucubratione (*Analysis* et *Lexicon* Catechismi) egregiè providit Auctor ut ludi magistri et magistræ momentoso arduoque explanandi Catechismum munere facilius, delectabilius ac tutius fungi valeant. Et in primo quidem opere *(Ontleding)* sic procedit ut, tradito priùs singulæ Catechismi lectionis argumento, in sinistrà paginarum columnâ ponat ipsas Catechismi quæstiones et responsiones, in dextrà veró è regione singulas ordinatim quæstiones et responsiones resolvat atque in prima dividat elementa, adeo ut nulla lateat in textu sententia, idea nulla quæ non sit singulari brevique propositione enucleata: quo fit ut quæ discipuli memoria tenent, distinctè jam attendere et aucupari, imo plerumque intelligere queant. Majoris autem perspicuitatis ergo, verba in priori columnâ seu in ipso Catechismi textu obvia, in altera columnâ litteris crassioribus distinguuntur. — Verùm, cum in Catechismo nostro haud rarò occurrant vocabula sive technica atque Catechismi linguæ propria, sive antiquata jam et obsoleta, sive pueris minus usitata parumque obvia, ideò in altero opere *(Woordenbock)* idem Auctor lexicon concinnavit, in quo omnia hujusmodi vocabula cum variis quas in Catechismo obtinent significationibus ordine alphabetico proponuntur, sedulò remittendo ad lectionem et quæstionem ubi in Catechismo usitantur. Sic haud ægre obtineri potest ut discipuli non solum omnia et singula Catechismi verba animadvertant, sed ut eadem rite ac plene intelligant, totumque doctrinæ christianæ compendium calleant.

Cum igitur utrumque hoc opus ludi magistris perutile, imo fere necessarium sit, cumque id satis commendet

Auctoris peritia singularis annosaque magisterii experientia, haud dubitamus illud, opera præsertim ac zelo RR. DD. Parochorum et ludi Directorum, ad multorum institutionem et ædificationem, brevi latissimè diffusum iri. — Duplex autem liceat heic subjicere specimen, unum ex *analysi*, alterum ex *vocabulario* desumptum:

## ONTLEDING (uit de tweede les)

### 8e VRAAG

V. *Hoe belijden wij, door het maken van het heilig kruis, de menschwording van Christus?*

A. Trekkende onze hand van het voorhoofd tot de borst, belijden wij dat Christus mensch geworden is in het maagdelijk lichaam van Maria; en die trekkende van de linke zijde tot de rechte zijde, beteekenen wij dat Christus ons door zijn kruis overgezet heeft van de maledictie tot de benedictie.

V. *Door het maken van het heilig kruis* **belijden wij** *ook d* **menschwording van Christus.** (6e Vr.). — **Hoe** *belijden* **wij** *die?*

A. Vooreerst **trekken wij onze hand van het voorhoofd tot de borst.** — Daardoor **belijden wij dat Christus mensch geworden is in het maagdelijk lichaam van Maria.**

Dan **trekken wij onze hand van de linke zijde tot de rechte zijde.** — De hand alzoo trekkende volmaken wij het kruisteeken. — Alzoo beteekenen wij **het kruis** waarop Christus gestorven is. — Maar **de linke zijde** beteekent **maledictie**; — En **de rechte zijde** beteekent **benedictie.** — De hand trekkende **van de linke** zijde **tot de rechte** zijde, **beteekenen** wij nog iets: — Wij beteekenen dat **Christus** ons door zijn kruis **overgezet heeft van de** maledictie **tot de** benedictie.

## WOORDENBOEK.

**Nood** — 1° noodzakelijkheid, moetewerk, dat is: als iets moet zijn en niet kan gemist, of niet mag achtergelaten worden, fr. *nécessité*, b. v. *zweeren uit nood* (**23**, 5); zie **24**, 3. — 2° gevaar, bijzonderlijk levensgevaar, fr. *danger*, b. v. *in nood zijn van sterven*, (**35**, 2); zie **30**, 3; **35**, 1. — 3° gebrek, schaarscheid, bijzonderlijk in lichamelijke of tijdelijke goederen, fr. *besoin*, b. v. *lichamelijken nood* (**40**, 1); *uiterste nood* (**40**, 3). ‖ **Noodig** = noodzakelijk, dat niet kan gemist of achtergelaten worden (zie *nood* 1°), b. v. *de ceremonieën zijn tot de sacramenten niet noodig* (**29**, 8); zie **30**, 1, 2; **33**, 3 ‖. **Van noode zijn** = noodig zijn, b. v. *Wat is den mensch van noode* (**1**, 7); zie **8**, 8; **28**, 6, 8; **29**, 5. ‖ **Van noode hebben** = noodig hebben, van doen hebben, behoeven, b. v. *al hetgene wij van noode hebben tot kost* enz. (**17**, 9) ‖. *Nooddruft* = hetgene men van eten aangaande noodig heeft of behoeft, b. v. *zijne nooddruft nemen* (**28**, 1), d. i. zijn behoef nemen, maaltijd nemen, eten, spijzen nutten.

G. V. D. P.

---

De **quarti Evangelii Auctore** dissertatio inauguralis *A. Camerlynck*, S. T. D. et in maj. Semin. Brug. Professoris (1).

Neminem latet summum Pontificem Leonem XIII sex abhinc annis in Litteris suis encyclicis « *Providentissimus Deus* » Sacrarum Litterarum studia vehementer commendasse, illudque in primis votum expressisse « ut in sacris seminariis vel academiis sic omnino tradantur divinæ Litteræ, quemadmodum et ipsius gravitas disciplinæ et temporum necessitas admonent. » Cum autem temporibus nostris Rationalistæ, criticæ sublimioris seu falsi nominis scientiæ apparatu, non solum divinam sacræ Scripturæ inspirationem, sed humanam etiam fidem impugnare haud cessent, cumque « divinum et infallibile magisterium Ecclesiæ, in auctoritate etiam sacræ Scripturæ consistat, hujus propterea fides saltem

(1) Prostat apud Auctorem, pretio 3 francorum.

humana asserenda in primis vindicandaque est... Ad hoc plurimum sane conducet, si plures sint e sacro ordine paratiores, qui hac etiam in parte pro fide dimicent et impetus hostiles propulsent, induti præcipue armatura Dei, quam suadet Apostolus, neque vero ad nova hostium arma et prælia insueti. » (1) — Omnino igitur opportunè E. D. Camerlynck veram quarti Evangelii originem demonstrandam vindicandamque suscepit. — Cum autem « conspicuum sit, in quæstionibus rei historicæ, cujusmodi origo et conservatio librorum, historiæ testimonia valere præ ceteris eaque esse quam studiosissime et conquirenda et excutienda : internas verò rationes plerumque non esse tanti, ut in causam, nisi ad quamdam confirmationem, possint advocari » (1), ideo Auctor disquisitionem suam bipartitus, in priori parte seu inaugurali dissertatione testimonium expendit Traditionis, illudque ceu primarium argumentum urget, in alterâ vero parte brevi edenda, confirmationis ergo interna evolvet criteria. — Quæ vero jam prodiit pars prior, revera specimen quoddam exhibet exemplarque veræ seriæque scientiæ criticæ. Tot enim Auctor tantæque molis in Rationalistarum aggerem agmenque rectà projicit momenta rationum, tamque ipsorum venenata tela dexter declinat aut etiam retorquet, ut ipse plane incolumis, illi verò profligati penitus ac prostrati appareant liquidò.

Quapropter « facere non possumus quin ceteros etiam, quorum sollertia et doctrina et pietas optime hac in re pollicentur, ad eamdem sancti propositi laudem vehementer hortemur. Optamus nimirum et cupimus, ut plures patrocinium divinarum Litterarum ritè suscipiant teneantque constanter... utque in Seminariis, atque in Academiis Scripturæ sacræ studia justo in honore consistant vigeantque... atque talia ex temporum cursu incrementa accipiant quæ vere sint in præsidium et

(1) Encycl. *Providentissimus Deus.*

gloriam catholicæ veritatis... Nihil enim magis oportere ducimus, quam ut plures validioresque nanciscatur veritas propugnatores, quam sentiat adversarios. » (1) Cui sapientissimi Pontificis voto si factum fuerit satis, tunc demùm obtinebitur ut quæcumque hodierni Rationalistæ adversus sacrarum Litterarum divinam humanamque auctoritatem nova in dies fabricant impugnationis instrumenta, vana deprehendantur phantasmata meraque terriculamenta.

G. V. D. P.

*
* *

**Juris Canonici et Juris Canonico-civilis compendium,** auctore Ill$^{mo}$ ac Rev$^{mo}$ D. P. De Brabandere Episc. Brug. *Editio sexta* expolitior et auctior, opera C. Van Coillie, J. C. L. et in Semin. Brug. Prof. — Brugis, Sumpt. et typ. Desclée et Debrouwer, 1899. Duplex tomus, in 8°, pp. LXXII-593 et 908, pret. 12 fr.

Opus hoc medullam exhibet prælectionum quas inde ab anno 1861 in Seminario Brugensi habuerunt Ill$^{mus}$ ac Rev$^{mus}$ D. P. De Brabandere p. m. Episcopus Brugensis, deinde Eximius et Ampl$^{mus}$ D. H. Van den Berghe, ejusdem Seminarii nunc Præses, quasque non minori fructu a 14 jam annis prosequitur Eruditissimus D. C. Van Coillie qui hanc *sextam editionem* novis curis recognovit, 160 paginis adauxit (servatis tamen iisdem quæstionum numeris), ad recentissima, etiam hujusce anni 1899, juris ecclesiastici et civilis documenta exegit et quoad plures partes pro scientia sua et exponendi arte prorsus innovavit. Conferantur v. g. capita de de mutua relatione ecclesiam inter et statum civilem, adjecta appendice de liberalismi doctrina enucleata et confutata; de succursalistis; de clericis; de confraternitatibus et potissimum de libris prohibitis juxta constitutionem « Officiorum ac munerum » (de quo commen-

(1) Encycl. *Providentissimus Deus.*

tario cf. *Collat. Brug.* IV, p. 192). Præterea jus canonico-civile, lingua gallica interpretatum (législation civile sur la sépulture pp. 108-182 et sur le temporel du culte catholique en Belgique pp. 248-531) accuratissima expositione ad normam jurisprudentiæ actualis magna ex parte retractatum est.

Quum autem periodici nostri lectores Eruditissimi Professoris peritiam singulo mense judicio proprio æstimare potuerint, quumque prælaudatum *Compendium*, quod in pluribus Seminariis pro manuali adhibetur et cujus quintæ editionis exemplaria infra biennium omnia distracta fuerunt, permultis sacerdotibus præclara existimatione sit notissimum, supervacaneum merito ducimus libri methodum ac materiam ulterius evolvere, otiosumque fuisset encomiis optime quidem meritis sed inutilibus inhærere.

De cætero Illustr^mus^ ac Rev^mus^ D. Episcopus Brugensis libenter hanc sextam editionem approbavit. « Quum enim, ait, sana doctrina et ampla eruditione præstat, non ubitamus quin ad juris canonici et canonico-civilis scientiam in clero promovendam plurimum sit profutura ».

C. C.

Collationes Brugenses

# Meditationes theologicæ

*(Sequitur. — Cfr. supra, tom. IV, pag. 433.)*

## § II.

### *De rebus scientiæ divinæ subjectis.*

170. Scientiæ cognitionique omni res ex adverso cognita respondet, quare post explicatam Dei scientiam, consentaneum est de iis rebus agere, circa quas divina scientia versatur. « Est autem perfacilis ac simplex ad eam inquisitionem responsio. Nam Deum et se, et omnia quæ sunt, futurave sunt aut fuerunt, tum quæ esse possunt, cognoscere, nemo dubitat qui quid Deus sit, eique voci quæ subjecta notio sit, utcumque perceptum habet (1). »

Et hæc quidem fere sufficiunt, ac brevissime rem absolvere licet, eo vel magis quod plura jam in præcedentibus præoccupavimus, e quibus objectum divinæ scientiæ deducitur et declaratur, quodque in sequente paragrapho, de modo divinæ cognitionis inquirentes, plura quæ difficiliora videntur de rebus divinæ scientiæ subjectis elucidabimus. Et revera, supra jam vidimus Deum cognoscere singularia quæque, licet non singillatim seu successive, cognoscere omnia enuntiabilia, licet non componendo ac dividendo, cognoscere vere infinita, etc.

Audiamus ergo tantummodo unum alterumve documentum e Patribus. Sic Augustinus : « Novit omnia Deus Pater in seipso, novit in Filio. Sed in seipso,

(1) Ita Petavius, *De Deo*, lib. IV, cap. III, n. I.

tamquam seipsum: in Filio, tamquam Verbum suum, quod est de his omnibus, quæ sunt in seipso. Omnia similiter novit et Filius: in se scilicet, tamquam ea, quæ nata sunt de iis, quæ Pater novit in seipso. In Patre autem tamquam ea, de quibus nata sunt, quæ ipse Filius novit in seipso. Sciunt ergo invicem Pater et Filius, sed ille gignendo, ille nascendo. Et omnia quæ sunt in eorum scientia, in eorum sapientia, in eorum essentia, unusquisque eorum simul videt (1): non particulatim aut singillatim velut alternante conspectu hinc illuc, et inde huc, et rursus inde vel inde in aliud atque aliud, ut aliqua videre non possit nisi non videns alia, sed, ut dixi, simul omnia videt, quorum nullum est quod non semper videt (2). »

Ex præclara Clementis Alexandrini (3) doctrina deducit Petavius (4) omnia, quamvis exigua et abjecta sub infinitam Dei cognitionem cadere; cum nihil, nisi Deo volente, oriatur et existat, necesse perinde esse ipsum omnia cognoscere, nec universe solum, sed singillatim et distincte: eoque magis per singula, quod non aliter a Deo producantur et in rerum natura ponantur, quam qua singularia sunt. « Quapropter, *concludit idem Petavius*, cum nihil sit, esseve possit, nisi a Deo, et ex ejus scientia elaboratum ac conditum, nihil est omnino, quod non ille cognoscat, sive præteritum, sive præsens, sive aliquando futurum, sive quod potest esse, tametsi numquam sit futurum. Neque tamen sic illa, quæ apud nos differentiis sunt distracta temporis, intuetur, ut eodem modo atque ut iisdem sunt implicata differentiis intelligat. Quin potius omnia, sive præterita, sive futura, tamquam præsentia considerat. » Sed de modo cognitionis nunc dicendum.

---

(1) Idem valet evidenter de Spiritu sancto. Ad hanc doctrinam quæ tam sublimiter tamque subtiliter scientiam Dei declarat, prout intimius ex revelata Trinitate perspicitur, infra rursum appellabimus.

(2) *De Trinitate*, lib. XV, cap. XIV.

(3) *Stromat.*, lib. VI.

(4) *De Deo*, lib. IV, c. III, n. III, IV, X.

## § III.

### *De divinæ cognitionis modo.*

171. Plura jam de modo divinæ cognitionis, explicando hujus naturam, exposita sunt. Hic remanent solvendæ quæstiones quædam, quæ difficiliores videntur.

Et prima quidem est, quomodo intelligendum sit quod a Patribus sæpius edicitur, Deum omnia, sive præterita, sive futura, cognoscere ut præsentia, nihil Deo esse futurum sed omnia præsentia. Missis concertationibus plurimis Scholasticorum, hoc nobis videtur tenendum: res omnes esse Deo præsentes, profecto non eo sensu quod, antequam existant, existant tamen, seu coexistant æternitati, sed eo sensu quod, quando existunt, coexistunt æternitati, in qua nulla est successio, utpote quæ est tota simul; quod aliqui exprimunt dicendo: res creatas existentes coexistere toti æternitati sed non totaliter. Unde ad rerum cognitionem quod attinet, non ex parte existentiæ actualis rerum, quasi sit æterna, sed ex parte æterni intuitus Dei, illa rerum æternæ scientiæ præsentialitas est consideranda: scilicet res futuræ, non secundum esse reale et actuale in tempore quod nondum habent, sed secundum esse objectivum in divinis ideis, sunt ab æterno in Deo et semper Deo præsentes, qui eas perfecte ab æterno intelligit, antequam sint actu, sicuti cum actu sunt, sine ullo discrimine perfectionis in cognitione; porro hic æternus Dei intuitus simul cadit in omnia tempora et in universa quæ quolibet tempore existunt ac si essent actu existentia, adeoque et in existentia actu, tunc quando existunt. Præclare Vasquez: « Ex parte objecti non differt scientia futurorum, præteritorum et præsentium; eo quod quocumque ex his modis scientia Dei fertur in rem secundum essentiam et existentiam actu. Quod vero illa existentia ut præterita, vel futura aut præsens intelligatur, non est in causa diversitas in

re cognita, sed in tempore ad quod res cognita refertur; eadem enim res cum sua existentia distincte cognita, prout refertur ad unum tempus, dicitur præterita, prout refertur ad aliud dicitur futura, relata vero ad aliud dicitur præsens (1). » Ob eam quoque rationem negant quandoque veteres *præscientiam* in Deo, et *scientiam* futurorum dicere jubent. Neque aliud velle S. Thomam credimus, quando scribit: « Omnia quæ sunt in tempore, sunt Deo ab æterno præsentia, non solum ea ratione qua habet rationes rerum apud se præsentes, ut quidam dicunt, sed quia ejus intuitus fertur ab æterno super omnia, prout sunt in sua præsentialitate (2). » Bene nota dici: prout *sunt* in sua præsentialitate, et non: in sua præsentialitate, quasi hæc præsentialitas esset æterna. Priore modo, ut præsentes Deo ab æterno in divinis ideis, res sunt objectum simplicis intelligentiæ; posteriore modo, ut in sua temporali præsentialitate æterno Dei intuitu subsunt, sunt objectum visionis. Hæc vides quomodo simul immutabilitatem ac invariabilitatem divinæ scientiæ, ejusque simplicitatem mire illustrant.

172. Secundo jam quæri potest an et quomodo Deus cognoscat etiam mala, intelligendo quidem de malo formaliter ut tali, seu ut est mera privatio, de quo sola difficultas. Jamvero respondetur Deum cognoscere mala, per bona nempe opposita quibus privant. Et evidens quidem est, malum qua tale seu meram privationem, quæ nullam entitatem realem et positivam habet, a nullo intellectu cognosci aut concipi posse nisi per formam oppositam boni quo privat, ad quam essentialem ordinem includit. Unde perspicies quo sensu Deus, qui omnia cognoscit per essentiam suam, cognoscat etiam mala et quo sensu non cognoscat per suam essentiam, in qua nulla sunt mala: videlicet

(1) Disp. 64, cap. 4.
(2) 1, q. XIV, art. 14, in corp.

cognoscit mala et defectus, qui obvenire possunt bonis, ratione cognitionis illorum bonorum per essentiam suam perfecte cognitorum.

Inde etiam solves subtilem quæstionem quam versat Magister P. Lombardus (1): cur in Deo mala non esse dicantur, cum tamen sint in sua præscientia, quæ ab ipsa Dei substantia non differt. Optima solutio, aptior quam ea Lombardi, breviter proponitur a Petavio : « Etsi in Dei scientia, adeoque substantia, tamquam objecta contineantur, non tamen sic, tamquam in subjecto, quomodo nos ista capimus; quoniam non in idea exemplarique suo ac proprio comprehenduntur..... Etenim nihil in Deo inesse dicitur, nisi quod ab illo, velut causa, oritur. Nihil autem oritur et fit a Deo, nisi quod naturam habet, quæ in malis est nulla (2). »

173. Vidimus Deum seipsum perfecte comprehendere, omnia vero extra se perfecte cognoscere ut sunt in se ipsis, non in ipsis sed in se et per se ipsum.

Quod modum hujus cognitionis attinet, ex dictis item facile intelligitur omnia possibilia, qua talia, cum substantias, tum accidentia, adeoque et actus omnes possibiles in omnibus possibilibus adjunctis creaturarum omnium possibilium in divinæ essentiæ imitabilitate esse cognoscibilia. Et hæc ad scientiam Dei spectant, quæ *simplicis intelligentiæ* dicitur.

Præterea, ex his omnibus possibilibus, ea quæ absolute futura sunt, si a sola causa prima pendet eorum existentia vel et a causa secunda necessaria, rursum haud difficulter cognosci intelliguntur in sapientia divina cum omnipotente voluntate conjuncta, tamquam rerum artifice; et porro, prout æternus Dei intuitus, unus et simplex, fertur in universa, sive sint, sive adhuc futura sint, sive jam præterita, *scientia visionis* eorum omnium in Deo esse facile explicatur.

---

(1) Lib. I, dist. 36.
(2) *De Deo*, lib. IV, cap. IV, n. VIII.

Atvero, si de futuris liberis agatur, quæ non a solo Deo vel et a causa secunda a Deo determinata pendent sed simul a causa prima et a libertate creaturæ, difficultas oritur, tum de modo quo Deus ea in se ipso cognoscit, tum de libertate creaturæ concilianda cum divina scientia. Et rursum, si de iisdem actibus liberis non absolute sed sub hypothesi futuris, quæ futuribilia libera vocari possunt, v. g. Petrus in determinatis adjunctis positus (quod reipsa numquam fiet), hoc vellet, vel non; eadem difficultas exurgit.

In re difficili, de qua in diversas partes disputando libros integros impleverunt insignes theologi, nos, pro modulo nostro, breviter solutionem inquiremus, quoniam in ordine ad rerum prædefinitionem prædestinationemque sanctorum intelligendam res maximi est momenti.

174. Prævie notemus, claritatis gratia, ordinem logicum seu cognoscibilitatis nonnumquam ordinem possibilitatis vocari, quatenus sufficit ut aliquid realitatem etiam in potentia habeat, ad hoc ut sit cognoscibile, licet non sit actu, et quia ex ordine cognoscibilitatis concludi potest ad ordinem possibilitatis, nequaquam vero ad ordinem actualis existentiæ. Itaque possibile in ordine ontologico est id omne quod realitatem fundamentalem habet in divina essentia, et adeo cognoscibile est, sed in se non est actu. In ordine logico tripliciter res concipi potest: 1° ut possibilis, abstrahendo ab esse actu vel non; 2° ut mere possibilis, id est, ut non existens actu; 3° ut actu existens, quamvis non valeat conclusio ab ente cogitato ut existente ad realem hujus existentiam. Sic Deus concipi nequit nisi existens, et tamen non valet conclusio inde deducta: ergo Deus existit.

Jam ad rem nostram, ponamus omnia adesse ad actum primum proximum requisita, ut homo libere agat: v. g. invenit homo in determinatis adjunctis rem alienam, jam determinatur homo ad hoc, ut eam injuste

retinere libere velit, aut non, nec potest ex his duobus contradictoriis nisi unum eligere, simul enim utrumque velle, aut utrumque non velle, contradictionem involvit ac impossibilitatem. Potest quidem libere diversa agere in casu: rem relinquere, rem accipere animo reddendi, rem injuste sibi accipere, etc., sed semper verum manet quod diximus, eum determinari, posito actu primo proximo, scilicet, in determinatis adjunctis et parato divino concursu ad agendum cum potentia liberà aliunde expedita, eum, inquam, determinari ad unum e contradictoriis: rem relinquere, aut non; velle injuste retinere, aut non, etc. Adeoque antecedenter ad actum primum, omnes actus liberi sunt possibiles et qua tales a Deo cognoscuntur scientia simplicis intelligentiæ, ut supra; sed, posita conditione seu actu primo, si homo hic in determinatis adjunctis hanc rem reperit, jam actus unusquisque ex his possibilibus relate ad suum contradictorium seu non actum, non manet, in ordine cognoscibilitatis, possibilis (sensu 1°, supra) sed necessario concipitur ut existens vel non, cum homo determinatus sit ad hunc ponendum vel non. Antecedenter ad conditionem, nullus actus est determinate verus in esse, cum inter posse esse et non esse non sit contradictio; sed consequenter ad conditionem, est vere contradictio inter esse et non esse sub conditione. Cum porro non agere, nihil sit, nec cognosci possit nisi per agere, jam patet Deum, qui ex essentia sua determinatur ad cognoscendum omne verum, illud unum quod cognoscibile est, posito actu primo proximo, necessario cognoscat, id est, actum liberum futurum; quodsi non sit futurus, cognoscit Deus non actum, ex ipsa absentia termini cognoscibilis. Sic igitur demonstratur quasi a posteriori Deum debere cognoscere actus futuros liberos creaturarum. Et hæc est scientia visionis, quæ qua talis non est causa actus futuri sed potius eum præsupponit, nec adeo libertati hominis contrariatur, quemadmodum nec actus ipse primus proximus, cujus quidem causa ultima-

tim est divina scientia simplicis intelligentiæ cum voluntate conjuncta, ut videbimus, officit eidem libertati, sed solum determinat ad hoc ut actus liber existere debeat vel non.

Si hic sistitur, ut multi faciunt, declaratur quidem Deum debere cognoscere actus futuros liberos, et quodammodo etiam conciliatur libertas creaturæ cum divina scientia; nondum vero modus declaratur perfecte quo Deus hos actus in sua essentia et per eam cognoscat, nec omnis obscuritas tollitur circa libertatem creaturæ.

175. Itaque ulterius procedamus. Et primo quidem advertamus actum primum, etiam proximum, non esse in potestate creaturæ, non tantum quia eget creata potentia conservari a Deo et indiget concursu divino, sed etiam quia adjuncta externa et vel ipsa prima cogitatio, sine qua non est actus appetitus seu voluntatis, in creaturæ potestate non sunt, sed pendent vel a Deo vel a causa aliqua secunda, necessaria aut libera, extra creaturam agentem posita; et si aliquando actus liber agentis concurrit ad actum primum sequentis volitionis ejusdem, non tamen ab eo solo pendet actus primus hujus volitionis, et rursum ad illum actum liberum, qui ingreditur actum primum novæ volitionis, plura prærequiruntur ab agentis potestate independentia, ita ut tandem aliquando semper reducatur actus primus ad conditionem respectu agentis non liberam sed necessariam seu a libera voluntate independentem, quæque a decreto libero Dei pendet.

Quod autem actus primus non sit in potestate creaturæ, evidenter non officit ejus libertati, cum, eo posito, intregrum eidem manet agere vel non, ex libera electione. Quæ licet ita sint, et salva sit libertas creata, obiter tamen notemus ejusdem libertatis imperfectionem inde demonstrari, ejusque discrimen, etiam hac in parte, cum divina libertate. Hanc enim nec in actu primo nec quovis modo quidquam extra ipsum determinat, ut clarius infra ostendemus, nihil extra Deum in ipsum

quovis modo influit, imo, contra, ab ipso independens esse potest nihil.

Præterea secundo, ut jam ediximus, actus primus proximus tandem aliquando a divino decreto pendet, et sic mediate, sine detrimento libertatis, ut ostensum est, actus secundus liber creaturæ. Quod igitur a decreto libero Dei pendeat actus primus proximus, quo posito, homo libere agit vel non, longiori demonstratione non indiget, cum ab una parte conservatio potentiæ et concursus ad agendum sint a Deo, ab alia parte primam cogitationem semper Deus immittere possit et adjuncta externa tandem aliquando disponere ut vult.

Hisce positis, jam nullo negotio ostendemus Deum actus futuros liberos creaturarum in seipso et per seipsum cognoscere, absque detrimento creatæ libertatis. Est enim scientia Dei, quatenus causa rerum omnium, scientia inquam simplicis intelligentiæ cum voluntate divina conjuncta, causa actus primi, quem adeo Deus cognoscit immediate in suo decreto; jamvero actus primus, ut supra vidimus, licet non determinet creaturam agentem ad unum, adeoque nec immediate actus liber in dicto decreto cognoscatur, determinat tamen ad hoc ut creatura agere debeat, necne, adeoque, posito decreto actus primi, necessario oritur actus secundus vel non, ut realitas actualis cognoscibilis, vel nihil, et sic, mediante decreto actus primi, Deo cognoscibilis est actus secundus liber. Scientia igitur simplicis intelligentiæ cum voluntate conjuncta est causa immediata actus primi, antecedenter ad exercitium libertatis, quæ integra manet; quo posito decreto actus primi, oritur ejusdem actus primi scientia visionis, et hæc causa est scientiæ visionis actus secundi liberi, rursum absque detrimento libertatis, si quidem ipse actus primus eam integram relinquit, et ratione posterior est visio actus secundi exercitio hujus actus, sicut et visione actus primi.

176. Remanet dicendum de meris futuribilibus libe-

ris, breviter tamen, quoniam tota difficultas e præcedentibus solvitur. Sicut ibi quærebatur quomodo Deus cognoscit hominem in determinatis adjunctis libere agere, hic quæritur quomodo Deus cognoscit, utrum, homo si poneretur in talibus adjunctis, quod reipsa non fiet, esset acturus libere, necne. Jamvero, sicut sub decreto absoluto actus primi vidimus Deum mediate cognoscere actum liberum, ita plane et simili omnino modo, explicandum est Deum mediate cognoscere, sub decreto actus primi conditionato, actum liberum qui esset, licet, conditione non verificanda, non sit futurus. Discrimen ergo solum est, quod quidem actum primum attinet, eum non videri scientia visionis, sed sola scientia simplicis intelligentiæ in decreto conditionato cognosci; quod vero actum secundum futuribilem spectat, hujus scientiam causari, mediante decreto illo conditionato, a scientia actus primi, modo supra explicato, cum hoc discrimine quod, sicuti actus primi scientia non est visionis sed simplicis intelligentiæ, ita scientia actus secundi futuribilis non est visio, nec stricte scientia simplicis intelligentiæ, ad quam tamen propius accedit et pertinet potius quam ad visionem. Quod visio non sit, patet; cur tamen a simplici intelligentia distinguatur, ratio est quod hæc sit possibilium, qua talium, actus autem futuribilis liber, non tantum non manet, sub conditione, possibilis in ordine cognoscibili, ut patet, ast actu esset, sed nec in decreto conditionato immediate cognoscibilis est, ut sunt res et actus a sola Dei voluntate, sine concursu agentis liberi, pendentes; at, posito decreto conditionato, ut supra explicatum est, determinate cognoscibilis redditur ut qui esset. Inde nonnulli theologi hanc scientiam *mediam* vocare maluerunt, quasi inter scientiam simplicis intelligentiæ et visionem medium tenentem. Nec immerito quidem, insinuavimus tamen eam scientiam mediam reducibilem quodammodo esse ad scientiam simplicis intelligentiæ, quatenus scilicet actus secundus liber futuribilis fit,

mediante conditione decreti, cognoscibilis ut qui esset, non ut qui est futurus, sicut, sub conditione decreti, possibilia, a sola causa prima vel et causa secunda necessaria pendentia, essent et cognoscuntur scientia simplicis intelligentiæ ut qui essent, non tamen ut quæ futura sunt, cum decretum supponatur non absolutum.

177. Sed hæc sufficiant. Putamus autem nos utrumque salvasse: et naturam ac dignitatem divinæ scientiæ, quæ omnium rerum causa affirmari debet, et cujus, contra, nihil extra se causa esse potest; et creatam libertatem, quam cum ratio naturalis, tum fides catholica adstruunt ac vindicant.

Unum addimus, in ordine ad sequentia de voluntate atque omnipotentia ac operatione Dei ad extra notandum: ut vidimus, nihil Deus novit nisi in se et per seipsum, et omnia quidem possibilia, qua talia, in essentia sua ut in infinitum imitabili ad extra, et in ipsa sua sapientia et omnipotenti voluntate ut in causa omnis existentiæ actualis extra se possibilis; videt in ipso decreto voluntatis omnia aliquando existentia vi hujusmodi decreti; nec independenter a decreto, videt futura libera, scilicet mediante decreto actus primi, licet non in ipso decreto actus secundi; futuribilia, simili modo in decreto conditionato, quæ vi hujusmodi decreti essent, et, mediante tali decreto actus primi, futuribilia libera. Nihil igitur omnino extra Deum independens est a Dei voluntate, sed nec intelligitur esse in scientia Dei, nisi prævie intellecta divina essentia ut supremo vero ac summo bono, eo que sui omnipotenter diffusivo. Ex quo jam suspicari licet, quod supra n. 162 nuntiabamus, et infra ulterius declarabimus, videlicet non tantum prius esse Verbum produci, sed et Spiritum sanctum, amorem substantivum et donum hypostaticum Patris et Filii procedere, quam res finitas intelligi, et ut aliquando futuras cognosci ac amari a Deo; ita ut, ex mysterio Trinitatis cognito, mirabili modo perficiatur cognitio nostra tota de divina scientia.

Quid finem imponendo huic nostræ disquisitioni de divina scientia nos facere licet ac decet, nisi infirmam rationem nostram coram summa sapientia profundissime humiliare, ignorantiam nostram omnimodam confitendo, atque cum Apostolo exclamare: *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei* (1). »

*(Continuabitur.)*

(1) *Ad Rom.*, XI, 33.

# Quæstiones pro Conferentiis

## mensis Novembris

—

I

Expone Job IV, 17: *Numquid homo, Dei comparatione justificabitur, aut factore suo purior erit vir? 18 Ecce qui serviunt ei, non sunt stabiles, et in angelis suis reperit pravitatem: 19 Quanto magis hi qui habitant domos luteas...?*

II

Quæritur an et cur Christus dici possit a/ Filius Dei naturalis; b/ Filius Dei adoptivus.

III

Expone quosnam effectus Sacramentum Extremæ Unctionis operetur *in anima?*

IV

Indica an et qua ratione Extrema Unctio operetur *sanitatem corporalem* in infirmo illam rite suscipiente?

V

An et quoties *iterari* potest Extremæ Unctionis susceptio?

VI

Quænam sunt jura et officia Ordinariorum circa prohibitionem et censuram librorum?

# Responsa

## ad quæstiones in Conferentiis mensis Julii propositas.

—

I

Q. An et quare rectè fecit regina Vasthi, dum Assuero, se ad convivium vocanti, non paruit? Esther I, 12: « *Quæ renuit, et ad regis imperium, quod per eunuchos mandaverat, venire contempsit.* »

R. Rectè fecisse videtur Vasthi. Etenim:

1. Præceptum regis contrarium erat Persarum legibus et moribus, quibus cautum erat ne mulieres, nisi forte pellices et concubinæ, in virorum convivia prodirent. Vide Smitsium id colligentem ex Plutarcho, Diodoro Siculo, Macrobio, Josepho, Justino et Ambrosio. Sic v. g. Josephus: « Illa volens servare Persarum leges, quæ uxores vetant ab aliis, præter domesticos, conspici, non ivit ad Regem. »

2. Jussum regium contrarium etiam erat legi et juri naturæ, cum « graviter adversaretur modestiæ, verecundiæ et pudori Reginæ, uti et cujusvis honestæ regionum istarum matronæ. Indignum planè eidem est, obtemperare in illis, quibus pellices dumtaxat, lascivæ et pessimæ notæ mulieres morem gerunt. Indignum, inquam, est, exponere sese compotantium et lascivientium consortio. — Res sane parvi momenti censenda non est, fœminam verecundam et diademate claram in pellicum et lascivarum partem advocari, lascivientiumque et vino madentium exponi consortio. Præclarè è re nostra monet S. Hieronymus, Epist. ad *Furiam: Non Æthnæi ignes, non Vulcania tellus, non Vesevus et Olympus tantis ardoribus æstuant, ut juveniles medullæ, vino plenæ et dapibus inflammatæ...* Quid igitur mulierem

castam istis in epulis manebat? Hinc patet, quòd, si, sæpius jussu regio accita, comparere noluerit, eò fuerit laudabilior, quò in legum pudorisque constantia erat perseverantior. » Smitsius. Unde Severus Sulpitius, lib. 2 Hist.: *Vasthi*, ait, *stulto rege consultior*, PUDENS, *virorum oculis spectaculum præbere corporis jussa*, *abnuit*. Concinit à Lapide: « Inhonesta et inverecunda fuit hæc regis jussio, cui proinde Vasthi non tenebatur obedire *pudoris et castitatis causa*, ne suâ formâ principum jam mero æstuantium oculos, animosque in sui concupiscentiam illiceret. »

Merito igitur tum ex lege naturæ, tum ex lege positiva Persarum, Vasthi suam speciem ac pulchritudinem coram convivis temulentis ostentare detrectavit.

Observandum etiam est, mandatum istud à temulento (v. 10) editum fuisse, « cui, ait Smitsius, meritò in re, tam a legibus et moribus patriis aliena, non parebatur. Adde, Regem, vino digesto et indignatione defervescente, facti sui pœnituisse, ut constat, c. II. 1. Agnovit igitur in eo errorem suum, atque iniquum fuisse, quod præceperat. »

Opinatur tamen a Lapide Vasthi peccasse mariti contemptu ac fastu superbiæ, qui plerumque formosas comitatur, ac si judicaverit infra dignitatem suam esse, si Regis mandato obtemperaret. Dicitur enim in textu: *venire contempsit*.

Verùm hic de facto tantùm, non de mente Vasthi inquirimus. Præterea nulla *contemptûs* mentio occurrit in textu hebraico, ubi hæc solùm habentur: *Et renuit Regina Vasthi venire juxta verbum Regis*, *quod in manu Eunuchorum*, i. e. quod per Eunuchos ad ipsam delatum erat.

Sententiæ nostræ opponi etiam solet Regis consiliarios factum Vasthi et crimen majestatis et populi scandalum appellasse. Legitur enim I, 16-18: « Responditque Mamuchan, audiente rege, atque principibus: Non solum regem læsit regina Vasthi, sed et omnes populos,

et principes, qui sunt in cunctis provinciis regis Assueri. Egredietur enim sermo reginæ ad omnes mulieres, ut contemnant viros suos, et dicant: Rex Assuerus jussit ut regina Vasthi intraret ad eum, et illa noluit. Atque hoc exemplo omnes principum conjuges Persarum atque Medorum parvipendent imperia maritorum: unde regis justa est indignatio. »

Verùm hæc verba assentantis potius atque Regis iram et furorem excusare satagentis, quàm verè sapientis esse, ex supradictis facilè colligitur. Multum enim abest quominus Principi ex temulentia, vanitate ac libidine rem juri civili et naturali contrariam præcipienti, obedientiam detrectare, cuiquam offensioni aut scandalo, potius quam ædificationi et exemplo esse natum sit. Unde meritò à Lapide: « Utinam Vasthi imitentur feminæ Christianæ, quæ suam formam palam ostentant, imo fucant, ut juvenes in sui amorem illiciant! itaque eorum corpora et animas lenocinantur cum æterno tam sui, quam ipsorum exitio: « Nam oculi sunt in amore duces. » Et formosâ illicique feminâ nihil illecebrosius. »

G. V. D. P.

II

Q. *Expone an, cur, et quænam requirantur dispositiones ad justificationem.*

R. I. In *adultis*, in illis nempe qui usum rationis adepti sunt, prærequiruntur quædam dispositiones ad obtinendum justificationem. Hoc de fide est: « declarat præterea, (sancta Synodus) ipsius justificationis exordium in adultis a Dei per Christum Jesum præveniente gratia sumendum esse: hoc est, ab ejus vocatione, qua, nullis eorum existentibus meritis, vocantur; ut, qui per peccata a Deo aversi erant, per ejus excitantem atque adjuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipso-

rum justificationem, eidem gratiæ libere assentiendo et cooperando, disponantur... » Conc. Trid. Sess. VI, cap. 5, apud Denzinger *Enchir.* n. 679. Et in can. 9 de Justificatione dicit idem Conc. Trid.: « Si quis dixerit, sola fide impium justificari, ita ut intelligat..... nulla ex parte necesse esse eum suæ voluntatis motu præparari atque disponi, A. S. » (Op. cit. n. 701.)

In *infantibus* omnibusque qui usum rationis numquam habuerunt, nulla prærequiritur dispositio ad justificationem. Hoc constat tum ex praxi Ecclesiæ tales sine ulla prævia dispositione ad baptismum suscipiendum admittentis, tum ex doctrina Ecclesiæ docentis parvulos per sacramentum baptismi eripi a diaboli dominatu et in Dei filios adoptari (Conc. Flor. decr. pro Jacobitis, apud Denzinger *Enchir.* n. 603); parvulos suscepto baptismo inter fideles computandos esse (Conc. Trid. Sess. VII, De baptismo can. 13, op. cit. n. 750), consequenter esse justificatos.

II. Ratio cur *ab adultis* prærequirantur dispositiones ad justificationem est quia conditio naturæ humanæ petit ut homo libere ad statum justitiæ finemque suum ultimum perveniat. Quæ ratio sic exponitur a S. Thoma: « Respondeo dicendum quod justificatio impii fit Deo movente hominem ad justitiam. Ipse enim est qui justificat impium, ut dicitur *Rom.* III. Deus autem movet omnia secundum modum uniuscujusque..... Unde et hominem ad justitiam movet secundum conditionem naturæ humanæ. Homo autem secundum propriam naturam habet quod sit liberi arbitrii. Et ideo in eo qui habet usum liberi arbitrii non fit motio a Deo ad justitiam absque motu liberi arbitrii... » 1-2$^{æ}$, q. CXIII, a. 3.

Ratio cur *ab infantibus* et illis, qui ad usum rationis non pervenerunt, nulla prærequiritur dispositio est quia tales omni dispositione ad justificationem sunt incapaces: nulla enim naturalis perfectio disponit subjectum in quo est ad supernaturalem justificationem, et nullam

operationem moralem edere possunt infantes et illi qui usu rationis semper carent: unde nec negative, nec positive ad justificationem sese valent disponere.

III. Remanet ut indicemus *quænam* requirantur dispositiones.

Loquimur hic de adultis *peccatoribus*, de illis scilicet qui præter originale, personalia peccata habent. (1)

Ante omnia requiritur *fides*, fides nempe dogmatica, seu firmus in veritates a Deo revelatas assensus mentis propter auctoritatem Dei revelantis. (Cf. Jungmann, *De Gratia*, n. 300 et seq.). Etenim « Sicut dictum est, motus liberii arbitrii requiritur ad justificationem impii, secundum quod mens hominis movetur a Deo. Deus autem movet animam hominis convertendo eam ad seipsum..... Et ideo ad justificationem impii requiritur motus liberi arbitrii in Deum. Prima autem conversio in Deum fit per fidem, secundum illud: *Accedentem ad Deum oportet credere quia est* (*Hebr.* XI, 6). Et ideo motus fidei requiritur ad justificationem impii. 1-2$^{æ}$, q. CXIII, a. 4.

Deinde requiruntur:

*spes:* quia motus, quo homo se convertit ad Deum, nequit haberi, quin exspectet homo a Deo æternam felicitatem auxiliumque ad illam necessarium;

*timor:* quia, si sperat homo æternam felicitatem, necessario et timebit æterna supplicia et omne quod ad illa ducit;

*dilectio*, nempe amor initialis Dei. Justificatio enim impii est translatio impii a statu injustitiæ ad statum justitiæ. Jamvero impius qui libere movetur ad justitiam

---

(1) A cæteris autem præscinditur, quia isti, vel jam inveniuntur in statu gratiæ et hinc necessariis dispositionibus carere nequaquam possunt; vel, nec gratiam, nec reatum peccati mortalis personalis habere supponuntur, et sic, negandâ esset cum quibusdam hypothesis possibilitas, aut certe, excepto dolore de peccato (quia de peccato originali nemo potest conteri; cæteræ omnes conditiones mox exponendæ in talibus requirerentur. Cf. Billot, *De Ecclesiæ Sacramentis*, T. I, Thes. XXVI.

hanc desideret oportet et simul Deum justitiæ fontem diligere (1) incipiat necesse est;

*pœnitentia seu dolor de peccatis*, cum proposito saltem implicito non peccandi de cætero : qui enim accedit ad Deum et sincere in ipsum sperat illumque incipit diligere, nequit non dolere de peccatis commissis quæ sunt aversio a Deo, nec, si de futuro cogitat, non proponere a peccato in posterum omnino abstinere : ideo sine pœnitentia nunquam remittitur peccatum;

*votum saltem implicitum* suscipiendi sacramentum, baptismum nempe vel pœnitententiam : quia hæc sunt media ad salutem necessaria a Deo, in præsenti Providentiæ ordine, instituta.

N. B. 1/ Hæ omnes dispositiones quas enumeravimus requiruntur in justificatione cujuslibet impii adulti, quamvis quædam ex illis possint esse tantum virtualiter seu implicite contentæ in aliis. (2)

2/ Hæ dispositiones, uti patet ex explicatione data, *positive* reddunt hominem idoneum ad justificationem acquirendam, consequenter esse debent supernaturales.

J. V. D. M.

---

(1) Abstrahimus ab ulteriori inquisitione de natura hujus initialis amoris erga Deum, utrum nempe sit aliquid distinctum ab ipso desiderio conversionis et ab attritione sufficienti ad impii justificationem in sacramento pœnitentiæ Cfr. Billot, *De Ecclesiæ Sacramentis*, T. II, Thes. XV.

(2) Hæ dispositiones exponuntur a Conc. Trid. ubi Sancta Synodus describit modum præparationis ad justificationem in adultis : « Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia et adjuti, fidem ex auditu concipientes libere moventur in Deum, credentes vera esse, quæ divinitus revelata et promissa sunt, atque illud in primis, a Deo justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu, et dum peccatores se esse intelligentes a divinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes, Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt, ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod et detestationem, hoc est, per eam pœnitentiam, quam ante Baptismum agi oportet : denique dum proponunt suscipere Baptismum, inchoare novam vitam, et servare divina mandata. » (Sess. VI, cap. 3, apud Denzinger *Enchir*. n. 680).

## III

Q. *Explica quomodo peccata jam directe remissa maneant materia sacramenti Pœnitentiæ.*

R. Hac quæstione non parva difficultas proponitur solvenda. Revera ut peccata directe jam remissa remanere queant materia sacramenti Pœnitentiæ, oportet ut signum sacramentale externum possit efficaciter circa ipsa operari id quod significat, saltem *proxime et immediate* (1): sacramentum enim est signum essentialiter practicum et operans.

1. Jamvero in sententia passim admissa, juxta quam in sacramento Pœnitentiæ signum externum *proxime et immediate* significat remissionem peccati et gratiam, haud facile explicatur qua ratione dictum signum sit efficax circa peccata clavibus jam soluta, seu non frustretur effectu suo proxime et immediate significato. Vinculum namque peccati semel solutum incapax esse videtur novæ solutionis.

Dicunt quidem Auctores communiter nihil obstare quominus hujusmodi peccata denuo remittantur, cum Deus possit per ministerium confessarii iterum iterumque renuntiare juri suo ratione offensæ sibi acquisito. (2)

---

(1) Ad hoc ut signum sacramentale sit practicum et actu secundo efficax, sufficit ut operetur effectum *proxime et immediate* indigitatum, nec officit quod *ulterioris* effectus consecutio impediatur.

(2) «... Nam sicut qui semel se obligavit alicui ad aliquid præstandum, potest iterum sè ei obligare ad idem, et qui semel vovit vovet iterum, et iterum promittit idem objectum; sic qui remisit debitum potest iterum idem remittere. Nam remittere, in rigore, est obligare se per cessionem juris ad non utendum jure acquisito ratione offensæ in ordine ad talem vel talem effectum; quare sicut possumus per obligationem repetitam dare idem jus seu jus ad idem alicui, item per remissionem repetitam possumus renuntiare eidem juri in favorem alicujus. Sic per professionem religiosam renuntiamus sæculo, divitiis etc., et tamen repetentes professionem vel vota religiosa, repetimus absque mendacio eamdem renuntiationem. Ad renuntiandum ergo et cedendum absolute, non est necesse quod actu sit adhuc nostrum id cui renuntiamus; sufficit fuisse aliquando

Atvero talem remissionem profecto non dices novam remissionem *proprie dictam;* et si quid sapit iterata remissio *inter homines* natura versatiles, quatenus indicet immutatam remanere voluntatem olim expressam, minus intelligitur *penes Deum*, qui peccatum absolutum irrevocabiliter remittit, idque non per meram extrinsecam non imputationem sed per veram intrinsecam deletionem, suoque juri ex peccato exorto in æternum valedicit.

2. Melius sane enodatur opposita difficultas in sententia supra exposita, *Collat. Brugenses*, tomo III, p. 517 et seq., circa causalitatem sacramentorum, juxta quam sententiam signum sacramentale significat et operatur, *directe et immediate*, non ipsam gratiam, sed effectum aliquem intermedium, quamdam nempe entitatem ordinis intentionalis quæ sit res et sacramentum, et in modum causæ materialis objective ad gratiam disponat. Nimirum in Pœnitentia absolutio sacramentalis, *directe et immediate*, non fertur circa solutionem vinculi peccati, sed proxime constituit in pœnitente *jus et titulum juridicum* ad remissionem peccati et ad gratiæ infusionem. (1)

Jamvero nihil obstat quominus hic effectus *immediatus* signi Sacramentalis obtineat etiam in pœnitente, non alia habente peccata quam quæ jam directe sunt remissa. Revera peccatum, quantumvis absolutione

---

nostrum; per cessionem enim repetitam significamus voluntatem efficacem nostram transferendi a nobis illud jus seu quod non sit amplius in nostro dominio, quam quidem voluntatem possumus repetere et declarare sæpius vere et valide ». Lugo. *De Sacramento Pœnitentiæ*, Disp. XIII, n. 73. Cfr. Palmieri, *Tractatus de Pœnitentia*, thesi XII, et alios passim.

(1) Sensus igitur formulæ absolutionis non esset *directa intentione:* « ego te solvo a peccatis » sed « ego constituo in te titulum juridicum ad hoc ut tibi tua peccata remittantur », ad instar sententiæ judicis forensis, quæ proprie reum non facit criminis imputati noxium aut innoxium, sed quæ auctoritative constituit in reo titulum juridicum ad hoc ut ab aliis habeatur tanquam noxius aut innoxius. In quem sensum forsan audienda sunt verba S. Thomæ, P. III, qu. 84, art. 3. ad 5m: « esset autem perfectior expositio: « ego te absolvo » id est: « sacramentum absolutionis tibi impendo ».

olim delctum, semper peccatori relinquit materiam dolori et dolorosæ confessioni, cum offensa (non debitum quodvis) relinquat in offensore illam notam quod male se habuerit erga offensum. Consequenter potest et repetita talis delicti confessio pœnitens a confessario dijudicari, et pro prudenti judicio haberi perque absolutionem sacramentaliter elevari in titulum juridicum, qui in quantum de se est, exigat remissionem peccati et gratiam connexam.

Utique deficiet sacramenti effectus *ulterior*, nempe ipsa remissio peccati (1), non quidem defectu efficaciæ in causa sed defectu materiæ in subjecto, quippe quod novæ remissionis est incapax; at vere obtinet effectus sacramentalis, *proxime et immediate* per signum notificatus; quod sufficit, uti modo diximus, ad hoc ut signum dicatur et sit signum practicum et operans, adeoque veri sacramenti rationem habere videatur. De hisce Cfr. Billot, *De Sacramentis*, II, thesi 5ª.

A. D. S.

## IV

Q. *Quænam generatim circumstantiæ peccati sunt in confessione exponendæ? addendo rationem responsi.*

R. *Per se* declaranda est *omnis* et *sola* circumstantia *mutans speciem theologicam* aut mutans *speciem moralem mortaliter,* seu potius addens novam speciem moralem mortaliter malam.

I/ *Explicatur responsum.* Circumstantia dicitur mutans speciem *theologicam*, quando efficit « ut peccatum ex suo objecto veniale fiat mortale, v. g. grave damnum intentum in furto objective levi, et tunc vocatur etiam

(1) Non tamen *informe* erit sacramentum, cæteroquin rite susceptum ab hujusmodi pœnitente, qui consequetur augmentum gratiæ sanctificantis, quippe ad quod in ipso non reperitur obex.

circumstantia in infinitum aggravans »; vel quando efficit « ut mortale ex objecto fiat leve, v. g. defectus plenioris deliberationis, parvitas materiæ in his quæ ex genere suo sunt peccata gravia, ut in detractione, furto etc, et tunc vocatur circumstantia in infinitum minuens ». Lahousse, *De Pœnitentia,* n. 88.

Dicitur mutans speciem *moralem*, quando addit actui malo novam malitiam specifice distinctam, ex oppositione nempe ad aliam virtutem vel ad eamdem virtutem diverso modo; addita autem malitia vel mortalis est vel venialis. Ita in fornicante circumstantia matrimonii contracti vel ordinis sacri suscepti mutat speciem moralem, utpote quæ peccato contra castitatem addit malitiam novam eamque *mortalem* adulterii vel sacrilegii contra justitiam vel religionem; accederet vero species moralis *venialis* actui peccaminoso, ex eo v. gr. quod ex vana gloria committatur. Oportet autem ut species addita sit gravis, ad hoc ut necessario declarari debeat.

In responso dicimus: « *Sola* », exclusa nempe qualibet circumstantia *in eadem specie* (tum theologica, tum morali) quantumvis peccatum aggravante aut minuente, quæ nempe speciem theologicam relinquit mortalem et non adducit novam speciem moralem mortalem.

Additur « *per se* »: ratione nimirum integritatis in confessione servandæ; non negamus namque non raro esse exponendas circumstantias in eadem specie aggravantes « ob rationem integritati extrinsecam, v. gr. ratione censuræ aut reservationis vel ratione directionis necessariæ, quia nimirum confessarius ad rite implendum suum munus judicis ac medici interrrogare debet de circumstantia v. gr. consuetudinis, quantitatis in furto valde notabilis, durationis in peccatis.... ». Lahousse, l. c., n. 90.

Tandem dicitur « *declaranda est* »; agimus scilicet de sola *obligatione* circumstantias exponendi, quin negemus regulariter *expedire*, « ob majorem animæ pacem et humilitatis exercitium, exprimere circumstantias nota-

biliter aggravantes, præterquam in materia luxuriæ » Ibidem.

II/ *Probatur responsum,* in geminata sua parte, quatenus 1/ *omnis* circumstantia mutans speciem.., sit declaranda et 2/ ea *sola*.

*Ad 1m Partem. Omnia* peccata mortalia sunt in confessione exponenda cum unum sine altero remitti nequeat; et quidem *distincte* quoad singula cum unumquodque peccatum constituat materiam necessariam judiciii sacramentalis, adeoque distincto judicio det locum. Jamvero circumstantia reddens peccatum ex levi grave vel ipsi addens novam malitiam mortalem distinctum constituit peccatum mortale. Ergo.

*Ad 2m Partem.* Ad statum quæstionis quod attinet, non inquirimus hic utrum *theoretice certa* sit sententia nostra, et improbabilis sententia adversariorum urgentium confessionem circumstantiæ in eadem specie aggravantis; cum enim lex dubia non obliget, ad intentum nostrum et *practicam* certitudinem sufficit ut *speculative probabilis* sit sententia proposita, quæ docet legem integritatis non obligare ad declarandas dictas circumstantias.

Quam probabilitatem in tuto ponere non est arduum:

*1m Arg.* traditur a Cardinali De Lugo, *Tract. de Pœnitentia*, disp. XVI, n. 113, quatenus « Christus solùm præcepit necessario confessionem peccatorum, ille autem qui explicat species et numerum peccatorum vere et proprie confitetur sua peccata », nec indiget ut confiteatur circumstantiam in eadem specie aggravantem, quippe quæ non inducit novum peccatum specie vel numero distinctum.

*2m Arg.*, confirmans primum, idque validissime, deducitur ex Conc. Trident., Sess. XIV, cap. 5° (1) et

(1) « Colligitur præterea etiam eas circumstantias in confessione explicandas esse quæ speciem peccati mutant, quod sine illis peccata ipsa neque a pœnitentibus integre exponantur nec judicibus innotescant; et fieri nequeat ut de gravitate criminum recte censere possint, et pœnam, quam oportet, pro illis pœnitentibus imponere ».

canone 7° (1), in quo utroque loco Concilium, ex professo doctrinam exponens de integritate confessionis, limitat circumstantias declarandas ad illis solas quæ *speciem peccati mutant*.

Cujus argumenti vim non parum augebit obvia notitia confectionis decreti et canonis Tridentini, deprompta ex *Actis genuinis Conc. Trid.*, editis a Theiner, tom. I, a pag. 531 ad pag. 600. In priori nempe textus compositione habebatur: « Colligitur præterea necessarium etiam esse eas circumstantias in confessione explicari, quæ aut speciem actus immutant, *aut delictorum culpam vehementius vel augent vel extenuant...* » p. 585, quæ ultima verba delendo non obscure significarunt PP. Tridentini sese, præter circumstantias speciem actus immutantes, nullam aliam imponere in confessione declarandam.

Insuper canon nunc septimus, prius octavo loco propositus examini Patrum Concilii, anathema dicebat contra illos qui tenuerint necessarium non esse confiteri « circumstantias *quæ peccata mutant...* » p. 592, et in congregationibus subsequentibus plures motæ sunt animadversiones signanter circa hæc duo: 1/ ut verbis « quæ peccata mutant » substituerentur verba « quæ speciem peccati mutant » et 2/ ut adderetur » quæ peccata aggravant ». p. 593-600. Porro concilium admisit priorem correctionem propositam ejusque rationem habuit in definitiva textus compositione, alteram vero neglexit, ex quo eruitur PP. Tridentinos *positivo modo* exclusivisse circumstantias aggravantes a censu illorum quæ *necessario* in confessione sunt exprimenda.

Nos non tangit quod huic secundo argumento opponit Suarez, Disp. XXII, Sect. III, n. 7, Concilium nempe inter requisita ad integritatem non enumerasse nisi certa et indubia, relictis dubie requisitis; juxta

(1) « Si quis dixerit... necessarium non esse jure divino confiteri... circumstantias quæ peccati speciem mutant,.... anathema sit ».

dicta namque sufficit nobis probasse circumstantias aggravantes *non certò* esse in confessione explicandas.

Magis ad rem est objectio deducta ex rationibus adjectis ab ipso Concilio, quatenus non minus valere videantur pro circumstantiis aggravantibus quam pro circumstantiis speciem mutantibus. Non negamus hasce rationes, si urgeantur, applicari posse circumstantiis mere aggravantibus, sicuti de facto ipsis applicabantur in priori textus elucubratione; attamen *principaliter* attingunt solas circumstantias speciem mutantes, uti late ostendunt De Lugo, l. c., nn. 115-121, Salmant., *Tract. de Sacram. Pœnitentiæ*, cap. VII, n. 29.

Insuper rationes congruentiæ, quales hic habemus, non adeo stricte sunt sumendæ ac si nunquam latius paterent quam ipsa thesis probanda.

*3m Arg.:* Nimiis auxietatibus præberetur ansa si circumstantias notabiliter aggravantes, difficulter dignoscendas, exponere oporteret.

Hæc jam sufficiunt ut extra dubium ponatur probabilitas sententiæ excusantis pœnitentem a confessione circumstantiæ in eadem specie aggravantis.

*Objicitur:* Indicanda sunt numerus peccatorum et circumstantiæ mutantes speciem: atqui natum est fieri ut peccatum magis mutetur per circumstantiam mere aggravantem quam si multiplicetur peccatum aut species ipsi addatur. Ita, juxta doctrinam expositam, fur æqualiter confitebitur furtum 100 francorum quam furtum 100000 fr., dicendo utroque in casu se furtum grave commisisse; dum alter qui ter 100 fr. auferret tria peccata haberet accusanda.

Respondetur a/ dictam disproportionem esse per accidens, in lege autem generali esse attendenda quæ sunt *per se*. Porro per se et ut plurimum magis influunt in peccatum numerus et circumstantia mutans speciem quam circumstantia mere aggravans; b/ passim tales circumstantiæ enormiter aggravantes aliunde et per accidens, puta ratione directionis etc., sunt aperiendæ confessario opportunè interroganti.

Reliquas objectiones plurimas propositas et solutas videsis præ aliis apud De Lugo, l. c.; Salmant., l. c.; Wirceburg., tom. V, n. 201 et seq.; S. Alph., VI, n. 468; Gury-Baller., II, n. 484; apud quos notatim congruum reperies responsum ad difficultatem opponi solitam ex Rit. Rom., Tit. I. *De Sacram. Pœnit.*, cap. I, n. 15, et ex Catechismo Rom., P. II, cap. V, n. 47, quibus cæteroquin auctoritate longe præit Conc. Trident. supra invocatum.

*Practice* igitur pœnitens *non tenetur*, *ratione integritatis*, circumstantias mere aggravantes in confessione exponere.

A. D. S.

V

Q. *An et quare ab integritate materiali excusat infamia tertii apud confessarium incurrenda?*

R. I/ *Prænotanda*. 1º Non agitur nisi de infamia *in re gravi*, quia infamia in re levi indubie cedit coram præcepto gravi integritatis; vicissim in quæstione non attenduntur peccata venialia et species peccati leves, cum lex integritatis ad illa confitenda non obliget.

2º/ Si objective *certa* est *sententia affirmans* infamiam incurrendam apud confessarium esse causam excusantem ab integritate materiali, pœnitens *ne quidem potest* integre confiteri peccatum vel peccati speciem ex quibus infamaretur tertia persona. Eo ipso enim a contrario sequitur integritatem servandam non esse causam sufficientem lædendi famam proximi, adeo ut integrum subsistat præceptum legis naturalis de fama aliena non lædenda.

E contrario, si objective *certa* est *sententia negans* dictam infamiam esse tanti habendam ut prævaleat præcepto integritatis, pœnitens *potest et debet* integrè confiteri, non obstante infamia tertii penes confessarium incurrenda; cessat nimirum lex naturalis violandi famam ob præsentiam causæ proportionatæ et sola subsistit lex integritatis.

Tandem si utraque sententia est *probabilis* (uti censet Gury, II, n. 499, quem sequitur Genicot, II, n. 295), practice sequitur pœnitentem posse pro lubitu peccata tertium infamantia integre confiteri vel ab illis integre confitendis abstinere.

Antequam autem lædat integritatem confessionis ob servandam famam alienam, *sub gravi* tenetur pœnitens adire confessarium cui ignota sit persona infamanda ; et vicissim, antequam lædat famam proximi ut consulat integritati, ad idem tenetur, at regulariter sub levi dumtaxat et in quantum commodè fieri potest. (1)

II/ *Responsum*. Censemus infamiam tertiæ personæ *complicis* apud confessarium *generatim* non excusare, idque ceu objective certum habemus ita ut non agnoscamus probabilitatem *intrinsecam* sententiæ alteri; unde pœnitens regulariter tenetur integre confiteri, non obstante infamia complicis, et confessarius ex officio debet integritatem procurare et ad hanc urgere suos pœnitentes, exceptis illis qui auctoritate extrinseca adversæ sententiæ (2) nituntur ad reticendum peccatum tertiam personam infamans.

Dicitur : « *generatim* », quia non negarem posse reticeri in confessione peccatum, quando ex eo extraordinario modo infamanda est persona, puta pater vel mater, in quam speciali titulo ad reverentiam adstringimur, vel et forsan quando agitur de revelatione criminis penes confessarium coram quo tertia persona peculiariter timet infamari.

Additur : « *complicis* », quia rursus, cæteris paribus, facilius ab integritate excusabit infamia procuranda personæ quæ non fuit complex peccati confessi sed merum objectum, vel ipsi ansam præbuit dumtaxat et

---

(1) Cfr. infra dicenda ; Lahousse, *De Pœnitentia*, n. 108 ; Marc, *Institutiones Morales*, II, n. 1703.

(2) Tanquam hujus sententiæ patroni citantur apud Salmant., *Tract. de Pœnit.*, cap. VIII, n. 126, plures iique graves Auctores, quibus recentius accessit Ballerini-Palmieri, *Opus Morale*, V, 441 et seq.

occasionem. Cæterum, in casu plerumque infamia deerit, vel aderit minor. Supponimus commodè adiri non posse alium confessarium, cui ignota sit persona infamanda.

III/ *Probatur responsum.*

*1m arg.* A pluribus passim *leve* dicitur rem gravem manifestare uni tantum viro probo; quanto magis levis dicetur talis manifestatio, si vir cui crimen propalatur, qua confessarius, sanctissima et strictissima sigilli lege vinctus existit! Jamvero ubi lex servandæ famæ alienæ *sub levi* tantùm obligat, nequaquam valet excusare a lege integritatis, quam *sub gravi* urgere omnes uno ore conclamant.

*2m arg.* In sententia opposita non raro « onus quod semper pro magno haberi consuevit, peccati actum substantialem *bis* confitendi imponitur. Scil. fama complicis servanda, si excusat ab integritate confessionis, ex omnium sententia non dat jus aliud reticendi, quàm quod ad conservandam complicis famam prorsus exigitur: quare ex. gr. qui incestum commissum aliter fateri non potest, certissime tenetur in prima confessione ad confitendum *peccatum luxuriæ,* quamvis suppressa illa circumstantia incestus. Porro postea, quando apud alium confessarium confitendi facultas adest, circumstantiam incestus, quam declarare tunc debet, quomodo practice declarabit, nisi peccatum luxuriæ iterum accusaverit? » Lehmk., II, n. 334 (Ed. 9a).

*3m arg.* Frequentissime accidet ut absque infamia complicis confessio apud consuetum confessarium fieri nequeat integrè. Revera, quomodo in nostris regionibus potissimum ruralibus, in quibus pœnitentes confessariis sunt plerumque notissimi, quomodo, inquam, conjux, absque infamia compartis, gravia peccata declarabit in usu matrimonii commissa? quomodo procantes et sponsi, qua tales passim haud ignoti, mutuam famam servabunt in exponendis peccatis luxuriæ? quo pacto, ancilla iterata adulteria confitendo, ab hero suo malam suspicionem amovebit? et ita porro.

Jamvero, nisi dicas talem infamiam levem esse habendam et ab integritate non excusare, duplex incurres inconveniens haud exiguum: imprimis, antequam violent integritatem ut parcant famæ alienam, *sub gravi,* uti dictum est, essent cogendi dicti pœnitentes ad quærendum alium confessarium, quod non esset absque gravi onere et animæ detrimento; insuper, cum non raro copia desit alterius confessarii, quam plurimæ confessiones fierent mancæ et incompletæ.

*4m arg.* Tandem, ab extrinseco rem considerando, exposita sententia est longe communior: adducuntur enim apud Salmant., l. c., n. 127 *quinquaginta* Auctores eidem sententiæ patrocinantes, quibus alii accedunt plurimi, inter quos Billuart, *De Pœnitentia*, Dissert. VII, art. II, § 2; Reuter, *Theolog. Moralis*, P. IV, Tract. V, qu. 7; Roncaglia, *Tract. de Sacr. Pœnit.*, quæst. III, cap. III, quær. 3; Ferraris, *Prompta Bibliotheca*, V° *Pœnitentiæ sacram.*, n. 93; S. Alph., VI, n. 489, qui dictam sententiam vocat communem aliosque citat patronos; D'Annibale, *Summula*, III, n. 305, not. 35; Marc., l. c., II, n. 1702; Lehmk., l. c., n. 333 et seq.; Haine, *Tractatus de Pœnit.*, n. 51; Aertnys, II, n. 196, qu. 10.

A. D. S.

## VI

Q. *An et quo pacto licet publicare, retinere vel legere versiones aut commentarios SS. Scripturarum a catholicis confectos?*

R. Inter *Decreta generalia de prohibitione et censura librorum* a SSmo Dno Leone Papa XIII nuper edita, plura recensentur quæ tum *publicationem* tum *usum* (retentionem et lectionem) hujusmodi versionum commentariorumque moderantur. Equidem

I. Ad *publicationem* quod spectat, 1° « omnes fideles », auctores nempe, typographi et editores, « tenentur

præviæ *censuræ ecclesiasticæ* eos... subjicere libros, qui divinas Scripturas... respiciunt » (art. 41).

Si ulterius quæratur *penes quos* potestas sit sacrorum Bibliorum versiones et commentarios adprobare, responsum liquet ex iis quæ articulis 7, 30, 34, 35, 36 et 37 statuta sunt, videlicet:

a/ *Versiones* in lingua *vernacula*, etiam a viris catholicis confectæ, si adnotationibus desumptis ex Sanctis Ecclesiæ Patribus, vel ex doctis catholicisque scriptoribus non fuerint illustratæ, subjiciendæ sunt approbationi Sedis Apostolicæ (art. 7 coll. art. 30); nec Ordinariis licet eas adprobare, nisi forsan agatur de illis S. Scripturæ partibus quæ passim in libris precum vulgari lingua conscriptis inveniuntur, ut sunt psalterium, epistolæ et evangelia anni liturgici.

b/ *Cæterarum versionum*, tum antiquarum, tum aliarum sive latina, sive alia lingua non vulgari confectarum, tum etiam illarum quæ vernaculo sermone exaratæ sunt præscriptisque adnotationibus, licet paraphrastice intercalatis, communitæ; necnon S. Scripturæ *commentariorum* approbatio *regulariter* pertinet ad *Ordinarium* loci in quo publici juris fiunt (art. 35 coll. art. 7).

Dicimus *regulariter;* quia duplex huic regulæ apponitur exceptio: 1. *Vicarii et Missionarii Apostolici*, saltem ii qui in locis missionum versantur, vi decretorum a S. Cong. de Prop. Fide de libris edendis editorum, indigent approbatione ipsius Sacræ Congregationis, in scriptis obtinenda, et in operis initio imprimenda (art. 34 coll. decretis 6 Dec. 1655 et 28 Dec. 1770). 2. *Si auctor Romæ degat* seu actu commoratur, prævia approbatione sese communire debet Cardinalis Urbis Vicarii et Magistri Sacri Palatii; et præter hanc alia non requiritur, etiamsi opus alibi imprimatur seu edatur (art. 37).

« *Regulares*, præter Episcopi licentiam, meminerint teneri se, Sacri Concilii Tridentini decreto, operis in lucem edendi facultatem a *Prælato,* cui subjacent obtinere » (art. 36). Tridentino decreto de licentia quoque a

suis superioribus obtinenda non obstringuntur nisi religiosi stricte tales; cæteri autem stent peculiari regulæ suæ statuto.

*Nota.* Si versiones vel commentarii cum debita licentia primum publicati, denuo edantur vel in aliam linguam vertantur, « noverint typographi et editores *novas... editiones* novam approbationem exigere; hanc insuper textui originali tributam », operis « *in aliud idioma versioni* non suffragari » (art. 44).

2° Qui sine Ordinarii approbatione Sacrorum Scripturarum versiones vel commentarios imprimunt, aut imprimi faciunt, incidunt ipso facto in excommunicationem nemini reservatam (art. 48).

Hac censura innodantur tum editor, tum auctor si ipso curante vel jubente liber publicetur, tum typographiæ dominus seu impressor vel ipsius personam agens, tum etiam, juxta communiorem sententiam, subordinati operarii qui proxime ad impressionem cooperantur, si voluntarie absque licentia seu approbatione ab aliquo Ordinario, sive in scriptis, sive saltem oretenus, acceptam, Sacræ Scripturæ versiones aut commentarios publici juris faciant. Regulares autem, si hujusmodi opera in lucem edant vel edi curent quin facultatem a *Prælato*, cui subjacent, obtinuerint, peccant quidem, sed excommunicationem non incurrunt.

3° Seclusa facultate ab Apostolica Sede impetrata, publicandi licentia in principio *vel* in fine operis est *imprimenda* (art. 40 coll. art. 36); et quidem, ut plerique opinantur *juxta tenorem verborum*, prout in *scripto* ab Ordinario vel Prælato regulari recepto sonat, ut operis approbatio « *authentice* appareat » (Reg. X Indicis).

Ulterius præscribitur ut liber « in principio *nomen* et *cognomen* tum *auctoris*, tum *editoris* præferat, *locum* insuper et *annum impressionis* atque *editionis*. Quod si aliquo in casu, justas ob causas nomen auctoris tacendum (vel ementito nomine celandum) videatur, id permittendi penes *Ordinarium* facultas sit » (art. 43).

II. Quoad RETENTIONEM et LECTIONEM, hæc teneantur principia:

1° « *Versiones* omnes *in lingua vernacula*, etiam a viris catholicis confectæ, *omnino prohibentur*, nisi fuerint ab Apostolica Sede approbatæ, aut editæ sub vigilantia Episcoporum cum adnotationibus desumptis ex Sanctis Ecclesiæ Patribus, atque ex doctis catholicisque scriptoribus » (art. 7). Hinc, versiones in lingua vulgari *sine notis* editas et a *S. Sede* haud approbatas « ii tantum legere et retinere poterunt, qui a Sede Apostolica, aut ab illis, quibus vices suas delegavit, opportunas fuerint consecuti facultates » (art. 23).

Juxta plures tamen excipiuntur versiones notis destitutæ illarum S. Scripturæ partium quæ in libris precatoriis, ab *Ordinario* opprobatis, insertæ inveniuntur (art. 20).

2° Aliæ *versiones* sive latina, sive alia lingua non vulgari, quæ *a catholicis* primum *confectæ* et editæ, postea *ab acatholicis* quibuscumque iterum fuerunt *publicatæ*, « iis dumtaxat, qui studiis theologicis vel biblicis dant operam, dummodo tamen non impugnentur in prelegomenis aut adnotationibus catholicæ fidei dogmata, permittuntur » (art. 6 coll. art. 5).

3° *Cæteræ* SS. Bibliorum *versiones omnes*, necnon eorumdem *commentarii*, a catholicis confecti, hodie *de jure communi* universim permittuntur; idque valere opinamur, pluribus contradicentibus, etiamsi hujusmodi opera, contra legis præscriptum (art. 41 et 48), absque Ordinarii approbatione edita fuerint.

Dicitur: *de jure communi* seu ex lege generali Ecclesiæ; quia semper manet præceptum juris naturalis quo prohibemur proximo peccandi periculo nos exponere. Quapropter omnino consulendum est fidelibus ut prius consilium confessarii aliusve sacerdotis exquirant quam lectionem versionis S. Scripturæ lingua vernacula conscriptæ aggrediantur.

C. V. C.

# Evangelia Dominicarum

## Dom. VI post Epiph.

—

*Parabola de grano sinapis ac de fermento.* Matth. XIII, 31-35. Cf. Marc. IV, 30-34; Luc. XIII, 18-21.

***

Te dien tijde 31 zei Jesus tot de scharen deze gelijkenisse: Het Rijk der hemelen is gelijk aan een mostaardzaad, dat iemand genomen en op zijnen akker gezaaid heeft; 32 dat wel het minste is van al de zaden, maar wanneer het opgewassen is, dan is 't het meeste van al de moeskruiden, en wordt een boom, zoodat de vogelen des hemels komen en wonen op zijne takken.

33 Eene andere gelijkenisse sprak hij tot hen: Het Rijk der hemelen is gelijk aan eenen zuurdeesem, welken eene vrouw nam en kneedde onder drie maten meel, totdat het *meel* geheel gezuurd was.

34 Dat alles sprak Jesus in gelijkenissen tot de scharen, en zonder gelijkenissen sprak hij tot hen niet; 35 opdat vervuld zou worden wat gesproken was door den Profeet, die zei: Ik zal mijnen mond openen in gelijkenissen; ik zal uitspreken wat verborgen was van de grondvesting der wereld af.

***

### Notationes

31 *Parabolam* « qua voluit intelligendum dare, qua virtute quoque successu Evangelium esset universum terrarum orbem pervasurum, et Ecclesiam catholicam collecturum, discipulos animans ne humilibus offensi exordiis resiliant. Consultò enim Dominus regnum suum a tenuibus et contemtis principiis auspicatus

est, ut insperati progressus potentiam ipsius melius illustrarent.

32 *Quod minimum est omnibus seminibus*, sc. olerum; non quòd nulla possint olerum semina esse minora, sed quòd unum sit ex minimis omnium ac valde parvum: sic enim vulgò loqui solemus.

*Cum autem creverit* seminatum et enatum, *majus est omnibus oleribus,* maximum est omnium olerum, quantitate proinde minimum, virtute maximum, *et fit arbor*, evadit in arborem: durescit enim a stirpe sursùm, et in calidioribus quidem regionibus longe ultra humanam staturam assurgit, *ita ut volucres cœli veniant*, *et habitent*, commorentur, *in ramis ejus*.

Porrò altera similitudinis pars, quam Salvator intelligendam relinquit, est hæc: Ita Evangelium, quo congregatur et conditur Ecclesia, paraturque cæleste regnum in terris, inter omnia genera doctrinarum, quæ sunt in mundo, minimum est, minimum habet splendoris et commendationis, sive a naturali ratione, sive ab hominum consuetudine, sive à magistrorum eloquentia et auctoritate, immo abhorret ab insito hominibus judicio, ac proinde etiam contemtum est, Judæis scandalum, Gentibus autem stultitia: tamen ubi a me (quod cœpi) et iis qui hac in parte legationis munere pro me fungentur, prædicatum divulgatumque fuerit in mundo, cætera omnia doctrinarum genera, quæ hactenus in mundo viguerunt, celebritate, soliditate, firmitate æternitateque superabit, et se per universum terrarum orbem longe lateque diffundens, innumerabiles alliciet attrahetque discipulos et cultores, ita ut nulla sit orbis pars, nulla natio sub cælo, ex qua non turmæ magnæ gaudeant accedere, amplecti doctrinam illius, requiescere in umbra fidei quam prædicat, et commorari in salutari observatione ac suavi contemplatione rerum divinarum, plurimarum numero, quas in se continet, virtus cum sit et sapientia Dei, I Cor. I v. 24. Quo fiet brevi, ut augustissimum in terris sit cælorum regnum, omnium

et locorum et temporum, Ecclesia inquam Catholica » Luc. Brug.

« Ut autem singula parabolæ diligentius excutiantur, bene certe Evangelica doctrina grano sinapis comparatur. Primùm quidem ob causam quam Salvator indicat, nimirùm quòd in comparatione aliorum seminum parvum sit et exiguum. Sic enim et prædicatio Evangelii minima videbatur imprimis omnium disciplinarum. Prædicabat enim hominem Deum factum, Deum mortuum, et crucifixum, et prædicabat verbis simplicibus et per simplices, ob quod longe inferior videbatur dogmatibus philosophorum, et libris eorum plenis splendore eloquentiæ, ac sermonibus arte compositis.

Secundò grano sinapis recte comparatur ob ejus efficaciam, non solùm in crescendo, quam efficaciam Dominus attingit, sed etiam ob efficaciam sinapis, quæ tantùm sentitur cum conteritur, et quæ valet ad pellenda venena, et omnes pene morbos curandos, ut auctor est Plinius. Sic enim et doctrinæ Evangelicæ tùm primùm acrimonia et efficacia percipitur, cum bene masticatur, et per meditationem veluti frangitur, nec est aliquod morbi genus, quod non ista sanetur, quæ ignea sua vi frigiditatem mentis mox pellit, et curat.

Jam quod cum alia semina in herbas tantum aut olera exurgant, semen sinapis in arborem potius exurgit, quam in olera, mysterio etiam convenit secundùm explicationem Hieronymi. Philosophorum enim dogmata cum creverint, tantùm in olera, et herbas quæ cito arescunt et corruunt, ebulliunt, eo quod nihil sit in eis firmum et solidum, sed totum flaccidum, et marcidum. Prædicatio autem Evangelica non in olera, sed veluti in arborem magnam crevit, longe scilicet et late diffusa, et firmiter stabilita. Quod autem dicitur de volucribus cœli, mysterio etiam maxime convenit. Eo enim significatum est, eos tantùm conquiescere in umbra Evangelii, qui terrenis relictis ad cœlestia possunt subvolare...

Porrò Hilarius et Gregor. per granum sinapis ipsum

Christum significatum intelligunt. Vilis enim videbatur Dominus, quia fabri filius, et pauperrimus. At ubi cecidit in cor terræ, id est, quum mortuus esset, et sepultus in horto, ultra mensuram omnium olerum excrevit, dum excessit omnium prophetarum gloriam, fecitque ramos pulchros, Apostolos scilicet, in quibus quiescunt hi, qui prius ob mentis levitatem volucribus erant similes. Quæ explicatio etsi non videatur esse a Domino præcipue intenta, tamen in superiore etiam continetur. Significatur erga hac parabola idem quod in visione Nabuchodonosor per lapidem abscissum de monte sine manibus qui factus est mons magnus, et implevit terram universam.

Est autem et alia hujus parabolæ explicatio, quam indicat Hieronymus, sed quæ per accommodationem applicatur ad singulos homines pro ædificatione morum, ut quisque homo intelligatur seminare granum sinapis, hoc est, doctrinam Evangelii in corde suo, cum illam in corde suo suscipit, et humore fidei fovet, in quo deinde ita pullulabit et crescet, ut in ramis bonorum operum ejus Angeli sint quieturi, aut ramis doctrinæ suæ possit et alios obumbrare, ac habitandi locum præbere » Jans. Gand.

33 *Aliam parabolam* « Hæc parabola fere idem significat ac præcedens : sola differentia est, quod vim *internam* gratiæ seu prædicationis evangelicæ magis designet, et doceat quomodo vis illa homines penetret et quasi transformet, sicut fermentum massam farinariam pervadit et sublevat » Van Steenkiste.

Sensus parabolæ « Quemadmodum modici fermenti massulæ ingens est vis agendi in immodicam farinæ copiam, cui admiscetur : quam brevi afficit totam et in suam transformat naturam : ita humile Evangelium meum universum terrarum orbem, cui prædicabitur, alterabit, et in suam trahet vertetque naturam » Luc. Brug.

Porro « rectè fermento Evangelica doctrina comparatur, non solùm quòd parva licet occulta vi multa

transmutet, sed etiam quòd totum mundum insipidum prius, sapidum reddidit, ac diversas gentes in unum Ecclesiæ corpus univit, quemadmodum et modicum fermentum diversis farinæ mensuris commixtum totam conspersionem in unum simul corpus unit. Deinde quòd homines mortuos ad virtutis opera, vivificet ad virtutum operationem, quemadmodum farinam, per se rem mortuam, fermentum quodammodo vivificat, sursum eam ascendere faciens. Jam per mulierem, rectissime intellexerimus cum Divo Augustino significatam Dei sapientiam, quæ Evangelicum fermentum orbi prudenter et clanculum admiscuit....

Divus Hilarius rursum hîc per fermentum intelligit significatum Christum, eo quod accepta a nobis natura, virtutem divinitatis suæ humanæ naturæ communicaverit. Fermentum enim de farina est, virtutemque acceptam acervo sui generis reddit. Hoc ergo fermentum mulier Synagoga per judicium mortis abscondit, arguens legem et prophetas Evangeliis dissolutos. Hoc autem in farinæ mensuris tribus, id est, legis, Prophetarum, et Evangeliorum æqualitate coopertum, unum omnia fecit, ut quod lex constituit, et prophetæ nunciaverunt, idipsum Evangeliorum profectibus expleatur. Hæc ille.

Cæterùm secundum moralem intelligentiam, quam præter præcipuam intelligentiam omnes fere habent parabolæ, per mulierem abscondentem fermentum in tribus farinæ satis, recte intelligitur anima hominis, quæ prædicationem Evangelicam occultat, et commiscet tribus suis partibus, quæ sunt rationalis, concupiscibilis et irascibilis, ita ut fiat una ex his contemperatio per doctrinæ communionem, ac totus homo fiat spiritalis, ita ut nec rationalis ejus pars labatur in dogmatibus, nec irascibilis, aut concupiscibilis, absque ratione ferantur, sed fermententur omnia, et assimilentur sermoni Dei, et in ratione quidem possideat homo prudentiam, in irascibili odium contra vitium, in concupiscibili desiderium virtutum. Sic Theophylactus super Lucam,

et D. Hieronymus super Matthæum: quorum uterque indicat per tria sata intelligi posse etiam tres eas partes in quas Paulus hominem dividit: spiritum, animam, et corpus, inter quas partes communione verbi Dei una fit contemperatio, ut in unum redactæ non discrepent inter se » Jans. Gand.

## Conclusio

Parabolæ *de grano sinapis* et *de fermento* duo portendunt miracula in ordine morali, quibus Ecclesiæ divinitas manifeste probatur, scilicet *admirabilem Ecclesiæ catholicæ propagationem*, ac *mutationem quam religio christiana in genus humanum induxit:* de quibus concionari si lubet, consulatur Jungmann, *de vera Religione.*

G. V. D. P.

# Ordo Missæ

SEU

## precum et ceremoniarum Missæ interpretatio

—

*(Sequitur. — Cfr. suprà pag. 469.)*

—

### Art. II. CONSECRATIO.

#### § 1. *Præfatio.*

30. Hæc Missæ pars vulgato nomine *Præfatio* dicitur, id est, prælocutio seu præludium ad præcipuam orationem, sacrorum mysteriorum consummativam, Canone contentam. Est enim invitatio quædam ut cor ad Deum elevetur ac Illi gratiæ agantur tanquam omnium bonorum largitori, ad exemplum Christi Domini, qui, cum Lazarum a morte suscitare, panem multiplicare, et panem ac vinum in suum ipsius Corpus et Sanguinem mutare vellet, ab agendis Patri gratiis initium sumpsit.

Missale Romanum undecim habet præfationes, quarum omnium eadem est introductio et similis conclusio; in medio autem seu corpore orationis quædam habent diversa pro diversis festis et temporibus anni liturgici. Incipimus ab explicanda præfatione communi, posthæc interpretaturi quæ cæteræ continent specialia.

31. Introductio præfationis constat tribus versibus cum suis responsis. Postquam sacerdos et populus consueta deprecatione *Dom. vobiscum etc.* se invicem salutaverunt, celebrans adstantes hortatur ut mentem ad Deum erigant: *Sursum corda!* quasi diceret: jam tempus est, ut sepositis quibusvis cogitationibus terrenis, mentis oculum divinorum considerationi infigamus; instat enim celebratio mysterii undequaque divini. Hæc dicens sacerdos manus elevat, juxtà dictum Prophetæ:

« Levemus corda nostra *cum manibus* ad Dominum in cœlos »; quasi externo gestu manuum exprimens quod interno cordis affectu agendum monet. Invitationi sibi factæ assentientes respondent fideles : *Habemus ad Dominum.* — Sequitur adhortatio ut mentes sursum erectæ laudando Deo sint intentæ: *Gratias agamus Domino Deo nostro;* cui respondet populus illud *dignum et justum esse.*

Referre hic juvat animadversiones S. Cyrilli Hierosolymitani in eosdem versus : « Clamat, inquit, sacerdos: *Sursum corda*. Vere enim circa illam maxime tremendam horam sursum ad Deum corda levare necesse est, et non deorsum ad terram terrenaque negotia deprimere. In hanc igitur sententiam omnibus præcipit sacerdos, scilicet vitæ hujus omnes et domesticas sollicitudines illa hora relinquere et cor in cœlo habere apud Deum generis humani amatorem. Vos deinde respondetis: *Habemus ad Dominum*, assentientes ei profitendo. Nullus autem sic consistat ut ore quidem dicat *Habemus ad Dominum*, mente vero circa vitæ hujus curas vagetur. Dicit deinde sacerdos *Gratias agamus D^no^ Deo nostro:* certe gratias agere debemus, quod nos adeo indignos ad tantam gratiam vocavit. Ad hoc vos subjicitis *dignum et justum est:* cum enim nos Deo gratias agimus, dignum profectò et justum opus facimus » (1).

32. Sequitur ipsa Præfatio (2). Sacerdos responsum fidelis populi confirmat et evolvit, dum sermonem ad Deum Patrem convertit dicens : *Vere dignum..... Deus.* Nihil enim *dignius et æquius* quam ut nos creaturæ Creatori, filii adoptivi Deo Patri optimo gratias agamus, et quidem *semper et ubique:* « quoniam semper et ubique sua nobis dona largitur. Nullum enim temporis momentum dederis ab exortu nostro ad obitum, in quo

(1) *Catechesi V Mystag.* cit. apud Bona *Rerum liturg.* l. II, c. X, n. 1.

(2) Per prætationem sacerdos tenet manus elevatas et hinc inde extensas usque *ad pectus*, ita ut palma unius manus respiciat alteram (rubr.).

Deus indesinenter suis nos beneficiis non prosequatur et cumulet et suæ bonitatis manum nobis non aperiat. Quod enim conservamur in ipsa naturæ integritate, quod sua assidue gubernamur providentia, nonne ipsius est munus? *In ipso enim* (ait Paulus) *vivimus, movemur et sumus*. Nullus etiam est locus distributionis divinorum bonorum expers: nam suæ benignitatis et beneficentiæ radios totum diffundit in orbem. Meritò igitur id nobis faciendum quod Propheta monet in psalmo: *Benedicam Dominum in omni tempore: semper laus ejus in ore meo*. Et iterum: *In omni loco dominationis ejus, benedic, anima mea, Domino* » (1). — Sed et *salutare* est Deo gratias agere: id enim Deum movet ad novas et abundantiores gratias elargiendas; ceterùm gratiarum actio actum importat humilitatis, quo bona quæ in nobis sunt Deo tanquam eorum auctori referimus: Deus autem *humilibus dat gratiam;* ac insuper nihil magis salutare quam exercitium humilitatis, quæ est fundamentum perfectionis. Unde « optima ratio impetrandi a Deo donum perseverantiæ et pertingendi ad salutem et beatitudinem est jugis gratiarum actio. Hæc enim est inchoatio vitæ cœlestis, hæc est stimulus ad iter hoc in cœlum usque jugiter prosequendum; hæc est tacita invocatio Dei, quæ novam et continuam ab eo gratiam elicit et provocat » (2). — Ast impotentes sumus nos, miseræ creaturæ, qui æterno Deo dignas persolvamus gratias; quare addimus: *Per Christum, Dominum nostrum*, qui est mediator et advocatus noster, *per quem accessum habemus ad Patrem* (Eph. II, 18), maxime in Missæ sacrificio, ubi sese offert in hostiam laudis infinitæ dignitatis. Ceterùm « eodem ordine debet gratiarum actio in Deum recurrere, quo gratiæ a Deo in nos deveniunt, quod quidem est per Jesum Christum » (3). — Sed non tantum nos homines sed et ipsi

(1) Clichtoveus, *Elucidatorium ecclesiasticum*, part. III.
(2) A Lapide, *in Apocal.* VII, 12.
(3) S. Thom. *in epist. ad Rom.* c. I, lect. V.

angeli Deum laudant per Christum Jesum, per quem et ipsi creati sunt et conservantur, « *quoniam*, docente Paulo, *in ipso condita sunt universa, in cœlis et in terra, visibilia et invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates: omnia per ipsum et in ipso creata sunt; et ipse est ante omnes et omnia in ipso constant* » (1). Imò etiam quà *homo* Christus est rex et caput Angelorum, siquidem Deus, juxta eumdem Apostolum, « *suscitavit illum a mortuis et constituit ad dexteram suam in cœlestibus, supra omnem principatum, et potestatem, et virtutem, et dominationem, et omne nomen quod nominatur, non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro. Et omnia subjecit sub pedibus ejus: et ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam* (triumphantem ac militantem), *quæ est corpus ipsius et plenitudo ejus* » (2). — Meritò igitur dicitur: *Per quem* (Christum) *majestatem tuam laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt* i. e. cum profundissimo humilitatis ac reverentiæ sensu venerantur *Potestates. Cœli* seu cœli incolæ, *cœlorumque Virtutes ac beata Seraphim socia exultatione* seu unanimi laude *concelebrant. — Cum quibus et nostras voces..... dicentes:* nimirum conscii exiguitatis et miseriæ nostræ, jure existimamus laudationes nostras ex se minime dignas esse quæ concentui angelico misceantur: idcirco humiliter petimus divina bonitate et indulgentia permitti ut unà cum cœlestibus spiritibus ipsi canamus: *Sanctus, Sanctus* etc.

33. Ista est Præfationis *conclusio*, quæ partim ex angelica laude in cœlis Deo exhiberi audita (*Sanctus.... Gloria tua*,), partim ex humana Christo in terris decantata (*Hosanna...* usque in finem) componitur.

De priori parte egregie scribit Clichtov. l. c.: « Sane illa angelorum celebratio ex Isaiæ cap. VI sumpta dignoscitur, ubi ait Propheta de duobus Se-

---

(1) *Coloss.* I, 16, 17.
(2) *Eph.* I, 20 sqq.

raphim: Et clamabant alter ad alterum, et dicebant: *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum; plena est omnis terra gloria ejus.* Apocalypsis item cap. IV de quatuor mysticis animalibus dicit: *Et requiem non habebant die ac nocte dicentia: Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat, qui est et qui venturus est.* In illa autem supradicta angelorum laude *primò* insinuatur mysterium Trinitatis divinarum personarum, cùm ad earum numerum ter repetitur nomen *Sanctus*, ut primum Deo Patri respondere intelligatur, secundum Filio, tertium vero Spiritui sancto. *Idem* vero nomen *tertiò* repetitum innuit nobis omnimodam ipsarum personarum æqualitatem ac similitudinem in naturalibus et substantialibus proprietatibus, potentia, sapientia, bonitate et æternitate; eamdemque earum sanctitatem. *Secundò* significatur ibidem unitas divinæ substantiæ, cum in numero singulari subjungitur: *Dominus Deus Sabaoth.* Nomen enim illud singulare *Dominus Deus* divinitatis indicat unitatem... Deus *Sabaoth* unum est ex specialibus Dei nominibus, tantumdem valens atque *exercituum.* Itaque Dominus Deus Sabaoth dicitur, quia exercituum cœlestium angelicorumque agminum Dominus et princeps est, de quorum numerositate et turba dicit Daniel: *Millia millium ministrabant illi, et decies centies centena millia assistebant illi... Tertiò* divinæ plenitudinis expansio diffusioque designatur in verbis illis angelicæ laudis: *Pleni sunt cœli et terra gloria tua;* quibus et per cœlorum amplitudinem et terræ spatiositatem ostenditur supereffusa divinæ magnitudinis plenitudo. Quod et Dominus per Prophetam indicat cum dicit: *Cœlum et terram ego impleo* (Jerem. XXIII); et Psalmographus: *Quò ibo a spiritu tuo...* Neque tamen perperam hunc locum intelliget qui per cœlos spiritus angelicos, et per terram homines hic acceperit; ut usitatus est sanctæ Scripturæ mos. Nam et cœlestes spiritus et homines Dei gloria implentur, illi quidem præsenti glorificatione, hi vero in spe et prævia dispo-

sitione. Neque alia sunt creaturarum genera, divinæ gloriæ plenitudine participantia ».

Ad alteram hymni partem quod spectat, illud Christi præconium desumptum est ex Evangelio Matth. XXI, ubi refertur solemnis Christi ingressus in civitatem Jerusalem sub acclamatione populi. *Hosanna* vox est hebræa quæ proprie significat *Salva quæso!* Sed non videtur turba vocem istam usurpasse in sensu suo etymologico, qui cæteroquin ab usu recesserat, sed potius per modum acclamationis et congratulationis: *Hosanna filio David!* Salus, honor filio David! Similiter Ecclesia ponens hanc vocem in ore sacerdotis intendit ut suo nomine Christo Regi et Salvatori mox in altare descensuro ex intimo corde applaudat et gratuletur. Et addens *in excelsis* seu in cœlis, videtur invitare cœlestes incolas ut secum Christo venienti dent gloriam et laudem. Nec alia est significatio verborum subsequentium: *Benedictus, qui venit in nomine Domini!* scilicet: Gloria, laus Christo Redemptori qui sicut olim venit in nomine Patris sui (Jo. v.) salvare mundum, nunc iterum propter nostram salutem et sanctificationem venit sese in sacrificium oblaturus!

34. Sacerdos recitat *Sanctus*... voce submissa manibus junctis et corpore inclinato, in signum humilis reverentiæ, quæ plane decet ipsum, infirmum mortalem, angelicis choris sese immiscentem, ad Deum infinitæ majestatis laudandum. Ad *Benedictus* verò erigit se ad manifestandum suum gaudium propter adventum quem celebrat Salvatoris; et signo crucis sese signat, quo significat Christum per crucem mundum liberasse, nobisque salutem adduxisse.

*(Sequetur).*

H. V. D. B.

# Circa Casum Apostoli

Die 17 Augusti 1898, a S. R. et U. Inquis. prodiit decretum, in quo dubium solvitur circa sæpe agitatam quæstionem dissolubilitatis *matrimonii infidelium*, et signanter norma indicatur sequenda in re matrimoniali, casu quo infidelis *polygamus* convertitur ad veram fidem. Qua occasione, dictam normam paulo latius describere juvat, simul attentis principiis generalibus hanc materiam implicatam regentibus, necnon et variis decretis huc spectantibus.

Præmittimus tenorem laudati decreti cum decreto ejusdem S. Congregationis 18 Maii 1892 ad 2m hic relato:

*Beatissime Pater*,

Præfectus Apostolicus Niger Superioris, ad S. V. pedes provolutus, humiliter petit resolutionem casus qui sequitur.

Haud levis momenti difficultas his in locis objicitur quando designari oportet quænam sit prima polygami uxor. Etenim, juxta patrios mores, illa dicitur et reipsa habetur ut prima quam polygamus ante alias (ut hic dicitur) *in via allocutus est*. Sæpe autem accidit quod vir dum expectat illam convivendi ætatem attigisse, aliam sibi uxorem petat, cum eaque maritaliter vivat, quin exinde intendat hanc primæ uxoris locum tenere; imo eam certiorem faciendo, sui ipsius primam uxorem *esse in via*. Et revera quando illa, ætate permittente, domum mariti ingreditur, primum locum ibi patrio jure tenet, recurrentibus v. gr. religiosis cæremoniis, ejus erit epulas parare easque idolis apponere, ac si maritus quadam præditus sit dignitate, ipsa sola, inter ejus uxores, hujus dignitatis jure particeps fiet.

*Allocutio*, de qua in casu, talibus aliquando comitatur cæremoniis, notionem ligaminis imo et irritabilitatis cujuscumque subsequentis unionis secum ferentibus, quod facile erui potest, verum inter partes contractum fuisse matrimonium, dum puella adhuc esset *in via*. At sæpe ita absque

cæremoniis, absque testibus, absque indissolubilitatis notione, eadem *allocutio* fit, quod plurics minime *constat* utrum fuerit vel transierit in verum matrimonium ante viri adhæsionem ei quæ more patrio habetur ut secunda uxor, an potius fuerit et manserit eousque mera de futuro desponsatio.

His positis, humiliter quærit utrum in casu quo omni adhibita in investigando diligentia, tamen *non constet* matrimonium contractum fuisse cum puella *in via* ante alterius uxoris domum ingressum, illa haberi debeat ut polygami legitima uxor quæ ab indigenis ut talis et designatur et habetur; vel potius utrum locorum moribus minime perpensis pro illa standum sit, quæ prima maritaliter viro adhæserit.

## *Feria IV, die 17 Augusti 1898.*

In Congregatione Generali habita ab EEmis et RRmis Cardinalibus in rebus fidei et morum Inquisitoribus Generalibus, relatis suprascriptis precibus, præhabitoque RR. DD. Consultorum voto, iidem EE. ac RR. Patres respondendum mandarunt:

*Standum esse pro matrimonio sive consummato sive non consummato, prioritate temporis celebrato, illis quidem cæremoniis patrio more adhibitis, quæ juxta communem regionis existimationem mutuum sponsorum de præsenti consensum sufficienter exprimunt. Quod si, factis opportunis investigationibus, non constet contrahentes vel puellas, de quibus agitur, verum consensum matrimonialem de præsenti præstitisse; ideoque de valore matrimonii prioritate temporis celebrati prudenter dubitetur, provisum per decretum 18 Maii 1892 ad 2° quod sic se habet:*

« Si, instituto diligenti examine, matrimonium cum prima,
» quæ jam baptizata fuerit, validum inveniatur, ad illam
» redire pagani, de quibus in casu, omnino teneantur. Si
» autem non fuerit baptizata, vi art. II Formulæ I satis erit
» interpellare utrum velit converti. Ubi vero converti nolit,
» vel serio dubitetur de validitate matrimonii cum prima,
» poterunt quamlibet ducere, dummodo sit baptizata, reno-
» vato consensu. »

Subsequenti vero feria VI, die 19 ejusdem mensis Augusti, in solita audientia R. P. D. Adsessori impertita, facta de his omnibus SS. D. N. Leoni PP. XIII relatione, SSmus resolutionem EEmorum Patrum adprobavit.

J. Can. Mancini, *S. R. et U. Inquisit. Not.*

Casu igitur, non infrequenti in regione missionum, quo vir infidelis, pluribus adhærens uxoribus petit ad Baptismum recipi, in primis *inquirendum est* (1) circa naturam vinculi quo junctus est dictus vir cum diversis mulieribus quas sibi copulaverit, utrum nempe et cuinam, ratione habita morum patriæ, legitime sit conjugatus, per consensum vere maritalem de præsenti.

Instituto autem diligenti examine:

I/ *Si certo constat* matrimonium *cum una uxore* (infideli) rite fuisse celebratum, « illis nempe cæremoniis patrio more adhibitis, quæ juxta communem regionis existimationem mutuum sponsorum de præsenti consensum sufficienter exprimunt », illud matrimonium manet validum, et qua tale est habendum ab infideli polygamo *etiam post conversionem*, uti sæpius est declaratum et signanter a C. S. O. 20 Junii 1866 (Collect. n. 1354), « cum per sacramentum Baptismi non solvantur conjugia sed crimina dimittantur » l. IV Decretalium, tit. XIX, cap. 8. Nec opus est ut consensus renovetur. (2)

---

(1) Nec examen est negligendum etiam apud illas gentes barbaras, quæ prima fronte prorsus oblitæ videntur notionis veri matrimonii, quales describuntur ab Episcopo S. Alberti, in dubio ad S. C. O. relato. Inter alia enim reposuit S. Congr., 9 Dec. 1874: « Haud certum enim compertumque est apud istas gentes nullum constare matrimonium secundum jus naturæ, omnes et singulas indiscriminatim conjunctiones esse concubinatus, immo quamlibet utut confusam nuptiarum notionem earumque discriminis a concubinatu, a barbarorum mentibus penitus excidisse. Requidemvera judicium quo alienæ genti legitimus thorus denegetur proferri nequit, nisi præhabita diligenti morum investigatione et innitatur oportet gravissimis argumentis in facto positis; secus attendenda est præsumptio juris; illis enim deficientibus, pro perdito quovis populo clamat natura, quæ in omnium cordibus primas exculpsit nuptiales tabulas juxta Apostolum, ad Rom., II, 14. » (Collectanea de Prop. Fide n. 1301, ad 2).

« Omnibus igitur perpensis, palam est præstitui non posse generalem regulam, ex qua, nulla in casibus particularibus inquisitione præmissa, matrimonia infidelium regionis istius (barbaræ), et eorum catholicorum qui in eadem ignorantia versantur, haberi debeant veluti mera contubernia, sed in singulis casibus instituendum est examen... » Ibidem, n. 11.

(2) Hic duo notantur: 1/ Supponitur aliunde non obstare impedimentum dirimens juris naturalis vel divini vel et civilis conditi ab eorum

Si *cum pluribus* dicto modo inierit contractum matrimonialem « standum est pro matrimonio sive consummato sive non consummato, *prioritate temporis celebrato* » decr. 18 Maii 1892. Nam divina lex monogamiæ est universalis, tangitque infideles non secus ac fideles. « Debet igitur polygamus uxorem tempore priorem, quæ sola justa ac legitima uxor est, retinere; cæterasque tanquam adulteras dimittere » Decr. 20 Junii 1866 (Collect. n. 1354).

Atvero illud matrimonium in infidelitate valide contractum manet *dissolubile*, etiam post consummationem, et integrum esse potest infideli converso alias inire nuptias cum muliere quam ipse maluerit: tunc nimirum quando locus esse potest « privilegio in favorem fidei a Christo Domino concesso et a Paulo Apostolo promul-

---

Principe (Collect. n. 1308), juxta sententiam propugnantem competentiam potestatis civilis; item supponitur non esse initum matrimonium sub conditione suspensiva repugnante substantiæ matrimonii, siquidem pactiones nuptiales essentialiter vitiantur intentione hujusmodi deducta in pactum. Cfr. Collect. n. 1301, sub n. 8-10; et potissimum Instr. C. S. O. 1877, n. 1302 et multa decreta hujus Instructionis doctrinam confirmantia, explicantia et applicantia, inter quæ nuperrimum decretum C. S. O., 25 Martii 1898, apud N. R. th., XXX, p. 677. De modo investigandi circa dictam pravam intentionem contrahentium, cfr. Planchard, apud *Rev. theol. française*, 1899, p. 93-99.

2/ Fieri potest et fit ut infideles « occasione data ducant uxorem, nulla cæremonia de more patrio habita, ita ut pro primo tempore, ista connubia habeantur ut concubinaria. Sed, rebus prosperis, istiusmodi conjuges fideliter cohabitant..... vitæ consuetudiem retinentes, et, quoad vixerint, in ea manebunt, quippe inter se amentur, filios habeant et ex separatione gravia caperent incommoda ». (Collect. n. 1356 in fine et n. 1301 ad 17). Talia matrimonia progressu temporis evadunt legitima, et ideo Emi Patres declarant « examen esse instituendum non solum circumstantiarum et modi quo conjugium primitus fuerit initum, sed etiam ejus diuturnitatis, aliorumque adjunctorum, quæ accesserint, videlicet prolis, mutui amoris perseverantiæ et incrementi et hujusmodi; cum enim ea adsunt quæ, sive singillatim spectata sive collectim, certum vel prope certum faciunt, qui una vivunt, simul permansuros ad obitum usque, esto alia ex parte evidentissimum esset conjugium fuisse merum contubernium, tenendum est tamen uti certum, vel ad minus ut prudenter dubium, progressu temporis transiisse in matrimonium legitimum », n. 1301 ad 17; collato decreto C. S. O. 18 Maii 1892 (n. 2184).

gato in 1ª Epist. ad Corinth., VII, 12 et seq. » (Collect. n. 1354).

*Privilegium* autem *Paulinum* obtinet quotiescumque, conjugum altero fidem evangelicam amplexo, alter discedit seu permanet in infidelitate et renuit pacifice cohabitare cum parte conversa.

Circa quæ nota: 1° « conjugem conversum ad fidem *in ipso conversionis puncto non intelligi solutum* a vinculo matrimonii cum infideli adhuc superstite contracti, sed tunc, si conjux infidelis renuat, acquirere jus transeundi ad alias nuptias cum tamen conjuge fideli. Cæterum tunc solum conjugii vinculum dissolvi, *quando conjux conversus transit cum effectu ad alias nuptias* » (1) C. S. O. 11 Julii 1866, Apud Collect. n. 1353, ad 1. Matrimonium nempe in casu Apostoli *fit dissolubile* sed *non illico solvitur*. Cfr. et IV Decr., tit. XIX, cap. 8°; et decretum C. S. O. 1 Aug. 1759 (Collect. n. 1312).

2° Ut dicatur altera pars discedere, *hæc duo simul* requiruntur quod nempe *permaneat in infidelitate* et *renuat cohabitare pacifice*. Censetur autem pacificam cohabitationem denegare, quando absolute non vult instaurare vitam conjugalem seu consentire in thori consortium, etiamsi paratam se ostendat ad amplectendam veram fidem; decr. 8 Julii 1891 apud Collect. n. 1362 et decr. C. S. O. 26 Aprilis 1899 (Anal. eccl. p. 283), vel si vult quidem cohabitare sed non absque contumelia Creatoris, hoc est « non sine periculo subversionis conjugis fidelis » (Collect. n. 1353), vel non sine provocatione (ab ipso conjuge procedente) ad peccatum mortale (IV Decr., tit. XIX, cap. 7° et 8; collato decreto S. C. de P. F. 5 Martii 1816 ad 6) apud Collect. n. 1323. Insuper ex decreto C. S. O. 14 Dec. 1848 (n. 1338) « recusatio educationis prolis in religione catholica æquivalet contumeliæ creatoris », cui pariter assimilatur

(1) Ideo pars in infidelitate manens non valet ad alia vota transire nisi post novum matrimonium legitimum compartis conversæ.

perseverantia in concubinatu, (juxta Instr. C. S. O. 4 Julii 1853 et decr. C. S. O. 11 Julii 1866, nn. 1344 et 1353) et alia similia. (1)

3° Debet constare de discessu seu de duplici conditione ad discessum requisita *per duplicem interpellationem* correspondentem, qua prætermissa plane illicitæ forent novæ nuptiæ, imo practice essent habendæ tanquam dubie validæ præsertim quando prorsus certa non esset indispositio partis infidelis, adeoque recurrendum esset ad S. Sedem pro opportuno remedio. Cfr. Feije, l. c., n. 493 et 494; De Becker, p. 418-419 et documenta allata apud Collect. nn. 1323, 1325 et 1330.

*Quæ principia applicando*, liquebit nostrum polygamum conversum regulariter non posse uti privilegio Paulino, nec adeo dimittere uxorem cui priori legitime

---

(1) Quæstioni: « An (privilegium fidei) solum locum habeat quando infidelis discedit odio fidei, an etiam quando discedit propter discordias vel aliam causam a fide diversam? » respondit C. S. O., 5 Aug. 1759: « Cum militet ex parte conjugis conversi favor fidei, eo potest uti quacumque ex causa, dummodo justa sit, nimirum *si non dederit justum ac rationabile motivum alteri conjugi discedendi* ». Collect. n. 1312, ad. 2/. Cfr. Feye. De *Imped. matr.*, n. 492 et 493; De Becker, *De spons et matr.*, p. 415 et 416.

Justum ac rationabile discedendi motivum non censetur delictum, puta adulterium, a parte conversa *ante conversionem* perpetratum, « quoniam adulterii macula præcedens per conversionem et Baptismum sublata censenda est » et ideo quando agitur « de infideli qui requisitus ut parti quæ fidelis evasit se consociet, cum eaque cohabitet, id recuset unice ob causam, quod ob adulterium ante conversionem admissum eam repudiaverat, hoc in casu, infidelis recusatio liberam reddit partem fidelem ad alias nuptias convolandi », uti docetur in Instr. Congr. de Prop. Fide, 30 Jan. 1807 (Collect. n. 1322).

E contra adulterium subsequens justum præbet parti infideli discedendi motivum et « in hoc casu infidelis discessus minime habilem reddit partem fidelem ad alias nuptias ineundas » Ibidem.

Ad quæstionem autem « an delicta, quæ post Baptismum sunt commissa, sed nullatenus attenduntur a parte infideli, vel etiam penitus ignorantur, obstent quominus pars baptizata uti possit privilegio Apostoli », C. S. O., die 19 Aprilis 1899, respondit remittendo ad decretum ejusdem S. Congregationis diei 5 Aug. 1759, hac in nota relatum, in memoriam revocando principium infra memorandum, in dubiis nempe judicium esse semper in fidei favorem. Anal. Eccl., 1899, p. 236.

adhæsit, antequam, *per mediam interpellationem*, compertum habeat dictam uxorem in infidelitate permanere et simul recusare pacificam cohabitationem. Si convertatur vel si in infidelitate perseverans consentiat in pacificum thori consortium, non est locus casui Apostoli, et ex hoc capite firmum consistit cum prima conjuge vinculum matrimoniale (1). Quod perspicue docetur in decreto 1892, hisce adnotationibus præposito: « Si ... matrimonium cum prima, *quæ jam baptizata fuerit,* validum inveniatur, *ad illam redire* (polygami) *omnino tenentur* ».

Dicitur : « *per mediam interpellationem* »; et revera, uti vidimus hanc geminatam fieri, a jure prorsus exigitur. Attamen Ecclesia haud difficilem se præbet in moderanda ac temperanda præfata disciplina. Nominatim *pro infidelibus polygamis,* in locis Missionum, gaudent Episcopi (imo et nonnulli presbyteri missionarii) facultate dispensandi *ab altera interpellatione*, utrum nempe velint pacifice cohabitare, et indulgendi ut « infideles plures uxores habentes, post conversionem et Baptismum, quam ex illis maluerint, si ipsa fidelis fiat, retinere possint », modò prima interpellata, utrum velit converti, in infidelitate permaneat. Cfr. Form. I, art. 11, apud Putzer, *Comment. in Const. Apost.*, n. 217 et seq.

Quod rursus docemur in prælaudato decreto an. 1892 : « Si autem non fuerit (prima et sola legitima uxor) baptizata, satis erit interpellare utrum velit converti (omissa interpellatione circa intentionem pacifice cohabitandi). Ubi vero converti nolit, ..... poterunt (polygami

---

(1) In casu allato, censent AA. non pauci parti fideli non esse imponendam *cohabitationem*, cum parte cohabitare volente, converti autem nolenti; imo illam posse prohiberi ratione periculi perversionis (Collect. n. 2183). Quodsi *vetita sit* cohabitatio, iidem AA. permittunt novas nuptias parti conversæ, etsi practice suadeant recursum ad sedem Apostolicam. Cfr. Feije l. c. n. 490-491; Pesch, Tract. dogmat., VII, n. 798 cum AA. citatis. Censent nempe æquivalenter discedere conjugem cum quo absque peccato nequit cohabitare altera pars.

conversi) quamlibet ducere, dummodò sit baptizata (1), renovato consensu (2) ».

Dantur et plures aliæ facultates dispensandi, *etiam ab utraque interpellatione*, signanter in casu quo compars interpellanda reperiri nequeat. De quibus cfr. præ cæteris Const. Pii V, 2 Aug. 1571 (Collect. n. 1306); decretum C. S. O. 22 Nov. 1871 (Collect. n. 1356) necnon De Becker, l. c. p. 428-429.

Nonnumquam igitur fit ut *licite* contrahatur novum matrimonium ab infideli converso, etiam ubi ex una parte plane constat de validitate matrimonii in infidelitate contracti et ex alia parte valde dubitatur de discessu legitimæ compartis et plane nescitur utrum forte et ipsa baptizata sit necne. Quinimo, quod summopere est notandum, matrimonia sic contracta *valida* declarantur, etiamsi postea palam appareat, partem alteram, *tempore initi matrimonii novi*, bene fuisse dispositam vel *et conversam fuisse et baptismate tinctam* (3).

Quæ ut ritè explicent, plures AA. agnoscunt S. Pontifici potestatem dissolvendi matrimonium, in infidelitate contractum, et post conversionem utriusque conjugis nondum consummatum (4). Et revera, eo ipso quod secundum matrimonium validum proclamatur, necessario primum dissolutum edicitur, et ex alia parte, negata dicta potestate pontificia, difficulter explicatur quo jure dissolvatur; incassum namque videtur recurri ad pontificiam *declarationem* privilegii Paulini, cum, in

---

(1) Si autem nulla velit converti, potest positis ponendis, obtineri dispensatio in disparitate cultus. (Cfr. Collect. nn 1335, 1340 et 1349).

(2) Renovandus est consensus quia solum matrimonium cum prima erat legitimum.

(3) Cfr. Const. Gregorii XIII, 25 Jan. 1585 (n. 1307); Const. Ben. XIV, 16 Jan. 1745 (n. 1309; Const. Pii V (n. 1306) collato decr. C. S. O. 1871 ad quæs. 1m (n. 1356). Cfr. et documentum citatum apud De Becker p. 432.

(4) Ad exercitium dictæ potestatis requiritur ut saltem una pars sit facta fidelis, cum alias matrimonium plane subduceretur potestati S. Pontificis.

*

hypothesi facta, undequaque deficiant essentiales conditiones Casus Apostoli. (1)

II/ Quodsi factis opportunis investigationibus *prudens remaneat dubium* circa valorem matrimonii, ab infideli polygamo contracti, puta « quia non constat contrahentes vel puellas de quibus agitur verum Consensum matrimonialem de præsenti prætitisse » (decr. 17 Aug. 1898), vir infidelis veram religionem amplexus *poterit* « *quamlibet ducere*, dummodò sit baptizata, renovato consensu » (decr. an. 1892). Item si « qui ante conversionem plures juxta eorum mores habebant uxores, non recordantur quam primò acceperint, ad fidem conversi unam ex illis accipiant quam voluerint (modò fidelis fiat), et cum ea matrimonium contrahant per verba de præsenti, ut moris est ». Ex Const. « *Altitudo* » Pauli III 1537 apud Collect. n. 1305. Cfr. et decr. C. S. O. 8 Julii 1836 (Collect. n. 1432); Feye, l. c., n. 486 et De Becker p. 431-432.

Quæ facilitas in dijudicandis matrimoniis infidelium dubiis præ matrimoniis fidelium (2), de quorum valore dubitatur, hæc, inquam facilitas nititur hoc principio in jure admisso: « In re dubia in favorem fidei esse pronuntiandum » ; quod testatur ipsa C. S. O. in sæpe jam citata Instr. 1874 ad 13. (Collect. n. 1301) (3). Cfr.

---

(1) Hîsce tangitur quæstio, quæ habetur inter controversias solemnes in scholis agitatas, quam egregie tractatam videsis apud De Becker, l. c. p. 430-434; Baller-Palm., VI, n. 696 et seq.; Gasparri, *De Matrim.*, II, n. 1107 seq., qui favent sententiæ potestatem R. Pont. affirmanti; cfr. et Pesch., *Tract. dogmat.*, VII, p 796 illis consentientem et afferentem AA recentiores pro utraque sententia. Feije, l. c., n. 602, in ultima sua editione, fatetur se in eamdem sententiam inclinare.

(2) Specimen diversæ normæ agendi pro matrimonio fidelium et infidelium exhibetur in nostro decreto an 1892 ad 1/: *Infideli* jurejurando affirmanti se non contraxisse matrimonium vinculo indissolubili, (puta ob intentionem contrariam substantiæ matrimonii) fides adhibetur et novum matrimonium conceditur, dum « si agitur de *fidelibus*, requiritur legitima probatio ». (Collect. n. 2185).

(3) « Novit A. T. hanc S. Congr. *huic principio innixam* declarasse, casu quo polygamus infidelis a christiana religione amplectenda detineatur, ex eo quod una ex parte hæc unam tantum concedat uxorem, ex alia

et decr. C. S. O. 18 Maii 1892 (n. 2184 ad 1) et *Nouv. Rev. theol.* XXX, p. 629. Quod ipsum principium et norma in ipso nitens plenius sane intelliguntur in sententia præhabita, propugnante penes R. Pontificem, potestatem dissolvendi matrimonim infidelium.

A. D. S.

# Ex S. Congregatione Rituum

## Litteræ de Cultu SACRATISSIMI CORDIS JESU Amplificando.

*Rme Domine*

Etsi gratum semper mihi fuit officium communicandi cum Ecclesiæ Præsulibus ea, quæ supremus ejusdem Pastor illis significanda præscripserit; gratissimum modo accidit patefacere singulis Sacrorum Antistibus suavissimam animi voluptatem, quam SSmus D. N. Leo PP. XIII percepit ex promulgatione novissimæ suæ Epistolæ Encyclicæ, qua universum humanum genus Sacratissimo Cordi D. N. Jesu Christi solemni ritu devovendi auctor fuit. Novit enim quanta animi propensione, quo consensu voluntatum fuerint eæ litteræ ab omnibus tum pastoribus tum fidelium gregibus receptæ, et quam prompte ac studiose fuerit illis ubique obsecundatum.

Ipsemet sane Summus Pontifex cunctis exemplo præivit; et ad suas Vaticanas Ædes, in sacello, cui a Paulo V nomen est, institutâ per Ipsum supplicatione, universum terrarum orbem divino Jesu Cordi obtulit et devovit. Cujus exemplum secutus romanus populus, magna frequentiâ convenit in Patriarchales et minores Basilicas, in templa quælibet curialia, in ædes sacras prope singulas; ibique solemnem consecrationis formulam iteravit, unoque veluti ore confirmavit.

---

vero parte, ille vel retinere velit justæ uxoris loco aliquam ex pellicibus, quæ non est prima uxor vel aliam ducere...; *si de valore matrimonii prudenter dubitetur, posse missionarium hanc ei potestatem facere* ».

Protinus allatæ sunt undique litteræ, et quotidie afferuntur, nuntiantes, eumdem consecrationis ritum, pari studio ac pietate, peractum fuisse in unaquaque diœcesi, imo in singulis ferme ecclesiis; neque Italiæ solum et Europæ, sed et regionum maxime dissitarum. Cujus universi catholici populi consensus in obsecundando votis et voluntati supremi omnium Patris, profecto laus maxime debetur sacris Præsulibus, qui suis gregibus ejusmodi in re auctores fuerunt ac duces. Quapropter, Summi Pontificis obsequens desiderio, Tibi et singulis, qui tuæ subjacent potestati, animarum regimen gerentibus, Ejus nomine, magnopere gratulor et gratias ago.

Siquidem, ut in iisdem encyclicis litteris Beatissimus Pater edicit, uberes jucundissimosque fructus, nedum in singulos christifideles, verum et in universam christianam familiam, imo et in omne genus hominum, ex hac solemni oblatione derivaturos confidit, et nos cum Eo confidimus. Omnes enim intime persentiunt quam necessarium sit, ut languescens nimium fides vividius excitetur; ut sinceræ caritatis ardor ignescat; ut exsultantibus nimium cupiditatibus frena injiciantur, moribusque in dies contabescentibus medicaminis nonnihil afferatur. Omnium in votis esse debet, ut humana societas suavissimo Christi imperio subjiciatur, Ejusque regium jus, divinitus Ei in omnes gentes collatum, civiles etiam potestates cognoscant et revereantur; quo fiat ut Ecclesia Christi, quæ regnum Ipsius est, magis magisque amplificetur et ea perfruatur libertate et quiete, quæ ad novos usque triumphos comparandos prorsus est ei necessaria. Ad hoc denique ab omnibus enitendum est, ut innumeras gravissimasque injurias, quæ quotidie, in universo orbe, divinæ majestati ab ingratissimis hominibus inferuntur, compensare piis operibus ac reparare studeamus.

Verum ut concepta spes novas in dies vires acquirat, ac bonum ejusmodi semen affluenter germinet, uberioremque afferat messem, necesse est ut jam excitata pietas erga sacratissimum divini Redemptoris Cor stabilis perseveret, imo alatur indesinenter. Constans enim perseverantia in precibus quamdam, ut sic loquar, vim afferat dulcissimo Jesu Cordi, ut earum recludat fontes gratiarum, quas Ipsemet cupidissime elargiri desiderat, quemadmodum B. Margaritæ Alacoque, amantissimæ suæ, significavit non semel.

Quamobrem Summus Pontifex, me usus suæ voluntatis interprete, Amplitudinem Tuam et universi catholici orbis sacrorum Antistites vehementer hortatur, ut, cœptis alacres insistentes, ea excogitent et constituant, quæ, pro varia locorum ac temporum conditione, ad optatum finem assequendum magis conducibilia videantur.

Ipse vero Beatissimus Pater commendat quam maxime eum morem, qui jam in pluribus ecclesiis obtinuit, ut per integrum mensem Junium varia pietatis obsequia divino Cordi publice præstentur: quod ut lubentius perficiatur, thesauros Ecclesiæ reserans, tercentorum dierum indulgentiam christifidelibus impertit, toties lucrandam quoties sacris ejusmodi exercitiis interfuerint; plenariam vero iis qui saltem decem in mense vicibus idipsum præstiterint.

Magnopere etiam in votis habet Sanctissimus Dominus, ut praxis, alte commendata, ac pluribus jam in locis usurpata, qua, prima qualibet sexta feria cujusvis mensis nonnulla obsequia peraguntur in honorem sanctissimi Cordis, largius assidue propagetur: recitatis publice Litaniis, quas nuper Ipse probavit, et iterata consecrationis formula a se proposita. Quæ praxis si in christiano populo augescat, et quasi in morem transeat, jugis erit et frequens affirmatio divini illius et regii juris, quod Christus in omne humanum genus a Patre accepit, et effuso sanguine acquisivit. Quibus obsequiis ipse lenitus, utpote qui dives est in misericordia, mireque propensus ad homines beneficiis cumulandos, et eorum nequitiæ obliviscetur et ipsos nedum ut fideles subditos, verum ut amicos et filios carissimos amplectetur.

Præterea Beatissimus Pater vehementer exoptat ut adolescentes, ii maxime qui litteris scientiisque dant operam, in eas societates congregentur, quæ pii *cœtus* vel *sodalitia a Sacro Jesu Corde* nuncupantur. Constant nimirum ex illo delectorum adolescentium agmine, qui, dato sponte nomine, statutâ per hebdomadam die et hora, in ædiculas aut templa, aut ipsorum litterariorum ludorum sacella conveniunt, ibique, alicujus sacerdotis ductu, pia quædam in honorem sacri Cordis Jesu exercitia devote peragunt. Si gratum acceptumque divino Redemptori pium quodvis accidit obsequium, quod ipsi a suis fidelibus exhibeatur, jucundissimum profecto illud est, quod e juvenili pectore elicitur. Nec vero

sermone assequi possumus quantopere id ipsum juvenili eidem ætati sit profuturum. Assidua enim divini Cordis contemplatio, et penitior virtutum ejus et ineffabilis amoris cognitio nequit fervescentes juvenum cupiditates non frangere, et virtuti sectandæ stimulos non adjicere. — Qui pariter cœtus iniri ac frequentari poterunt inter adultos, in iis quæ, varii generis, *Societates catholicæ* nuncupantur.

Ceterum piæ ejusmodi exercitationes, quas memoravimus, nullimode a Sanctissimo Patre indicuntur; sed omnia Ipse episcoporum prudentiæ et sagacitati permittit, in quorum studiosa propensissimaque voluntate plane confidit: illud unice exoptans, ut in populis christianis pietas erga sacratissimum Cor Domini Jesu indesinenter floreat et virescat.

Interim Amplitudini Tuæ diuturnam ex animo felicitatem adprecor.

Amplitudinis Tuæ uti Frater

Romæ, ex Secretaria SS. Rituum Congregationis
die XXI Julii, anno MDCCCLXXXXIX.

C. Episcopus Prænestinus Card. MAZZELLA
*S. R. C. Præfectus.*

D. Panici *S. R. C. Secretarius.*

# Jurisprudence administrative

## Fabrique d'église — Donation d'une maison avec jardin pour servir de presbytère — conditions et charges diverses.

Par arrêté royal en date du 15 Juin 1899 (*Moniteur*, p. 2447), la fabrique de l'église Saint-Martin, à Obourg, a été autorisée à accepter la donation lui faite par le desservant de la paroisse d'une maison avec jardin, aux conditions suivantes:

« Le donateur désire vivement que cette maison avec toutes ses dépendances serve à perpétuité de presbytère, et

même il le veut absolument pour autant que la loi et la jurisprudence permettent ou permettront d'établir cette condition.

« *Cette donation ne libère pas la commune d'Obourg de l'obligation d'assurer aux curés-desservants un logement convenable* (1). En conséquence le donateur prie l'administration communale d'Obourg d'allouer annuellement aux curés-desservants de la paroisse une indemnité de logement de quatre cents francs, payable par trimestre et par anticipation, et prenant cours le 1er Janvier 1898, et cela aussi longtemps que les communes devront pourvoir au logement des curés-desservants. La somme annuelle de quatre cents francs est jugée nécessaire et suffisante. Le donateur conservera l'usufruit et l'entretien de la maison sa vie durant, mais pourra y renoncer avant son décès. Cependant, si pour cause de changement ou tout autre motif, il venait à quitter ses fonctions de curé-desservant de la paroisse d'Obourg, il devra toujours louer la dite maison pour 400 francs par an à ses successeurs dans les mêmes fonctions ; et après son décès ou sa renonciation à l'usufruit, ce droit de location sera exercé et réglé par la fabrique de l'église en sa qualité de propriétaire et sous la condition de remplir les charges indiquées dans l'acte de donation, mais *cette location ne devra pas se faire publiquement,* pour autant que cette dernière clause soit légale.

Après la cessation de l'usufruit que le donateur s'est réservé, et le payement de tous les frais de la donation, la fabrique de l'église devra remplir les charges annuelles et perpétuelles suivantes :

*Outre certains services religieux à célébrer et des recommandations à faire au prône* (2),

« E. La fabrique de l'église veillera à *l'entretien de la tombe* du fondateur ou de celle de sa Sœur... (3).

« G. Une somme de 108 fr. 28 c. sera consacrée annuellement par la fabrique de l'église à *distribuer des prix aux enfants fréquentant assidûment les catéchismes donnés à l'église* en vue de la réception des Sacrements » (4).

---

(1) Comp. *Collat. brugen.*, T. III, p. 213 ss. et T. IV, p. 62.
(2) Voir *Collationes*, T. II, p. 592.
(3) Voir *Collationes*, T. I, p. 564 ss.
(4) Voir *Collationes*, T. I, p. 626 ss., T. II, pp. 536 et 641.

# Consultatio

*Quæritur* utrum Baptisma *illegitimis* cum consueta solemnitate administrare liceat, in eoque, præter matrinam, admittere et patrinum?

R. 1°/ Quod spectat *solemnitates* consuetas, quales sunt pulsatio campanæ et organi, quamvis nullo decreto stricte proscribantur, opportune omittuntur, et consuetudo, sicubi existit, eas non adhibendi servanda declaratur a S. Congr. Concilii 31 Julii 1867 (apud *Nouv. Rev. theol.*, XVII, p. 229), idque in odium commercii illiciti, ex quo natæ sunt dictæ proles. Item ad hasce proles baptizandas congrue eligetur hora, in quantum potest, insolita vel et vespertina, ut scandalo efficacius obvietur.

2°/ Rursus nullum, quod sciam, statutum juris communis vel diœcesani expresse prohibet *patrinum* a Baptismo illegitimorum, sed ut ab ejus usu abstineatur, eadem ac sub 1° suadet ratio, cum solemnior sit sacramenti administratio cum patrino et matrina quam cum sola dumtaxat matrina.

Præterea peculiare hic obstat incommodum quominus vir admittatur ad levandam prolem illegitimam signanter ex matre libera natam. Optime namque fieri potest ut ille qui munere fungitur patrini pater sit naturalis prolis susceptæ, et sive ad prolem legitimandam sive aliàs matrimonium inire cupiat cum matre; contra quod matrimonium induceretur impedimentum dirimens ex contracta cognatione spirituali inter levantem et matrem prolis e fonte levatæ. Cæterum, sola admissa matrina in Baptismi collatione, plane salvatur disciplina Tridentina statuens « ut unus tantum, sive vir sive mulier, juxta sacrorum canonum instituta, vel ad summum unus et una baptizatum de Baptismo suscipiant ».

A. D. S.

Collationes Brugenses

# LETTRE ENCYCLIQUE

DE SA SAINTETÉ

# LE PAPE LÉON XIII

## AUX ARCHEVÊQUES, ÉVÊQUES ET AU CLERGÉ DE FRANCE.

A NOS VÉNÉRABLES FRÈRES LES ARCHEVÊQUES, ÉVÊQUES ET AU CLERGÉ DE FRANCE.

*Vénérables Frères, très chers Fils,*

Depuis le jour où Nous avons été élevé à la Chaire pontificale, la France a été constamment l'objet de Notre sollicitude et de Notre affection toute particulière. C'est chez elle en effet que, dans le cours des siècles, mu par les insondables desseins de sa miséricorde sur le monde, Dieu a choisi de préférence les hommes apostoliques destinés à prêcher la vraie foi jusqu'aux confins du globe, et à porter la lumière de l'Évangile aux nations encore plongées dans les ténèbres du paganisme. Il l'a prédestinée à être le défenseur de son Église et l'instrument de ses grandes œuvres: *Gesta Dei per Francos.*

A une si haute mission correspondent évidemment de nombreux et graves devoirs. Désireux, comme Nos prédécesseurs, de voir la France accomplir fidèlement le glorieux mandat dont elle a été chargée, Nous lui avons plusieurs fois déjà, durant Notre long Pontificat, adressé Nos conseils, Nos encouragements, Nos exhortations. Nous l'avons fait tout spécialement dans Notre lettre Encyclique du 8 février 1884, *Nobilissima Gallorum gens*, et dans Notre lettre du 16 février 1892, publiée dans l'idiome de la France et qui commence par ces mots: *Au milieu des sollicitudes*. Nos paroles ne sont pas demeurées infructueuses, et Nous savons par vous, Vénérables Frères, qu'une grande partie du peuple français tient toujours en honneur la foi de ses ancêtres et

remplit avec fidélité les devoirs qu'elle impose. D'autre part, Nous ne saurions ignorer que les ennemis de cette foi sainte ne sont pas demeurés inactifs, et qu'ils sont parvenus à bannir tout principe de religion d'un grand nombre de familles, qui, par suite, vivent dans une lamentable ignorance de la vérité révélée, et dans une complète indifférence pour tout ce qui touche à leurs intérêts spirituels et au salut de leurs âmes.

Si donc, et à bon droit, Nous félicitons la France d'être pour les nations infidèles un foyer d'apostolat, Nous devons encourager aussi les efforts de ceux de ses fils qui, enrôlés dans le sacerdoce de Jésus-Christ, travaillent à évangéliser leurs compatriotes, à les prémunir contre l'envahissement du naturalisme et de l'incrédulité, avec leurs funestes et inévitables conséquences. Appelés par la volonté de Dieu à être les sauveurs du monde, les prêtres doivent toujours, et avant tout, se rappeler qu'ils sont, de par l'institution même de Jésus-Christ, « le sel de la terre (1) », d'où saint Paul, écrivant à son disciple Timothée, conclut avec raison « qu'ils » doivent être l'exemple des fidèles dans leurs paroles et » dans leurs rapports avec le prochain, par leur charité, leur » foi et leur pureté (2) ».

Qu'il en soit ainsi du clergé de France, pris dans son ensemble, ce Nous est toujours, Vénérables Frères, une grande consolation de l'apprendre, soit par les relations quadriennales que vous Nous envoyez sur l'état de vos diocèses, conformément à la constitution de Sixte-Quint; soit par les communications orales que Nous recevons de vous, lorsque Nous avons la joie de Nous entretenir avec vous et de recevoir vos confidences. Oui, la dignité de la vie, l'ardeur de la foi, l'esprit de dévouement et de sacrifice, l'élan et la générosité du zèle, la charité inépuisable envers le prochain, l'énergie dans toutes les nobles et fécondes entreprises qui ont pour but la gloire de Dieu, le salut des âmes, le bonheur de la patrie : telles sont les traditionnelles et précieuses qualités du clergé français, auxquelles Nous

---

(1) Matth., V, 13.
(2) I Tim., IV, 12.

sommes heureux de pouvoir rendre ici un public et paternel témoignage.

Toutefois, en raison même de la tendre et profonde affection que Nous lui portons ; tout à la fois pour satisfaire au devoir de Notre ministère apostolique, et pour répondre à Notre vif désir de le voir demeurer toujours à la hauteur de sa grande mission, Nous avons résolu, Vénérables Frères, de traiter dans la présente Lettre quelques points que les circonstances actuelles recommandent de la façon la plus instante à la consciencieuse attention des premiers pasteurs de l'Église de France, et des prêtres qui travaillent sous leur autorité.

C'est d'abord chose évidente que, plus un office est relevé, complexe, difficile, plus longue et plus soignée doit être la préparation de ceux qui sont appelés à le remplir. Or, existe-t-il sur la terre une dignité plus haute que celle du sacerdoce, et un ministère imposant une plus lourde responsabilité que celui qui a pour objet la sanctification de tous les actes libres de l'homme ? N'est-ce pas du gouvernement des âmes que les Pères ont dit avec raison que c'est « l'art des arts », c'est-à-dire le plus important et le plus délicat de tous les labeurs auxquels un homme puisse être appliqué au profit de ses semblables « ars artium regimen animarum (1) » ? Rien donc ne devra être négligé pour préparer à remplir dignement et fructueusement une telle mission ceux qu'une vocation divine y appelle.

Avant toute chose, il convient de discerner, parmi les jeunes enfants, ceux en qui le Très-Haut a déposé le germe d'une semblable vocation. Nous savons que, dans un certain nombre de diocèses de France, grâce à vos sages recommandations, les prêtres des paroisses, surtout dans les campagnes, s'appliquent avec un zèle et une abnégation que Nous ne saurions trop louer, à commencer eux-mêmes les études élémentaires des enfants dans lesquels ils ont remarqué des dispositions sérieuses à la piété et des aptitudes au travail intellectuel. Les écoles presbytérales sont ainsi comme le premier degré de cette échelle ascendante qui, d'abord par les petits, puis par les grands séminaires, fera monter

(1) S. Greg. M. Lib. Regulæ Past. P. 1, c. 1.

jusqu'au sacerdoce les jeunes gens auxquels le Sauveur a répété l'appel adressé à Pierre et à André, à Jean et à Jacques : Laissez vos filets ; « suivez-moi ; je veux faire de » vous des pêcheurs d'hommes » (1).

Quant aux petits séminaires, cette très salutaire institution a été souvent et justement comparée à ces pépinières, où sont mises à part les plantes qui réclament des soins plus spéciaux et plus assidus, moyennant lesquels seuls elles peuvent porter des fruits et dédommager de leurs peines ceux qui s'appliquent à les cultiver. Nous renouvelons à cet égard la recommandation que, dans son Encyclique du 8 décembre 1849, Notre prédécesseur Pie IX adressait aux évêques. Elle se référait elle-même à une des plus importantes décisions des Pères du saint concile de Trente. C'est la gloire de l'Église de France, dans le siècle présent, d'en avoir tenu le plus grand compte puisqu'il n'est pas un seul des 94 diocèses dont elle se compose qui ne soit doté d'un ou de plusieurs petits séminaires.

Nous savons, Vénérables Frères, de quelles sollicitudes vous entourez ces institutions si justement chères à votre zèle pastoral, et Nous vous en félicitons. Les prêtres qui, sous votre haute direction, travaillent à la formation de la jeunesse appelée à s'enrôler plus tard dans les rangs de la milice sacerdotale, ne sauraient trop souvent méditer devant Dieu l'importance exceptionnelle de la mission que vous leur confiez. Il ne s'agit pas pour eux, comme pour le commun des maîtres, d'enseigner simplement à ces enfants les éléments des lettres et des sciences humaines. Ce n'est là que la moindre partie de leur tâche. Il faut que leur attention, leur zèle, leur dévouement soient sans cesse en éveil et en action, d'une part pour étudier continuellement sous le regard et dans la lumière de Dieu les âmes des enfants et les indices significatifs de leur vocation au service des autels ; de l'autre, pour aider l'inexpérience et la faiblesse de leurs jeunes disciples à protéger la grâce si précieuse de l'appel divin contre toutes les influences funestes soit du dehors, soit du dedans. Ils ont donc à remplir un ministère humble, laborieux, délicat, qui exige une constante abnégation. Afin

(1) Matth. IV, 19.

de soutenir leur courage dans l'accomplissement de leurs devoirs, ils auront soin de le retremper aux sources les plus pures de l'esprit de foi. Ils ne perdront jamais de vue qu'ils n'ont point à préparer pour des fonctions terrestres, si légitimes et honorables soient-elles, les enfants dont ils forment l'intelligence, le cœur, le caractère. L'Église les leur confie pour qu'ils deviennent capables un jour d'être des prêtres, c'est-à-dire des missionnaires de l'Évangile, des continuateurs de l'œuvre de Jésus-Christ, des distributeurs de sa grâce et de ses sacrements. Que cette considération toute surnaturelle se mêle incessamment à leur double action de professeurs et d'éducateurs, et soit comme ce levain qu'il faut mélanger au meilleur froment, suivant la parabole évangélique, pour le transformer en un pain savoureux et substantiel (1).

Si la préoccupation constante d'une première et indispensable formation à l'esprit et aux vertus du sacerdoce doit inspirer les maîtres de vos petits séminaires dans leurs relations avec leurs élèves, c'est à cette même idée principale et directrice que se rapporteront le plan des études, et toute l'économie de la discipline. Nous n'ignorons pas, Vénérables Frères, que, dans une certaine mesure, vous êtes obligés de compter avec les programmes de l'État et les conditions mises par lui à l'obtention des grades universitaires, puisque, dans un certain nombre de cas, ces grades sont exigés des prêtres employés soit à la direction des collèges libres, placés sous la tutelle des évêques ou des congrégations religieuses, soit à l'enseignement supérieur dans les facultés catholiques que vous avez si louablement fondées. Il est d'ailleurs d'un intérêt souverain, pour maintenir l'influence du clergé sur la société, qu'il compte dans ses rangs un assez grand nombre de prêtres ne le cédant en rien pour la science, dont les grades sont la constatation officielle, aux maîtres que l'État forme pour ses lycées et ses universités.

Toutefois, et après avoir fait à cette exigence des programmes la part qu'imposent les circonstances, il faut que les études des aspirants au sacerdoce demeurent fidèles aux méthodes traditionnelles des siècles passés. Ce sont elles qui

(1) Matth., XIII, 33.

ont formé les hommes éminents dont l'Église de France est fière à si juste titre, les Pétau, les Thomassin, les Mabillon et tant d'autres, sans parler de votre Bossuet, appelé l'aigle de Meaux, parce que, soit par l'élévation des pensées, soit par la noblesse du langage, son génie plane dans les plus sublimes régions de la science et de l'éloquence chrétienne. Or, c'est l'étude des belles-lettres qui a puissamment aidé ces hommes à devenir de très-vaillants et utiles ouvriers au service de l'Église, et les a rendus capables de composer des ouvrages vraiment dignes de passer à la postérité et qui contribuent encore de nos jours à la défense et à la diffusion de la vérité révélée. En effet, c'est le propre des belles-lettres, quand elles sont enseignées par des maîtres chrétiens et habiles, de développer rapidement dans l'âme des jeunes gens tous les germes de vie intellectuelle et morale, en même temps qu'elles contribuent à donner au jugement de la rectitude et de l'ampleur, et au langage de l'élégance et de la distinction.

Cette considération acquiert une importance spéciale quand il s'agit des littératures grecque et latine, dépositaires des chefs-d'œuvre de science sacrée que l'Église compte à bon droit parmi ses plus précieux trésors. Il y a un demi-siècle, pendant cette période trop courte de véritable liberté, durant laquelle les évêques de France pouvaient se réunir et concerter les mesures qu'ils estimaient les plus propres à favoriser les progrès de la religion et, du même coup, les plus profitables à la paix publique, plusieurs de vos Conciles provinciaux, Vénérables Frères, recommandèrent de la façon la plus expresse la culture de la langue et de la littérature latines. Vos collègues d'alors déploraient déjà que, dans votre pays, la connaissance du latin tendit à décroître (1).

Si, depuis plusieurs années, les méthodes pédagogiques en vigueur dans les établissements de l'État réduisent progressivement l'étude de la langue latine, et suppriment des exercices de prose et de poésie que nos devanciers estimaient

---

(1) Porro linguam latinam apud nos obsolescere nec quisquam est qui nesciat, et viri prudentes conqueruntur. Discitur tardissime, celerrime didiscitur (Litt. Synod. Patrum Conc. Paris. ad clericos et fideles, an. 1849, in *Collectione Lacensis*, tom. IV, Col. 86).

à bon droit devoir tenir une grande place dans les classes des collèges, les petits séminaires se mettront en garde contre ces innovations inspirées par des préoccupations utilitaires, et qui tournent au détriment de la solide formation de l'esprit. A ces anciennes méthodes, tant de fois justifiées par leurs résultats, Nous appliquerions volontiers le mot de saint Paul à son disciple Timothée, et avec l'apôtre Nous vous dirions, Vénérables Frères : « Gardez-en le dépôt (1) » avec un soin jaloux. Si un jour, ce qu'à Dieu ne plaise, elles devaient disparaître complètement des autres écoles publiques, que vos petits séminaires et collèges libres les gardent avec une intelligente et patriotique sollicitude. Vous imiterez ainsi les prêtres de Jérusalem qui, voulant soustraire à de barbares envahisseurs le feu sacré du Temple, le cachèrent de manière à pouvoir le retrouver et à lui rendre toute sa splendeur, quand les mauvais jours seraient passés (2).

Une fois en possession de la langue latine, qui est comme la clef de la science sacrée, et les facultés de l'esprit suffisamment développées par l'étude des belles-lettres, les jeunes gens qui se destinent au sacerdoce passent du petit au grand séminaire. Ils s'y prépareront par la piété et l'exercice des vertus cléricales à la réception des saints Ordres, en même temps qu'ils s'y livreront à l'étude de la philosophie et de la théologie.

Nous le disions dans Notre Encyclique *Æterni Patris,* dont Nous recommandons de nouveau la lecture attentive à vos séminaristes et à leurs maîtres, et Nous le disions en Nous appuyant sur l'autorité de saint Paul : C'est par les vaines subtilités de la mauvaise philosophie, *per philosophiam et inanem fallaciam* (3), que l'esprit des fidèles se laisse le plus souvent tromper, et que la pureté de la foi se corrompt parmi les hommes, Nous ajoutions, et les événements accomplis depuis vingt ans ont bien tristement confirmé les réflexions et les appréhensions que Nous exprimions alors : « Si l'on fait attention aux conditions critiques du temps où » nous vivons, si l'on embrasse par la pensée l'état des

(1) I Tim., VI, 20.
(2) II Mach , I, 19-22.
(3) Col. II, 8.

» affaires tant publiques que privées, on découvrira sans » peine que la cause des maux qui nous oppriment, comme » de ceux qui nous menacent, consiste en ceci que des » opinions erronées sur toutes choses, divines et humaines, » des écoles des philosophes se sont peu à peu glissées dans » tous les rangs de la société et sont arrivées à se faire » accepter d'un grand nombre d'esprits (1). »

Nous réprouvons de nouveau ces doctrines qui n'ont de la vraie philosophie que le nom, et qui, ébranlant la base même du savoir humain, conduisent logiquement au scepticisme universel et à l'irréligion. Ce nous est une profonde douleur d'apprendre que, depuis quelques années, des catholiques ont cru pouvoir se mettre à la remorque d'une philosophie qui, sous le spécieux prétexte d'affranchir la raison humaine de toute idée préconçue et de toute illusion, lui dénie le droit de rien affirmer au delà de ses propres opérations, sacrifiant ainsi à un subjectivisme radical toutes les certitudes que la métaphysique traditionnelle, consacrée par l'autorité des plus vigoureux esprits, donnait comme nécessaires et inébranlables fondements à la démonstration de l'existence de Dieu, de la spiritualité et de l'immortalité de l'âme, et de la réalité objective du monde extérieur. Il est profondément regrettable que ce scepticisme doctrinal, d'importation étrangère et d'origine protestante, ait pu être accueilli avec tant de faveur dans un pays justement célèbre par son amour pour la clarté des idées et pour celle du langage. Nous savons, Vénérables Frères, à quel point vous partagez là-dessus Nos justes préoccupations, et Nous comptons que vous redoublerez de sollicitude et de vigilance pour écarter de l'enseignement de vos séminaires cette fallacieuse et dangereuse philosophie, mettant plus que jamais en honneur les méthodes que Nous recommandions dans Notre Encyclique précitée du 4 août 1879.

Moins que jamais à notre époque, les élèves de vos petits et de vos grands séminaires ne sauraient demeurer étrangers à l'étude des sciences physiques et naturelles. Il convient donc qu'ils y soient appliqués, mais avec mesure et dans de sages proportions. Il n'est donc nullement nécessaire que,

---

(1) Encyclique *Æterni Patris*.

dans les cours de sciences, annexés à l'étude de la philosophie, les professeurs se croient obligés d'exposer en détail les applications presque innombrables des sciences physiques et naturelles aux diverses branches de l'industrie humaine. Il suffit que leurs élèves en connaissent avec précision les grands principes et les conclusions sommaires, afin d'être en état de résoudre les objections que les incrédules tirent de ces sciences contre les enseignements de la révélation.

Par-dessus tout, il importe que, durant deux ans au moins, les élèves de vos grands séminaires étudient avec un soin assidu la philosophie *rationnelle*, laquelle, disait un savant bénédictin, l'honneur de son ordre et de la France, D. Mabillon, leur sera d'un si grand secours, non seulement pour leur apprendre à bien raisonner et à porter de justes jugements, mais pour les mettre à même de défendre la foi orthodoxe contre les arguments captieux et souvent sophistiques des adversaires (1).

Viennent ensuite les sciences sacrées proprement dites, à savoir la théologie dogmatique et la théologie morale, l'Écriture sainte, l'histoire ecclésiastique et le Droit canon. Ce sont là les sciences propres au prêtre. Il en reçoit une première initiation pendant son séjour au grand séminaire; il devra en poursuivre l'étude tout le reste de sa vie.

La théologie, c'est la science des choses de la foi. Elle s'alimente, nous dit le Pape Sixte-Quint, à ces sources toujours jaillissantes qui sont les Saintes Ecritures, les décisions des Papes, les décrets des Conciles (2).

Appelée positive et spéculative, ou scolastique, suivant la méthode qu'on emploie pour l'étudier, la théologie ne se borne pas à proposer les vérités à croire; elle en scrute le fond intime, elle en montre les rapports avec la raison humaine, et à l'aide des ressources que lui fournit la vraie philosophie, elle les explique, les développe, et les adapte exactement à tous les besoins de la défense et de la propagation de la foi. A l'instar de Béléséel, à qui le Seigneur avait donné son esprit de sagesse, d'intelligence et de science, en lui confiant la mission de bâtir son Temple, le

(1) De Studiis Monasticis Part. II, c. IX.
(2) Const. Apost. « Triumphantis Jerusalem ».

théologien « taille les pierres précieuses des divins dogmes, » les assortit avec art, et par l'encadrement dans lequel il les » place, en fait ressortir l'éclat, le charme et la beauté (1). »

C'est donc avec raison que le même Sixte-Quint appelle cette théologie (et il parle spécialement ici de la théologie scolastique) un don du ciel et demande qu'elle soit maintenue dans les écoles et cultivée avec une grande ardeur, comme étant ce qu'il y a de plus fructueux pour l'Eglise (2).

Est-il besoin d'ajouter que le livre par excellence où les élèves pourront étudier avec plus de profit la théologie scolastique, est la Somme théologique de saint Thomas d'Aquin? Nous voulons donc que les professeurs aient soin d'en expliquer à tous leurs élèves la méthode, ainsi que les principaux articles relatifs à la foi catholique.

Nous recommandons également que tous les séminaristes aient entre les mains et relisent souvent le livre d'or, connu sous le nom de catéchisme du saint concile de Trente ou catéchisme romain, dédié à tous les prêtres investis de la charge pastorale (Catechismus ad parochos). Remarquable à la fois par la richesse et l'exactitude de la doctrine et par l'élégance du style, ce catéchisme est un pécieux abrégé de toute la théologie dogmatique et morale. Qui le posséderait à fond aurait toujours à sa disposition les ressources à l'aide desquelles un prêtre peut prêcher avec fruit, s'acquitter dignement de l'important ministère de la confession et de la direction des âmes, et être en état de réfuter victorieusement les objections des incrédules.

Au sujet de l'étude des Saintes Écritures, Nous appelons de nouveau votre attention, Vénérables Frères, sur les enseignements que Nous avons donnés dans Notre Encyclique *Providentissimus Deus* (3), dont Nous désirons que les professeurs donnent connaissance à leurs disciples, en y ajoutant les explications nécessaires. Ils les mettront spécialement en garde contre des tendances inquiétantes qui cherchent à

---

(1) Pretiosas divini dogmatis gemmas insculpe, fideliter coapta, adorna sapienter; adiice splendorem, gratiam, venustatem. (S. Vinc. Lir. Commonit. c. II.)

(2) Même Constitution.

(3) 18 nov. 1892.

s'introduire dans l'interprétation de la Bible, et qui, si elles venaient à prévaloir, ne tarderaient pas à en ruiner l'inspiration et le caractère surnaturel. Sous le spécieux prétexte d'enlever aux adversaires de la parole révélée l'usage d'arguments qui semblaient irréfutables contre l'authenticité et la véracité des Livres Saints, des écrivains catholiques ont cru très habile de prendre ces arguments à leur compte. En vertu de cette étrange et périlleuse tactique, ils ont travaillé, de leurs propres mains, à faire des brèches dans les murailles de la cité qu'ils avaient mission de défendre. Dans Notre Encyclique précitée, ainsi que dans un autre document (1), Nous avons fait justice de ces dangereuses témérités. Tout en encourageant nos exégètes à se tenir au courant des progrès de la critique, Nous avons fermement maintenu les principes sanctionnés en cette matière par l'autorité traditionnelle des Pères et des Conciles, et renouvelés de nos jours par le Concile du Vatican.

L'histoire de l'Église est comme un miroir où resplendit la vie de l'Église à travers les siècles. Bien plus encore que l'histoire civile et profane, elle démontre la souveraine liberté de Dieu et son action providentielle sur la marche des événements. Ceux qui l'étudient ne doivent jamais perdre de vue qu'elle renferme un ensemble de faits dogmatiques, qui s'imposent à la foi et qu'il n'est permis à personne de révoquer en doute. Cette idée directrice et surnaturelle qui préside aux destinées de l'Église est en même temps le flambeau dont la lumière éclaire son histoire. Toutefois et parce que l'Église, qui continue parmi les hommes la vie du Verbe incarné, se compose d'un élément divin et d'un élément humain, ce dernier doit être exposé par les maitres et étudié par les élèves avec une grande probité. Comme il est dit au livre de Job, « Dieu n'a pas besoin de nos mensonges » (2).

L'historien de l'Église sera d'autant plus fort pour faire ressortir son origine divine, supérieure à tout concept d'ordre purement terrestre et naturel, qu'il aura été plus loyal à

---

(1) « Genus interpretandi audax atque immodice liberum » (Lettre au ministre général des Frères mineurs, 25 nov. 1898).

(2) *Numquid Deus indiget vestro mendacio?* (Job, XIII, 77.)

ne rien dissimuler des épreuves que les fautes de ses enfants, et parfois même de ses ministres, ont fait subir à cette Épouse du Christ dans le cours des siècles. Étudiée de cette façon, l'histoire de l'Église, à elle toute seule, constitue une magnifique et concluante démonstration de la vérité et de la divinité du christianisme.

Enfin, pour achever le cycle des études par lesquelles les candidats au sacerdoce doivent se préparer à leur futur ministère, il faut mentionner le Droit canonique, ou science des lois et de la jurisprudence de l'Église. Cette science se rattache par des liens très intimes et très logiques à celle de la théologie, dont elle montre les applications pratiques à tout ce qui concerne le gouvernement de l'Église, la dispensation des choses saintes, les droits et les devoirs de ses ministres, l'usage des biens temporels, dont elle a besoin pour l'accomplissement de sa mission. « Sans la connais-
» sance du droit canonique (disaient fort bien les Pères d'un
» de vos conciles provinciaux), la théologie est imparfaite,
» incomplète, semblable à un homme qui serait privé d'un
» bras. C'est l'ignorance du droit canon qui a favorisé la
» naissance et la diffusion de nombreuses erreurs sur les
» droits des Pontifes romains, sur ceux des évêques et sur
» la puissance que l'Église tient de sa propre constitution,
» dont elle proportionne l'exercice aux circonstances » (1).

Nous résumerons tout ce que Nous venons de dire sur vos petits et vos grands séminaires par cette parole de saint Paul, que Nous recommandons à la fréquente méditation des maîtres et des élèves de vos athénées ecclésiastiques : « O Timothée, gardez avec soin le dépôt qui vous a été
» confié. Fuyez les profanes nonveautés de paroles et les
» objections qui se couvrent du faux nom de science ; car
» tous ceux qui en ont fait profession ont erré au sujet de la
» foi (2). »

---

(1) Theologicarum doctrinarum solidæ scientiæ conjungi debet Sacrorum Canonum cognitio..., sine qua theologia erit imperfecta et quasi manca, necnon multi errores de Romani Pontificis, episcoporum juribus ac præsertim de potestate quam Ecclesia jure proprio exercuit, pro varietate temporum, forsitan serpent et paulatim invalescent (Conc. prov. Bitur. a. 1868).

(2) *O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiæ quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt* (I Tim., IV, 20-21).

C'est à vous maintenant, très chers Fils, qui, ordonnés prêtres, êtes devenus les coopérateurs de vos évêques, c'est à vous que Nous voulons adresser la parole. Nous connaissons, et le monde entier connaît comme Nous, les qualités qui vous distinguent. Pas une bonne œuvre dont vous ne soyez ou les inspirateurs ou les apôtres. Dociles aux conseils que Nous avons donnés dans Notre Encyclique *Rerum novarum,* vous allez au peuple, aux ouvriers, aux pauvres. Vous cherchez par tous les moyens à leur venir en aide, à les moraliser et à rendre leur sort moins dur. Dans ce but, vous provoquez des réunions et des congrès; vous fondez des patronages, des cercles, des caisses rurales, des bureaux d'assistance et de placement pour les travailleurs. Vous vous ingéniez à introduire des réformes dans l'ordre économique et social, et pour un si difficile labeur vous n'hésitez pas à faire de notables sacrifices de temps et d'argent. C'est encore pour cela que vous écrivez des livres ou des articles dans les journaux et les revues périodiques. Toutes ces choses, en elles-mêmes, sont très louables et vous y donnez des preuves non équivoques de bon vouloir, d'intelligent et généreux dévouement aux besoins les plus pressants de la société contemporaine et des âmes.

Toutefois, très-chers Fils, Nous croyons devoir appeler paternellement votre attention sur quelques principes fondamentaux, auxquels vous ne manquerez pas de vous conformer, si vous voulez que votre action soit réellement fructueuse et féconde.

Souvenez-vous avant toute chose que, pour être profitable au bien et digne d'être loué, le zèle doit être « accompagné de discrétion, de rectitude et de pureté ». Ainsi s'exprime le grave et judicieux Thomas à Kempis (1). Avant lui, saint Bernard, la gloire de votre pays au XII^e siècle, cet apôtre infatigable de toutes les grandes causes qui touchaient à l'honneur de Dieu, aux droits de l'Eglise, au bien des âmes, n'avait pas craint de dire que « séparé de la science et de » l'esprit de discernement ou de discrétion, le zèle est » insupportable.... que plus le zèle est ardent, plus il est » nécessaire qu'il soit accompagné de cette discrétion qui

(1) Zelus animarum laudandus est si sit discretus, rectus et purus.

» met l'ordre dans l'exercice de la charité et sans laquelle la » vertu elle même peut devenir un défaut et un principe de » désordre (1). »

Mais la discrétion dans les œuvres et dans le choix des moyens pour les faire réussir est d'autant plus indispensable que les temps présents sont plus troublés et hérissés de difficultés plus nombreuses. Tel acte, telle mesure, telle pratique de zèle pourront être excellents en eux-mêmes, lesquels, vu les circonstances, ne produiront que des résultats fâcheux. Les prêtres éviteront cet inconvénient et ce malheur si, avant d'agir et dans l'action, ils ont soin de se conformer à l'ordre établi et aux règles de la discipline. Or, la discipline ecclésiastique exige l'union entre les divers membres de la hiérarchie, le respect et l'obéissance des inférieurs à l'égard des supérieurs. Nous le disions naguère dans Nos lettres à l'archevêque de Tours : « L'édifice de » l'Église, dont Dieu lui-même est l'architecte, repose sur » un très visible fondement : d'abord sur l'autorité de Pierre » et de ses successeurs, mais aussi sur les Apôtres et les » successeurs des Apôtres, qui sont les évêques ; de telle » sorte que, écouter leur voix ou la mépriser, équivaut à » écouter ou à mépriser Jésus-Christ lui-même (2). »

Écoutez donc les paroles adressées par le grand martyr d'Antioche, saint Ignace, au clergé de l'Église primitive : « Que tous obéissent à leur évêque comme Jésus-Christ a » obéi à son Père. Ne faites en dehors de votre évêque rien » de ce qui touche au service de l'Église, et de même que » Notre Seigneur n'a rien fait que dans une étroite union » avec son Père, vous, prêtres, ne faites rien sans votre

(1) Importabilis siquidem absque scientia est zelus. .. Quo igitur zelus ferventior ac vehementior spiritus, profusiorque charitas, eo vigilantiori opus scientia est quæ zelum supprimat, spiritum temperet, ordinet charitatem.... Tolle hanc (discretionem) et virtus vitium erit, ipsaque affectio naturalis in perturbationem magis convertetur exterminiumque naturæ (S. Bern. Serm. XLIX in Cant. n. 5).

(2) Divinum quippe ædificium, quod est Ecclesia, verissime nititur in fundamento conspicuo, primum quidem in Petro et Successoribus ejus, proxime in Apostolis et Successoribus eorum, Episcopis, quos, qui audit vel spernit, is perinde facit ac si audiat vel spernat Christum Dominum (Epist. ad Arch. Turon).

» évêque. Que tous les membres du corps presbytéral lui » soient unis, de même que sont unies à la harpe toutes les » cordes de l'instrument (1). »

Si, au contraire, vous agissiez, comme prêtres, en dehors de cette soumission et de cette union à vos évêques, Nous vous répéterions ce que disait notre prédécesseur Grégoire XVI, à savoir, que, « autant qu'il dépend de votre pouvoir, » vous détruisez de fond en comble l'ordre établi avec une » si sage prévoyance par Dieu, auteur de l'Eglise (2). »

Souvenez-vous encore, Nos chers Fils, que l'Eglise est avec raison comparée à une armée rangée en bataille, *sicut castrorum acies ordinata* (3), parce qu'elle a pour mission de combattre les ennemis visibles et invisibles de Dieu et des âmes. Voilà pourquoi saint Paul recommandait à Timothée de se comporter « comme un bon soldat du Christ Jésus (4). » Or, ce qui fait la force d'une armée et contribue le plus à la victoire, c'est la discipline, c'est l'obéissance exacte et rigoureuse de tous, à ceux qui ont la charge de commander.

C'est bien ici que le zèle intempestif et sans discrétion peut aisément devenir la cause de véritables désastres. Rappelez-vous un des faits les plus mémorables de l'histoire sainte. Assurément, ils ne manquaient ni de courage, ni de bon vouloir ni de dévouement à la cause sacrée de la religion, ces prêtres qui s'étaient groupés autour de Judas Machabée pour combattre avec lui les ennemis du vrai Dieu, les profanateurs du temple, les oppresseurs de leur nation. Toutefois, ayant voulu s'affranchir des règles de la discipline, ils s'engagèrent témérairement dans un combat où ils furent vaincus. L'Esprit-Saint nous dit d'eux « qu'ils n'étaient pas

---

(1) Omnes episcopum sequimini ut Christus Jesus Patrem ... Sine episcopo nemo quidquam faciat eorum quæ ad Ecclesiam spectant (S. Ign. Ant. Ep ad Smyrn. 8). Quemadmodum itaque Dominus sine Patre nihil fecit.... sic et vos sine episcopo (idem ad Magn. VII). Vestrum presbyterium ita coaptatum sit Episcopo ut chordæ citharæ (idem ad Ephes. IV).

(2) Quantum in vobis est, ordinem ab auctore Ecclesiæ Deo providentissime constitutum, funditus evertitis (Greg. XVI, Epist. Encycl, 15 Aug. 1832).

(3) Cant. VI, 3.

(4) II Tim. II, 3.

» de la race de ceux qui pouvaient sauver Israël ». Pourquoi? parce qu'ils avaient voulu n'obéir qu'à leurs propres inspirations et s'étaient jetés en avant sans attendre les ordres de leurs chefs. *In die illa ceciderunt sacerdotes in bello, dum volunt fortiter facere, dum sine consilio exeunt in prælium. Ipsi autem non erant de semine virorum illorum, per quos salus facta est in Israel* (1).

A cet égard, nos ennemis peuvent nous servir d'exemple. Ils savent très bien que l'union fait la force, « *vis unita fortior* »; aussi, ne manquent-ils pas de s'unir étroitement, dès qu'il s'agit de combattre la sainte Eglise de Jésus-Christ.

Si donc, Nos chers Fils, comme tel est certainement votre cas, vous désirez que, dans la lutte formidable engagée contre l'Eglise par les sectes antichrétiennes et par la cité du démon, la victoire reste à Dieu et à son Eglise, il est d'une absolue nécessité que vous combattiez tous ensemble, en grand ordre et en exacte discipline, sous le commandement de vos chefs hiérarchiques. N'écoutez pas ces hommes néfastes qui, tout en se disant chrétiens et catholiques, jettent la zizanie dans le champ du Seigneur et sèment la division dans son Eglise en attaquant, et souvent même en calomniant les évêques, « établis par l'Esprit-Saint pour » régir l'Eglise de Dieu (2) ». Ne lisez ni leurs brochures, ni leurs journaux. Un bon prêtre ne doit autoriser en aucune manière ni leurs idées, ni la licence de leur langage. Pourrait-il jamais oublier que, le jour de son ordination, il a solennellement promis à son évêque, en face des saints autels, « *obedientiam et reverentiam* »?

Par-dessus tout, Nos chers Fils, rappelez-vous que la condition indispensable du vrai zèle sacerdotal et le meilleur gage de succès dans les œuvres auxquelles l'obéissance hiérarchique vous consacre, c'est la pureté et la sainteté de la vie. « Jésus a commencé par faire, avant d'enseigner (3). » Comme lui, c'est par la prédication de l'exemple que le prêtre doit préluder à la prédication de la parole. « Séparés » du siècle et de ses affaires, (disent les Pères du saint » Concile de Trente), les clercs ont été placés à une hauteur

---

(1) I Mach., V, 67, 62.
(2) Act. XX, 28.
(3) Act. I, 1.

» qui les met en évidence, et les fidèles regardent dans leur » vie comme dans un miroir pour savoir ce qu'ils doivent » imiter. C'est pourquoi les clercs, et tous ceux que Dieu a » spécialement appelés à son service, doivent si bien règler » leurs actions et leurs mœurs que dans leur manière d'être, » leurs mouvements, leurs démarches, leurs paroles et tous » les autres détails de leur vie, il n'y ait rien qui ne soit » grave, modeste, profondément empreint de religion. Ils » éviteront avec soin les fautes qui, légères chez les autres, » seraient très-graves pour eux, afin qu'il n'y ait pas un seul » de leurs actes qui n'inspire à tous le respect (1). »

A ces recommandations du saint concile, que Nous voudrions, Nos chers Fils, graver dans tous vos cœurs, manqueraient assurément les prêtres qui adopteraient dans leurs prédications un langagé peu en harmonie avec la dignité de leur sacerdoce et la sainteté de la parole de Dieu; qui assisteraient à des réunions populaires où leur présence ne servirait qu'à exciter les passions des impies et des ennemis de l'Eglise, et les exposerait eux-mêmes aux plus grossières injures, sans profit pour personne et au grand étonnement, sinon au scandale des pieux fidèles; qui prendraient les habitudes, les manières d'être et d'agir, et l'esprit des séculiers. Assurément, le sel a besoin d'être mélangé à la masse qu'il doit préserver de la corruption, en même temps que lui-même se défend contre elle, sous peine de perdre toute saveur et de n'être plus bon à rien qu'à être jeté dehors et foulé aux pieds (2).

De même, le prêtre, sel de la terre, dans son contact obligé avec la société qui l'entoure, doit-il conserver la modestie, la gravité, la sainteté dans son maintien, ses actes, ses paroles, et ne pas se laisser envahir par la légèreté, la

---

(1) Cum enim a rebus sæculi in altiorem sublati locum conspiciantur, in eos tanquam in speculum reliqui oculos conjiciunt ex iisque sumunt quod imitentur. Quapropter sic decet omnino clericos in sortem Domini vocatos, vitam moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus, nil nisi grave, moderatum, ac religione plenum præ se ferant; levia etiam delicta, quæ in ipsis maxima essent, effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem. (S. Conc. Trid. Ses. XXII de Reform. c. 1.)

(2) Matth. V, 13.

dissipation, la vanité des gens du monde. Il faut, au contraire, qu'au milieu des hommes il conserve son âme si unie à Dieu, qu'il n'y perde rien de l'esprit de son saint état et ne soit pas contraint de faire devant Dieu et devant sa conscience ce triste et humiliant aveu : « Toutes les fois que j'ai été parmi les laïques, j'en suis revenu moins prêtre. »

Ne serait-ce pas pour avoir, par un zèle présomptueux, mis de côté ces règles traditionnelles de la discrétion, de la modestie, de la prudence sacerdotales, que certains prêtres traitent de surannées, d'incompatibles avec les besoins du ministère dans le temps où nous vivons, les principes de discipline et de conduite qu'ils ont reçus de leurs maîtres du grand séminaire ? On les voit aller, comme d'instinct au-devant des innovations les plus périlleuses de langage, d'allures, de relations. Plusieurs, hélas ! engagés témérairement sur des pentes glissantes où, par eux-mêmes, ils n'avaient pas la force de se retenir, méprisant les avertissements charitables de leurs supérieurs ou de leurs confrères plus anciens et plus expérimentés, ont abouti à des apostasies qui ont réjoui les adversaires de l'Eglise et fait verser des larmes bien amères à leurs évêques, à leurs frères dans le sacerdoce et aux pieux fidèles. Saint Augustin nous le dit : « Plus on marche avec force et rapidité, quand on est en » dehors du bon chemin, et plus on s'égare » (1).

Assurément, il y a des nouveautés avantageuses, propres à faire avancer le royaume de Dieu dans les âmes et dans la société. Mais, nous dit le saint Evangile (2), c'est au *Père de famille*, et non aux enfants, ou aux serviteurs, qu'il appartient de les examiner et, s'il le juge à propos, de leur donner droit de cité, à côte des usages anciens et vénérables qui composent l'autre partie de son trésor.

Lorsque naguère Nous remplissions le devoir apostolique de mettre les catholiques de l'Amérique du Nord en garde contre des innovations tendant, entre autres choses, à substituer aux principes de perfection consacrés par l'enseignement des docteurs et par la pratique des saints, des maximes ou des règles de vie morale plus ou moins imprégnées de ce

(1) Enarr. in Ps. XXXI, II, n. 4.
(2) Matth. XIII, 52.

naturalisme qui, de nos jours, tend à pénétrer partout, Nous avons hautement proclamé que, loin de répudier et de rejeter en bloc les progrès accomplis dans les temps présents, Nous voulions acceuillir très-volontiers tout ce qui peut augmenter le patrimoine de la science ou généraliser davantage les conditions de la prospérité publique. Mais Nous avions soin d'ajouter que ces progrès ne pouvaient servir efficacement la cause du bien, si l'on mettait de côté la sage autorité de l'Eglise (1).

En terminant ces lettres, il Nous plaît d'appliquer au clergé de France ce que Nous écrivions jadis aux prêtres de Notre diocèse de Pérouse. Nous reproduisons ici une partie de la Lettre pastorale que Nous leur adressions le 19 juillet 1866 :

« Nous demandons aux ecclésiastiques de notre diocèse » de réfléchir sérieusement sur leurs sublimes obligations, » sur les circonstances difficiles que nous traversons, et de » faire en sorte que leur conduite soit en harmonie avec » leurs devoirs et toujours conforme aux règles d'un zèle » éclairé et prudent. Ainsi ceux-là même qui sont nos enne- » mis chercheront en vain des motifs de reproche et de » blâme : *Qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malum dicere* » *de nobis* (2).

» Bien que les difficultés et les périls se multiplient de » jour en jour, le prêtre pieux et fervent ne doit pas pour » cela se décourager, il ne doit pas abandonner ses devoirs, » ni même s'arrêter dans l'accomplissement de la mission » spirituelle qu'il a reçue pour le bien, pour le salut de » l'humanité et pour le maintien de cette auguste religion » dont il est le héraut et le ministre. Car c'est surtout dans » les difficultés, dans les épreuves que sa vertu s'affirme et » se fortifie : c'est dans les plus grands malheurs, au milieu

---

(1) Abest profecto a Nobis ut quæcumque horum temporum ingenium parit, omnia repudiemus. Quin potius quidquid indagando veri aut enitendo boni attingitur, ad patrimonium doctrinæ augendum publicæque prosperitatis fines proferendos, libentibus sane Nobis accedit. Id tamen omne, ne solidæ utilitatis sit expers, esse ac vigere nequaquam debet Ecclesiæ auctoritate sapientiaque posthabita (Epist. ad S. R. E. Presbyt. Card. Gibbons Archiep. Baltimor., die 22 Jan. 1899).

(2) Tit. II, 8.

» des transformations politiques et des bouleversements
» sociaux, que l'action bienfaisante et civilisatrice de son
» ministère se manifeste avec plus d'éclat.

» .... Pour en venir à la pratique, nous trouvons un enseignement parfaitement adapté aux circonstances dans les
» quatre maximes que le grand apôtre saint Paul donnait à
» son disciple Tite. En toutes choses, donnez le bon exemple
» par vos œuvres, par votre doctrine, par l'intégrité de votre
» vie, par la gravité de votre conduite, en ne faisant usage
» que de paroles saintes et irrépréhensibles (1). Nous voudrions que chacun des membres de notre clergé méditât
» ces maximes et y conformât sa conduite.

» *In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum.* En
» toutes choses donnez l'exemple des bonnes œuvres, c'est-
» à-dire d'une vie exemplaire et active, animée d'un véritable
» esprit de charité et guidée par les maximes de la prudence
» évangélique; d'une vie de sacrifice et de travail, consacrée
» à faire du bien au prochain, non pas dans des vues terrestres et pour une récompense périssable, mais dans un
» but surnaturel. Donnez l'exemple de ce langage à la fois
» simple, noble et élevé, de cette parole saine et irrépréhensible, qui confond toute opposition humaine, apaise l'antique haine que nous a vouée le monde, et nous concilie
» le respect, l'estime même des ennemis de la religion.
» Quiconque s'est voué au service du sanctuaire a été obligé
» en tout temps de se montrer un vivant modèle, un exemplaire parfait de toutes les vertus; mais cette obligation
» est beaucoup plus grande lorsque, par suite des bouleversements sociaux, on marche sur un terrain difficile et
» incertain où l'on peut trouver à chaque pas des embûches
» et des prétextes d'attaque....

» .... *In doctrina.* En présence des efforts combinés de l'incrédulité et de l'hérésie pour consommer la ruine de la foi
» catholique, ce serait un vrai crime pour le clergé de rester
» hésitant et inactif. Au milieu d'un si grand débordement
» d'erreurs, d'un tel conflit d'opinions, il ne peut faillir à sa
» mission qui est de défendre le dogme attaqué, la morale

---

(1) *In omnibus teipsum præbe exemplum honorum operum in doctrina, in integritate, in gravitate, verbum sanum, irreprehensibile* (Tit. II, 7, 8).

» travestie et la justice si souvent méconnue. C'est à lui
» qu'il appartient de s'opposer comme une barrière à l'er-
» reur envahissante et à l'hérésie qui se dissimule ; à lui de
» surveiller les agissements des fauteurs d'impiété qui s'atta-
» quent à la foi et à l'honneur de cette contrée catholique ;
» à lui de démasquer leurs ruses et de signaler leurs embû-
» ches ; à lui de prémunir les simples, de fortifier les timides,
» d'ouvrir les yeux aux aveugles. Une érudition superficielle,
» une science vulgaire ne suffisent point pour cela : il faut
» des études solides, approfondies et continuelles, en un
» mot, un ensemble de connaissances doctrinales capables
» de lutter avec la subtilité et la singulière astuce de nos
» modernes contradicteurs....

.... » *In integritate.* Rien ne prouve tant l'importance de
» ce conseil, que la triste expérience de ce qui se passe
» autour de nous. Ne voyons-nous pas en effet que la vie
» relâchée de certains ecclésiastiques discrédite et fait mé-
» priser leur ministère et occasionne des scandales. Si des
» hommes, doués d'un esprit aussi brillant que remarquable,
» désertent parfois les rangs de la sainte milice et se mettent
» en révolte contre l'Eglise, cette mère qui, dans son affec-
» tueuse tendresse, les avait préposés au gouvernement et
» au salut des âmes, leur défection et leurs égarements n'ont
» le plus souvent pour origine que leur indiscipline, ou
» leurs mauvaises mœurs....

.... » *In gravitate.* Par gravité, il faut entendre cette con-
» duite sérieuse, pleine de jugement et de tact, qui doit être
» propre au ministre fidèle et prudent que Dieu a choisi
» pour le gouvernement de sa famille. Celui-ci, en effet,
» tout en remerciant Dieu d'avoir daigné l'élever à cet
» honneur, doit se montrer fidèle à toutes ses obligations,
» en même temps que mesuré et prudent dans tous ses
» actes ; il ne doit point se laisser dominer par de viles
» passions, ni emporter en paroles violentes et excessives ;
» il doit compatir avec bonté aux malheurs et aux faiblesses
» d'autrui, faire à chacun tout le bien qu'il peut, d'une
» manière désintéressée, sans ostentation, en maintenant
» toujours intact l'honneur de son caractère et de sa sublime
» dignité. »

. . . . . .

Nous revenons maintenant à vous, Nos chers Fils du clergé français, et Nous avons la ferme confiance que Nos prescriptions et Nos conseils, uniquement inspirés par Notre affection paternelle, seront compris et reçus par vous, selon le sens et la portée que Nous avons voulu leur donner en vous adressant ces Lettres.

Nous attendons beaucoup de vous, parce que Dieu vous a richement pourvus de tous les dons et de toutes les qualités nécessaires pour opérer de grandes et saintes choses à l'avantage de l'Eglise et de la société. Nous voudrions que pas un seul d'entre vous ne se laissât entamer par ces imperfections qui diminuent la splendeur du caractère sacerdotal et nuisent à son efficacité.

Les temps actuels sont tristes; l'avenir est encore plus sombre et plus menaçant; il semble annoncer l'approche d'une crise redoutable de bouleversements sociaux. Il faut donc, comme Nous l'avons dit en diverses circonstances, que nous mettions en honneur les principes salutaires de la religion, ainsi que ceux de la justice, de la charité, du respect et du devoir. C'est à nous d'en pénétrer profondément les âmes, particulièrement celles qui sont captives de l'incrédulité ou agitées par de funestes passions, de faire régner la grâce et la paix de notre divin Rédempteur, qui est la Lumière, la Résurrection, la Vie, et de réunir en lui tous les hommes, malgré les inévitables distinctions sociales qui les séparent.

Oui, plus que jamais, les jours où nous sommes réclament le concours et le dévouement de prêtres exemplaires, pleins de foi, de discrétion, de zèle, qui, s'inspirant de la douceur et de l'énergie de Jésus-Christ dont ils sont les véritables ambassadeurs, *pro Christo legatione fungimur* (1), annoncent avec une courageuse et indéfectible patience les vérités éternelles, lesquelles sont pour les âmes les semences fécondes des vertus.

Leur ministère sera laborieux, souvent même pénible, spécialement dans les pays où les populations, absorbées par les intérêts terrestres, vivent dans l'oubli de Dieu et de sa sainte religion. Mais l'action éclairée, charitable, infati-

(1) Cor., V, 20.

gable du prêtre, fortifiée par la grâce divine, opérera comme elle l'a fait en tous les temps d'incroyables prodiges de résurrection.

Nous saluons de tous Nos vœux et avec une joie ineffable cette consolante perspective, tandis que, dans toute l'affection de Notre cœur, Nous accordons à vous, Vénérables Frères, au clergé et à tous les catholiques de France, la bénédiction apostolique.

Donné à Rome, près Saint-Pierre, le 8 septembre de l'année 1899, de Notre pontificat la vingt-deuxième.

LÉON XIII, PAPE.

# Quæstiones pro Conferentiis

## mensis Decembris

—

I

Expone *ad Hebr.* XII, 16: *Ne quis fornicator, aut profanus ut Esau: qui propter unam escam vendidit primitiva sua: 17 scitote enim quoniam et postea cupiens hereditare benedictionem, reprobatus est: non enim invenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lacrymis inquisisset eam.*

II

Explica et demonstra Christum secundum humanam naturam esse subjectum Patri, imo et sibi ipsi prout una cum Patre et Spiritu Sancto in natura divina supremus est omnium Dominus.

III

Expone quonam nexu ad invicem detineantur contractus matrimonialis inter christianos et sacramentum Matrimonii.

IV

Da definitionem sacramenti Matrimonii ejusque materiam proximam et formam determina.

V

An et quomodo parochus assistere potest matrimonio *publici peccatoris*, baptizati et nulli falsæ religioni aut sectæ hæreticæ adscripti?

VI

Indica ordinem cæremoniarum, inde a regressu ad altare post distributionem S. Communionis extra missam usque ad finem functionis.

# Responsa

## ad quæstiones in Conferentiis mensis Augusti propositas.

—

I

Q. Dijudica agendi rationem Mardochæi : « Cunctique servi regis, qui in foribus palatii versabantur, flectebant genua, et adorabant Aman : sic enim præceperat eis imperator ; *solus Mardochæus non flectebat genu, neque adorabat eum* » Esther III, 2.

R. Mardochæum rectè egisse, catholici interpretes consentiunt unanimes. Multùm verò controversantur inter se de causà cur Amanem adorare detrectaverit. Brevitatis ergo non nisi duplicem sententiam memorabimus.

Cajetanus, Estius ac alii causam afferunt *quòd Aman esset Amalecita* utpote *de stirpe Agag*, prout asseritur v. 1. Deus enim præceperat Israëlitis exercere perpetuas inimicitias contra Amalec, ejusque nomen delere sub cœlo (Deut. XXV, 19 coll. Exod. XVII, 14, 16). Amani igitur qualemcumque *honorem*, *etiam civilem* exhibere, Mardochæus sibi ceu Judæo nefas esse duxerit.

Verùm hæc sententia jam eo infirmatur quòd incertà nititur interpretatione Esth. III, 1. Namque ibi nomine *Agag* non *regem* Amalec, de quo Num. XXIV, 7; 1 Reg. XV, 8, sed regionem aliquam Mediæ designari ex inscriptionibus Khorsabad communiter deducunt recentiores interpretes. Præterea, dato *Amanem* Amalecitam fuisse, « num Judæis illicitum genti isti honorem aliquem civilem deferre ? Quibus id tabulis probabunt authores isti ? Odium, quod Judæos inter et Amalecitas Deus esse jusserat, ad excidium populi hujus, non ad

honorem uni *Amani*, in Perside, cum tanto *Mardochæi* et Judæorum omnium periculo, negandum spectabat, rectè ait *à Lapide*. Imo præceptum istud nequaquam tangebat Judæos in alieno territorio existentes, et captivos, ut satis ex legis tenore *Deut.* XXV, 19 colligitur. » Ita Smitsius.

Verior igitur nobis videtur aliorum (à Lapide, Smitsii, Tirini etc.) sententia, Mardochæum, virum religiosissimum, hic non civilem, sed *divinum* Amani *honorem* recusasse. Patet id ex III, 4 « *Dixerat enim eis se esse Judæum* ». « Quibus id dixerat? Collegis suis et aliis Ostiariis; scilicet, ut significaret, se a tali adoratione, non animi tumore aut contemptu, sed patriis legibus et institutis impediri. *Propter patriam institutionem*, inquit Josephus, non adorabat. At nullæ Judæorum leges aut instituta adorationem civilem et politicam vetabant, ut ex Patriarcharum aliorumque exemplis constat » Smitsius. — Apertiùs adhuc idem colligitur ex XIII, 12-14: « Cuncta nosti, et scis, quia non pro superbia et contumelia, et aliqua gloriæ cupiditate, fecerim hoc, ut non adorarem Aman superbissimum. (Libenter enim pro salute Israel etiam vestigia pedum ejus deosculari paratus essem); *Sed timui ne honorem Dei mei transferrem ad hominem, et ne quemquam adorarem, excepto Deo meo.* »

Et re quidem vera « Gentilium Reges divinos sibi honores vindicasse et sacri et profani testantur Historici... Hunc porrò divinum cultum Persarum reges etiam aliis communicari voluisse, plerique æstimant... Licet interim honor iste *Amani* à Rege concessus non esset, superbissimus tamen ille... hunc cultum facile sibi arrogare poterat » Smitsius. Cf. etiam *à Lapide*.

Censemus igitur Regem Assuerum cultum divinum Amani deferri jussisse, aut certe publice constitisse superbissimum Amanem divinos sibi honores deposcere.

Manent tamen nonnullæ difficultates, quas proponemus ac solvemus verbis utendo Smitsii:

1. At esto, inquies, Aman cultum illum aut ambierit, aut eidem communicari Rex jusserit; nonne magis providè egisset *Mardochæus*, si, ut sibi suisque consuleret, dissimulasset, se scilicet prosternendo, aliaque honoris signa *Amani* exhibendo, dumtaxat ut Principi, et non ut Deo? Gestus illi externi indifferentes sunt, et honorantis intentione discriminantur, ut ad latriam spectent, aut ad politiam. Quomodo *Esther*, *Esdras*, *Nehemias* ac tot religiosi Israëlitæ in Regum Persarum Aula versari, munere quodam fungi, atque ad Principes illos sæpius accedere poterant, si palam hi divinis honoribus colebantur, aut saltem illi dictà adorandi arte usi non fuissent? *Mardochæum* tot sanctis, cum gravissimo Ecclesiæ detrimento, religiosorem esse, minimè oportebat.

2. Ad hæc, si honorem illum Reges Persarum etiam aliis communicari voluerint, eumque *Amani* deferri jusserit *Assuerus*, idem utique circa *Mardochæum*, qui in omnibus illius dignitatibus successerat, statutum fuit: quomodo ergo id permittere poterat Mardochæus, ut scilicet adoraretur et coleretur ut Deus?

3. *Tandem*, ne crederes hìc de quodam honore divino actum esse, vide c. V. 9. ubi nequidem surgit *Mardochæus*, nec se de loco sessionis movet, quod sanè mere politicum et civile est, exigitque, ni aliquid obstet, urbanitas.

R. ad 1um. Talem honorem, etiam exteriùs dumtaxat, exhibere homini, qui spectatis circumstantiis, latriam redolet, Religioni omnino contrarium est; nec à gravissimo scandali crimine immune. Dissimulationes hujusmodi piis Judæis admodum fuisse odiosas, exemplo *Eleazari* (II *Mach.* VI. 21. et seqq.) discimus, qui *præmitti se* volebat *in infernum*, quàm ut quidquam, quod Lege vetitum erat, simularet.

Quid ergo de *Esthere*, *Esdra* etc.? Respondeo, si Reges isti voluerint, ut semper cultus hujusmodi sibi deferretur, communisque sensus habuerit, omnes honores eisdem præstitos, cultus esse latriæ, nec *Estherem*,

*Esdram* etc. illos præstare potuisse. Verum fidei pronius est, magnos hos honores Regibus adhiberi dumtaxat consuevisse in publicis quibusdam cæremoniis et solemnibus pompis, à quibus se poterant Judæi subducere: non vero in privatis congressibus vel colloquiis. Aut certò, ut plerique omnes respondent, viri illi prudentiâ et religione inter Judæos conspicui, id à Regibus illis impetraverant, ut cultu illo, qui Legi suæ conformis esset, uti liceret. Quod quidem in Perside obtentu facillimum, ubi Reges plures cernere est, aliqua veri Numinis cognitione imbutos. Id constat de *Assuero* hujus Libri c. XVI. 16, de *Cyro*, *Dario* et *Artaxerxe* in *Esdra*, c. I. 2. VI. 6. 7. 12. etc. Impetraverat *Daniël* ne polluereturcibis vetitis, c. I. 8. et seqq. Idem de *Juditha* legimus c. XII. 2. ac de *Esthere* colligimus, c. XIV, 17. etc. Similia plura impetrasse Judæos, ne contra Legem agerent, haud dubium.

R. ad 2$^{um}$. *Mardochæum* inter et *Amanem* ampla disparitas erat. Exigebat hic honorem illum, atque ad eum cogebat: permisit ille dumtaxat, quod, jubente Rege, impedire non poterat. Imo et *Mardochæi* qualitates cultum illum ad aliam speciem determinabant. Judæus erat, et viri Religio Legisque suæ observantia omnibus patebat: notum ergo similiter erat, illum tales honores, qui divini essent, abominari et detestari: quod et apertis indiciis quandoque significasse *Mardochæum*, eadem nobis persuadent.

R. ad 3$^{um}$. Quòd, transeunte *Amane*, ne quidem se de loco sessionis movere voluerit *Mardochæus*, id ejusdem obfirmatum in suo proposito ostendit animum, nullum honoris signum deferendi homini superbissimo, qui sibi divinum arrogabat cultum. Honoris signa quæcumque, etiam minima, ratione objecti et circumstantiarum, facilè in perversam trahuntur significationem, ut nemo ignorat.

Probè tamen notandum est *Amanem*, quando vidit *Mardochæum non solum non assurrexisse sibi, sed nec*

*motum quidem de loco sessionis suæ* (V, 9), jam totius Judaïcæ gentis exitium machinatum fuisse, adeo ut hæc omnis etiam civilis honoris negatio fuerit fortissima quædam Mardochæi protestatio. Rectius igitur à Lapide: « Magnæ hoc erat constantiæ Mardochæi, quod Amani hosti scelestissimo toti genti Judæorum exitium machinanti, ne quidem assurrexerit, (qui prius (III, 2) tantùm *genu flectere et adorare* Amanem recusaverat), ut suam in Deo fiduciam ostenderet, et Amani ipso facto superbiam suam et crudelitatem exprobraret ».

G. V. D. P.

II

Q. Expone Jo. IX, 2: *Et interrogaverunt eum discipuli ejus: Rabbi, quis peccavit, hic, aut parentes ejus, ut cæcus nasceretur? 3 Respondit Jesus: Neque hic peccavit, neque parentes ejus: sed ut manifestentur opera Dei in illo.*

R. *Et interrogaverunt... ut cæcus nasceretur?* Sensus hujus quæstionis est: Cujus peccato factum est, an hujus peccato, an peccato parentum ejus, ut iste cæcus nasceretur? Hæc autem discipulorum interrogatio partim *ex scientia*, partim *ex ignorantia* procedebat.

*Ex scientia*. Rectè enim sentiebant Deum propter peccata propria sæpe infirmitates corporales immittere. Id enim ex S. Scriptura passim necnon ex ipso Christo didicerant c. V, v. 14: *Jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Recte etiam sentiebant non solum propter propria, sed etiam propter parentum peccata Deum aliquando comporalibus calamitatibus castigare filios. Sic adulterium Davidis morte filii ejus punitum fuit (II Reg. XII, 14); propter Sodomitarum vitia et scelera, etiam filii eorum infantes arserunt (Gen. XIX); propter peccatum Dathan et Abiron, terra etiam filios devoravit (Num. XVI) etc. Cf. Exod. XX, 5; XXXIV, 7; Deut. V, 9; Jerem. XXXII, 18; Tob. III, 3. Hi tamen

loci omnino conferendi et aptè componendi sunt cum aliis nonnullis locis v. g. Deut. XXIV, 16; Jerem. XXXI, 20; Ezechiel XVIII, 19, 20, ubi contraria sententia doceri videtur. Quæstionem hanc de *reversibilitate* scripturisticè tractatam vide in commentario nostro *in Exod.* XX, 5.

*Ex ignorantia.* In eo enim errabant quod existimarent omnes hujusmodi afflictiones infligi tantummodo et proxime propter peccata; et quidem singulares afflictiones, et quæ non sunt omnibus hominibus communes, pro causâ habere singulare aliquod sive ipsius afflicti sive parentum ejus peccatum. Errasse præterea videntur etiam in eo quòd autumârint infantes, priusquam nascerentur, in utero matris peccata actualia committere posse. Cf. v. 34 ubi Synedri cæco nato perinde insultant ac si ex utero matris cum scelerum nota prodiisset: *In peccatis natus es totus, et tu doces nos?* Idem error occurrit in *Sanhedrin* folio 91 et *Bereschith Rabba* f° 38: « Antonius interrogavit Rabbi Judam: à quonam tempore incipit malus affectus prævalere in homine? An à tempore formationis ejus, an à tempore processionis ejus (ex utero)? Dixit ei Rabbi: à tempore formationis ejus ». — Parum probabile est discipulos hic cogitasse peccatum cæci nati prævisum, aut peccatum ab anima ejus sive separatim præexistente sive aliud corpus informante commissum; probabile tamen censeri potest cum Toleto, Luc. Brug. et aliis, eos non aliud cæci nati quàm originale peccatum intendisse.

*Respondit Jesus: Neque hic peccavit, neque parentes ejus,* subaudi, ex interrogatione discipulorum, *ut cæcus nasceretur.* His verbis Christus non significat virum hunc ejusque parentes nunquam peccasse, sed cæcitatem illam non esse pœnam peccati sive ipsius cæci nati sive parentum ejus. Fusius Luc. Brug. « *Neque hic peccavit,* sc. ut cæcus nasceretur. Nullum hujus peccatum fecit aut meruit, ut ipse cæcus nasceretur; non actuale, quia nullum hujusmodi habuit antequam nasceretur; non originale, quod nascendo contraxit, quia illud commune

cum sit omnibus, omnes simili ex causâ cæci nascerentur. Est quidem peccatum originale prima origo mortis et omnium miseriarum, quas homines patiuntur, ac proindè etiam cæcitatis; sed causa est generalis sive remota, causa sine qua non, seu privativa, per quam destitutus homo justitià originali, quæ omnia mala valuisset arcere, factus est mortalis, et omnis generis miseriis obnoxius. Quæritur hîc autem causa cæcitatis particularis seu proxima. *Neque parentes ejus* sc. peccaverunt, ut cæcus nasceretur: non est etiam hic natus cæcus, merito peccati alicujus à parentibus ipsius commissi. Solent aliquando parentum peccata sic à divina justitia puniri, ut generent filios monstrosos: verùm illud hîc non accidisse, affirmat Jesus, cui soli id potuit esse cognitum, quippe cognitori occultorum omnium à sæculo. Respondit igitur Jesus, falsum illud esse, quod discipuli sui tamquam certum et indubitatum ponebant, hujusmodi calamitates *semper* esse pœnas singularium peccatorum ».

*Sed* cæcus natus est, seu cæcitas hæc obtingere divinitùs permissa vel etiam inflicta est ad hoc *ut manifestentur opera Dei in illo*, ut scilicet in ipso per me aliquando ederetur operum Dei specimen quoddam illustre ac manifestum. « Significatur, ait Brugen., *causa finalis*, sed hujusmodi, ex qua *causa efficiens*, de qua quæstio erat, facile intelligatur, nempe *singularis Dei providentia*. Fit plerumque ut hujusmodi monstra generentur, vel propter defectum materiæ, vel propter debilitatem virtutis in semine, quo fiat, ut organum oculi vel omnino non, vel non ut oportet formatum, capax haud sit visus: eaque est causa naturalis. Sed cum hujusmodi causa naturalis subsit ordinationi divinæ, sive per hujusmodi causam naturalem hic natus sit cæcus, sive per solam Dei voluntatem, causa efficiens cæcitatis ejus Deus fuit; Deus autem, non respiciens aliquod ejus aut parentum ejus peccatum, quod punire voluerit, sed gloriam suam propriam, quam voluerit amplificare ».

Cum igitur hujus cæcitatis causa non peccatum, sed divinæ gloriæ ostensio fuerit, quæritur qua justitia id fieri potuerit, ut tantum malum alicui infligeretur, et non propter peccatum? Egregiè respondet Toletus:

« Dico *primò*, quamvis non sit propter ejus proprium, aut parentum peccatum hæc cæcitas, non tamen fuit sine ejus peccato, propter quod justè Deus multo majora mala potuisset infligere, et quidem justè: Est enim doctrina Catholica advertenda, vel propter originale peccatum, quod in Adam peccantes contraximus, justè pœnas quascumque temporales exigere ab omnibus posse Deum...

Dico *secundò*, quamvis nullum esset peccatum, nullâ tamen injustitia in hoc facto esset; pro cujus explicatione attendendum est, quando Deus alicui cæcitatem, aut infirmitatem aliquam immittit, non sic debere nos hoc intelligere, quasi auferat ei aliquid, quod suum erat, ipsique debebatur, sed quod nolit ea donare, sicut donavit alia; omnia enim, quæ habemus bona, dona Dei sunt gratis, et liberaliter data; quando alicui non dat visum, aut sanitatem, aut longam vitam, non aufert debita, sed non donat, quæ donare potuit: hæc non est injustitia, sed donationis suæ terminus...

Dico *tertiò*, quamvis non esset peccatum, et debitum esset, non idcirco injustitia esset, immo maxima justitia. Si enim pro bono publico homines vitæ, et bonorum jacturam patiuntur, et Principes pro conservatione communi subditos suos periculis certis vitæ exponunt, multosque labores, et calamitates subire faciunt, et id justè, multo potiori jure in hoc casu justa est cæcitas, quam passus est iste, non solùm pro communi bono, id est, pro fide in Christum conciliandâ, in qua salus hominum est, sed etiam pro Dei honore et gloria, ut Deus ipse glorificetur ab hominibus...

*Quartò* tandem respondeo, etiamsi nihil horum, quæ dicta sunt, intervenirent, adhuc injustitia non esset, nec injuria ulla: quia per hanc cæcitatem consecutus est

multo majus bonum, nempe visum mentis per fidem, et vitam animæ; si enim medicus vulnerat corpus propter sanitatem corporis, quid mirum si Deus id faciat propter animæ sanitatem? Collyrium enim ad tempus visum aufert, ut perfectiorem efficiat: Deus autem visum etiam ad tempus huic abstulit, non solùm, ut visum restitueret eumdem, sed cum magno fœnore; nam fidem mentis oculis hujus hominis infudit, et gratiam, quæ vita est animæ ».

G. V. D. P.

III

Q. *Demonstra in Verbo Incarnato esse unicam personam et duas naturas, divinam scilicet et humanam, inconfusas et integras.*

R. *Prænotandum.* Nomine *Incarnationis Verbi* intelligitur naturæ humanæ cum natura divina in una persona Verbi conjunctio. Quæ unio magis enucleate exponitur in Ecclesiæ definitione sequenti: « Sacrosancta Romana Ecclesia firmiter credit, profitetur et prædicat unam ex Trinitate personam, verum Deum, Dei Filium ex Patre genitum, Patri consubstantialem et coæternum, in plenitudine temporis, quam divini consilii inscrutabilis altitudo disposuit, propter salutem humani generis, veram hominis integramque naturam ex immaculato utero Mariæ Virginis assumpsisse et sibi in unitatem personæ copulasse tanta unitate, ut, quidquid ibi Dei est, non sit ab homine separatum, et quidquid est hominis, non sit a deitate divisum, sitque unus et idem indivisus, utraque natura in suis proprietatibus permanente, Deus et homo, Dei Filius et hominis filius, æqualis Patri secundum divinitatem, minor Patre secundum humanitatem, immortalis et æternus ex natura divinitatis, passibilis et temporalis ex conditione assumptæ humanitatis ». (*Conc. Flor. Decr. pro Jacobitis*, apud Denzinger, *Enchir.* n. 601.)

Præsentis autem responsi scopus non est ut stabiliatur ipsum *factum* Incarnationis, nempe secundam ex Trinitate personam assumpsisse veram hominis naturam, (1) sed, hoc præsupposito, intendimus breviter demonstrare duo præcipua quæ de ipso *modo* unionis personæ divinæ ad humanitatem tenenda sunt secundum *fidem* catholicam, nempe esse in Verbo Incarnato unicam personam, duasque naturas post unionem inconfusas integrasque remanentes.

I. *Est in Verbo Incarnato unica persona.* Hæc thesis ad hoc reducitur ut ostendatur humanitatem a Verbo Dei assumptam *non esse personam humanam:* hæc enim necessario foret distincta a persona Verbi, et quum Verbum sit persona divina et prorsus immutabilis, tunc essent duæ personæ in Verbo Incarnato.

Demonstratio conficitur:

A. Ex S. Scriptura.

1um Arg. « Et Verbum caro factum est ». Jo. I, 14, i. e. Et Verbum *homo* factum est. (2) Hoc sane non ita intelligi potest ac si Verbum conversum sit in hominem: id enim absurdum est, quum Deus sit prorsus immutabilis. Hoc posito, ut vis allati testimonii ad theseos demonstrationem pateat, utimur sequenti syllogismo: Si Verbum Dei est homo, impossibile est ut sint in Verbo Incarnato duæ personæ. Atqui Verbum Dei est homo. Ergo.

Ostenditur nexus inter conditionem et conditionatum: « Impossibile est ut duorum differentium personâ, aut hypostasi vel supposito unum de altero prædicetur: quum enim dicitur: Homo est animal, idipsum, quod animal est, homo est: et quum dicitur: Homo est albus, ipse homo albus esse signatur, licet albedo sit extra rationem humanitatis; et ideo nullomodo dici potest

(1) Ad hujus veritatis demonstrationem, cf. Jungmann, *De Verbo Incarnato,* a n. 8 ad n. 69.

(2) Ad hujus textus interpretationem, cf. *Collat. Brug.* T. IV, p. 270 et seq.

quod Socrates sit Plato vel aliquid aliud singularium ejusdem vel alterius speciei. Si igitur Verbum caro factum est, (et consequenter est homo, ut statim demonstrabitur) impossibile est ut Verbum Dei et Filius hominis sint duæ personæ, vel duæ hypostases, vel duo supposita. » S. Thom. c. Gent. IV, 34.

Ostenditur verificari conditionem. « Omne quod factum est aliquid (secluso casu conversionis unius in aliud) *est* illud quod factum est, sicut quod factum est homo, est homo et quod factum est album, est album. Sed Verbum Dei factum est homo (ut ex Evangelio constat). Igitur Verbum Dei *est* homo. » S. Thom. l. c.

2um Arg. desumitur ex variis S. Scripturæ locis in quibus de eodem Jesu Christo prædicantur tum ea quæ soli divinitati, tum ea quæ soli humanitati convenire possunt. Ita, ex gr. « Petistis virum homicidam donari vobis, auctorem vero vitæ interfecistis » Act. III, 14, 15. Ergo idem qui est auctor vitæ, nempe Verbum Dei, interfectus est: ut patet, in quantum est homo: oportet ergo ut Deus homo sit unica persona. Nam, ut argumentatur S. Thomas: « Non ea quæ sunt hominis de Filio Dei prædicarentur, nisi eadem esset persona Filii Dei et hominis: quia quæ personæ conveniunt, non ex hoc ipso de altera prædicantur: sicut quæ conveniunt Paulo, non ex hoc ipso prædicantur de Petro » (Comp. Theol. ad Fr. Regin, c. CCIII.). Cf. Jungmann, *De Verbo Incarnato*, n. 131.

B. Ex Traditione. 1/ Vi ejusdem principii, quod mox expositum est, desumitur argumentum ex Symbolo Apostolorum et Nicæno, quod de Verbo Dei dicit: « Qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine, passus, mortuus, resurrexit. » Nisi Verbum Incarnatum unica esset persona, non de eo prædicari posset Ipsum esse passum, mortuum, etc: hæc enim non nisi humanitati conveniunt; igitur si humanitas Christi ipsa constitueret personam quamdam, de hac sola persona, et non de Verbo Dei, illa dici possent.

2/ Patres eodem modo loquuntur ac Symbolum. Ita ex. gr. « Deus noster Jesus-Christus parturiebatur a Maria. » Ignat. *Ad Ephes.* 18. « Nonne vere crucifixus est Deus? Nonne vere mortuus? » Tertull. *De Carne Christi*, c. V.

3/ Sed diserte docent Patres Verbum Incarnatum esse unum, non duos; unum esse qui et Dei et hominis filius est. Hoc fidei dogma strenue defendit S. Irenæus impugnando illos qui Jesum Christum dividebant, in eo agnoscentes alterum visibilem, passibilem, alterum invisibilem, impassibilem. Quædam loca hîc referimus ex opere *contra Hæreses:* « Et quoniam Joannes unum et eumdem novit Verbum Dei, et hunc esse Unigenitum, et hunc incarnatum esse pro salute nostra, Jesum Christum dominum nostrum, sufficienter ex ipsius Joannis sermone demonstravimus. Sed et Matthæus unum et eumdem Jesum Christum cognoscens, eam, quæ est secundum hominem, generationem ejus ex Virgine exponens, sicut promisit Deus David ex fructu ventris ejus excitaturum se æternum regem, multo prius Abrahæ eamdem faciens promissionem, ait: *Liber generationis* Jesu Christi, filii David, filii Abraham... » L. III, c. 16, n. 1. Deinde varia loca S. Matthæi, et S. Marci exponit et interpretatur S. Irenæus: postea concludit: « Non ergo alterum Filium Hominis novit Evangelium, nisi hunc qui ex Maria, qui et passus est.... sed hunc qui natus est, Jesum Christum novit Dei Filium, et eumdem hunc passum resurrexisse, quemadmodum Joannes Domini discipulus confirmat, dicens: *Hæc autem scripta sunt, ut credatis quoniam Jesus est Christus Filius Dei, et ut credentes vitam æternam habeatis in nomine ejus.* » l. c. n. 5.

« Et Paulus autem his consentiens, Romanos alloquens, ait: *Multo magis hi qui abundantiam gratiæ et justitiæ accipiunt in vitam, regnabunt per unum Jesum Christum.* Nescit ergo eum qui evolavit Christum a Jesu; (1) neque eum novit salvatorem qui sursum est,

(1) His verbis exprimit S. Irenæus opinionem quorumdam hæreticorum quos impugnat.

quem impassibilem dicunt. Si enim alter quidem passus est, alter autem impassibilis mansit; et alter quidem natus est, alter vero in eum qui natus est, descendit, et rursus reliquit eum; non unus sed duo demonstrantur. Quoniam autem unum eum et qui natus est, et qui passus est, Christum Jesum novit Apostolus, in eadem epistola iterum dicit: *An ignoratis quoniam quotquot baptizati sumus in Christo Jesu in morte ejus baptizati sumus? ut quemadmodum resurrexit Christus a mortuis, sic et nos in novitate vitæ ambulemus.* Rursus autem significans Christum passum, et ipsum esse Filium Dei, qui pro nobis mortuus est et sanguine suo redemit nos in præfinito tempore, ait..... » l. c. n. 9. « Si enim homo non vicisset inimicum hominis, non juste victus esset inimicus. Rursus autem, nisi Deus donasset salutem, non firmiter haberemus eam. » l. c. c. 18, n. 7. Ergo Redemptor noster simul et homo fuit et Deus. Videsis alios textus SS. Patrum apud Jungmann, op. c. n. 132 et seq.

C. Ex ratione theologica. « Si duæ sunt in Christo personæ, divina una, altera humana, nulla potest cogitari Deo digna satisfactio. Illa enim persona divina, quæ pretium infiniti valoris offerre potuisset, nec dolori mortis fuisset obnoxia: illa autem persona humana, quæ pati potuit et mortem subiit pro nobis (qua passione et morte erat satisfaciendum) peccatis parem satisfactionem præstare nunquam potuisset » (Jungmann, op. c. n. 138). Si ergo duæ admitterentur personæ in Christo, jam rueret doctrina catholica de satisfactione Christi.

II. Sunt in Verbo Incarnato duæ naturæ, divina scilicet et humana, inconfusæ et integræ.

Demonstratur: A/ Ex S. Scr. *Christus est verus Deus.* Etenim Christus ille est de quo dicit S. Joannes: « Et Verbum caro factum est » I, 14. Illud Verbum est Deus. Ibid. 1.

*Christus est verus homo.* Etenim multis in locis S. Scr. dicitur *homo*, *filius hominis*, *filius David*, *similis nostri.* (cf. Jungmann, op. cit. n. 50 et seq.)

Atqui Christus non esset simul verus Deus et verus homo, si non haberet duas naturas divinam et humanam, inconfusas et integras. Nam Christus non potest esse verus Deus nisi per ipsam essentiam seu naturam completam divinam, nec verus homo nisi per ipsam essentiam seu naturam completam humanam. Oportet præterea ut post unionem hæ naturæ remaneant in Christo inconfusæ et completæ : nam si qualibet ratione inter se permixtæ essent aut fierent partes alicujus novæ rei, jam Christus nec verus Deus, nec verus esset homo, sed aliquid tertium naturâ suâ diversum tum a divinitate, tum ab humanitate.

B. Ex ratione theologica. Natura divina et humana in Christo debent esse *inconfusæ:* secus enim unio fieret ex permixtis et transmutatis, sicut ex elementis fit corpus mixtum. Sed hoc impossibile est quum natura divina sit prorsus immutabilis.

Natura divina et humana in Christo debent esse *integræ* h. e. debent esse completæ in ratione naturæ et non fieri partes (quamvis nec mixtæ, nec mutatæ sint) alicujus novæ naturæ, sicut materia prima et anima rationalis sunt partes naturæ humanæ. Nam repugnat omnino ut natura divina ingrediatur tamquam pars in compositionem cum alio elemento. Etenim quando habetur aliquod compositum ex duplici elemento, oportet ut unum se habeat tamquam potentia, h. e. tamquam capacitas recipiendæ perfectionis, alterum vero tamquam actus h. e. tamquam perfectio complens capacitatem alterius elementi : ita, in homine, materia prima est potentia respectu animæ rationalis, quæ est actus ; hoc etiam verificatur in compositis accidentalibus : ita intellectus est potentia respectu habitus scientiæ. Ergo si natura divina faceret aliquod compositum cum natura humana, deberet esse vel ut potentia, vel ut actus respectu naturæ humanæ. Sed utrumque prorsus repugnat. Etenim natura divina quum sit ipsum *Esse* subsistens, et consequenter actus purissimus et essentialiter infini-

tus in perfectione, nequit aliquam perfectionem *recipere* ab alio: ideoque nequit esse respectu alterius tamquam potentia. Deinde natura divina quum sit ipsum Esse *per se subsistens* nequit *recipi* in alio ut cum alio constituat unum esse, ideoque natura divina nequit se habere ad alterum tamquam actus receptus in illo et complens illud. Ergo nullo modo potest divina natura ingredi in compositionem cum natura humana. V. argumentum *Traditionis* apud Jungmann, op. c. n. 177.

J. V. D. M.

IV

Q. *An, quænam et quare, præter potestatem Ordinis, requiritur* potestas jurisdictionis *penes ministrum sacramenti Pœnitentiæ?*

R. *Potestas Ordinis* est potestas conficiendi et conferendi sacra ex officio; potestas autem *jurisdictionis* est potestas auctoritative regendi fideles qua subditos. Hæ duæ potestates, uti vel ex sola definitione liquet, confundi nequeunt et separatim possunt existere. Ita potest aliquis habere jurisdictionem episcopalem licet nondum sit sacerdos; contrà potest aliquis habere consecrationem episcopalem cum plenitudine potestatis Ordinis, qui nullam habeat jurisdictionem. Cfr. Pesch., *Tractatus dogmatici*, VII, n. 419.

Qua notione præmissa,

I/ *ad 1m quæsitum* respondemus *affirmative*, contendentes: a/ ad administrandum sacramentum Pœnitentiæ hanc duplicem concurrere debere potestatem distinctam Ordinis nempe et jurisdictionis; b/ adeo distingui unam potestatem ab altera ut in ordinatione non conferantur simul, ita ut sacerdos vi solius ordinationis non sit aptus ad valide absolvendum.

II/ Requiritur penes confessarium jurisdictio *fori interni*, sive *ordinaria* sive *delegata*.

Jurisdictio *fori interni*, est potestas regendi homines in quantum sunt subditi *immediate ipsi Deo*, in ordine scilicet ad inducendum vel auferendum vinculum quo ligentur vel solvantur coram Deo, lege æterna et conscientia. Contradistinguitur a jurisdictione *fori externi*, quæ est potestas regendi homines, quatenus subduntur *immediate societati*, *nempe Ecclesiæ*, et mediate tantum Deo, in ordine nimirum ad inducendum vel auferendum vinculum quo ligentur vel solvantur immediate coram Ecclesia ejusque Principe et lege (1).

Jurisdictio igitur *fori interni* est jurisdictio ipsius Dei, et quanquam mediante Pontifice accipitur, uti dicetur, sacerdos tamen ea instructus non constituitur *in suo foro* et *in judicio sacramentali* vicarius Pontificis, sed vicarius existit immediatus Dei, nulli alii obnoxius superiori (2).

E contrario jurisdictio *fori externi* est jurisdictio Ecclesiæ ejusque Pontificis, ab eoque in alios derivatur tanquam e proprio fonte, eaque instructi in ipso juris-

---

(1) Cfr. Van den Berghe (Tract. autogr. de jure publico, II, n. 12): « Jurisdictio *fori interni* appellatur quæ præcipue et directe refertur ad singularem uniuscujusque fidelis utilitatem spiritualem, nec nisi secundariè et indirecte utilitatem publicam respicit, utpote quæ ex privatorum bono et profectione promovetur et coalescit. Jurisdictio vero *fori externi* illa dicitur quæ directe utilitatem publicam et socialem curat, indirecte vero et secundariè privatorum utilitatem operatur ».

S. Thomas in *Suppl.* III P., qu. XIX, art. 3[to], in corpore, potestatem jurisdictionis fori interni vocat *clavem ordinis*, alteram vero vocat *clavem jurisdictionis in foro causarum*. « Clavis est duplex: una quæ se extendit ad ipsum cœlum immediate, removendo impedimenta introitus in cœlum per remissionem peccati ; et hæc vocatur clavis ordinis.....; alia clavis est quæ non directe se extendit ad ipsum cœlum, sed mediante militante Ecclesia, per quam aliquis ad cœlum vadit, dum per eam aliquis excluditur vel admittitur ad consortium Ecclesiæ militantis per excommunicationem et absolutionem; et hæc vocatur clavis jurisdictionis in foro causarum ».

(2) Dicitur: *in suo foro et in judicio sacramentali:* et ita confessarii plane dependent a Pontifice, præ cœteris in acquirenda vel amittenda jurisdictione fori interni, sed in *exercendo ipso judicio sacramentali* soli Deo sunt obnoxii, adeo ut satisfactionem v. gr., in confessione impositam, nemo in terris reformare valeat, nisi per novum judicium instauratum in eadem habitudine constituatur erga pœnitentem.

dictionis exercitio dependent ab ipso, ita ut jurisdictionis actus omnes a Pontifice reformari queant.

Porro descripta jurisdictio utriusque speciei vel est *ordinaria*, quæ nempe cuipiam competit jure proprio seu ratione officii aut dignitatis cui de jure divino vel communi ecclesiastio est adnexa, ita ut ipsa officii commissione vel adeptione conferatur vel acquiratur; vel est *delegata*, nimirum quam quis non habet jure proprio seu ratione sui officii aut dignitatis de jure divino vel communi ecclesiastico illam adnexam habentis, sed solum ex speciali commissione alterius cujus vices fungitur. cfr. Van den Berghe, l. c., n. 21.

III/ *Probatur* penes ministrum Pœnitentiæ, præter potestatem ordinis requiri 1°/ potestatem jurisdictionis, 2°/ fori interni et 3°/ extra ordinationem distincto actu conferendam.

1°/ *Ratio 1ª* est in hoc quod in sacramento Pœnitentiæ, secus ac in aliis sacramentis, minister non modò confert aliquid sacrum, sed et partes agit superioris erga pœnitentem qua subditum. Uti namque vidimus supra, p. 455-456, sacerdos non potest vero sensu remittere offensam peccati, nisi relate ad offensorem in eadem habitudine constituatur ac ipse Deus offensus, adeoque tanquam superior sistatur relate ad peccatorem qua talem, vera eaque jurisdictionali auctoritate gaudens in eum in ordine ad remittendam vel retinendam offensam factam.

2°/ Quod requiratur jurisdictio *fori interni*, logice sequitur ex eo quod vinculum, a confessario solvendum aut retinendum, est vinculum peccati, quo ligantur pœnitentes *immediate coram Deo*.

3°/ Jurisdictio sacramentalis, cum sit fori interni, optime posset in ordinatione simul cum potestate ordinis *ab ipso Deo* conferri, absque intermedio auctoritatis ecclesiasticæ; de facto tamen dictam jurisdictionem aliter communicari docemur a Traditione et signanter a Conc. Tridentino. Sessione enim XIV, cap. 7° legimus:

« quoniam igitur natura et ratio judicii illud exposcit ut sententia in subditos dumtaxat feratur, persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, et verissimum esse Synodus hæc confirmat, *nullius momenti* absolutionem eam esse debere, quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet jurisdictionem ». Dein agit de reservatione.

Jamvero si jurisdictio cum ipso sacerdotio a Deo acciperetur, *quivis sacerdos* validè absolveret, nec penes Ecclesiam esset absolutionem a quolibet sacerdote impertitam *irritare* et per reservationis legem limitare, sed ad summum illicitam declarare. Cæteroquin conformis est hæc disciplina, juxta quam per Ecclesiam descendit jurisdictio in sacerdotes, plenitudini potestatis collatæ Rom. Pontifici in persona Petri, cui absolute et absque ulla restrictione concreditæ sunt claves regni cœlorum, adeo ut nemo possit claudere vel aperire nisi facultate ab ipso facta. Item, si omnes sacerdotes in ordinatione acciperent jurisdictionem eamque æqualem, « deesset in Ecclesia hierarchica subordinatio qualem Christus Dominus instituit ». Lahousse, *De Pœnitentia*, n. 146.

Quod spectat jurisdictionem qua pollent sacerdotes omnes in articulo mortis, eam non habent a consecratione sed ex commissione Ecclesiæ, quæ nulli sacerdoti jurisdictionem denegat in moribundos.

Ad verba autem quod attinet quæ in consecratione sacerdotis pronuntiantur ab Episcopo: « accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata, remittuntur eis... », intelligenda sunt ac si diceretur « quorum *subditorum* remiseris peccata... »; confertur nempe vel collata declaratur potestas remittendi peccata, supposita accessione jurisdictionis fori interni (1), seu confertur potestas remittendi peccata *in actu* 1°, per acceptam jurisdictionem in actu 2° complenda.

---

(1) Cfr. S. Thom., l. c., qu. XX., art. 1°, ad 1m.

*Nota* tamen, juxta dicta sub II), Pontificem, ubi concedit jurisdictionem fori interni, non esse nisi medium per quod jurisdictio in sacerdotem dimanat, cum sit jurisdictio ipsius Dei immediate; eaque instructum confessarium in suo foro et in suo munere soli Deo, minime vero Pontifici, esse obnoxium. Ex quo intelligitur cur non implicet confessarium Papæ in ipsum pollere vera jurisdictione fori interni ipsumque Pontificem absolvere posse (1).

A. D. S.

V

Q. *Attentis variis juris communis simul et diœcesani dispositionibus,* ubinam *et* quosnam *pœnitentes* sæculares, *non habentes peccata reservata et extra periculum mortis versantes,* valide *absolvit confessarius non regularis in diœcesi Brugensi admissus?*

R. I/ Qui jurisdictione gaudent *ordinaria*, quales sunt in diœcesi, præter Episcopum, Vicarii generales, canonicus Pœnitentiarius, parochi, valide absolvunt diœcesanos et respective parochianos, *ubicumque* versantur etiam in aliena diœcesi, absque ulla prævia approbatione Ordinarii. « Diœcesanus autem et Parochianus quis constituitur per domicilium aut quasi domicilium in diœcesi vel parochia... Vagi ex interpretatione juris sortiuntur parochum loci in quo actu commorantur ». Lahousse, *De Pœnitentia*, n. 148.

II/ Sacerdotes sæculares qui *delegatam* habent jurisdictionem, quales sunt vicepastores, coadjutores et alii passim confessarii, imo et ipsi parochi relate ad non-parochianos, hanc jurisdictionem valide exercere nequeunt, saltem in sæculares (2), absque prævia *approbatione Episcopi loci in quo confessiones excipiuntur* (3).

---

(1) Cfr. S. Thom., l. c., qu. XX, art 3io, ad 3m.

(2) Probabilius sacerdotes sæculares indigent approbatione etiam ad absolvendos *regulares,* sed hos relinquimus extra quæstionem.

(3) Cfr. Conc. Trident., Sess. XXIII, Cap. 15, *De Reformatione:* « Decer-

Porro approbatio est authenticum testimonium de idoneitate sacerdotis ad excipiendas confessiones, nec adeo confundenda est cum jurisdictione a qua separatim potest existere. « Attamen juxta hodiernam disciplinam.. Episcopi pro suis diœcesanis sacerdotem approbantes simul eidem conferunt jurisdictionem, nisi contrarium expresse declarent ». Lahousse, l. c., n. 149.

Approbatio autem adeoque et jurisdictionis delegatæ validum exercitium limitari potest ab Episcopo quoad *tempus,* quoad *locum*, et quoad *personas*. (1)

Jamvero *in nostra diœcesi Brugensi* :

A/ *quoad tempus,* diversimodè limites apponuntur approbationi concessæ et generatim cessat approbatio et jurisdictio cum munere cui hæc est adnexa. (2)

---

nit sancta synodus, nullum etiam regularem, posse confessiones sæcularium etiam sacerdotum audire; nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus judicetur; et *approbattonem*, quæ gratis detur, obtineat: privilegiis et consuetudine quacumque, etiam immemoriali, non obstantibus ».

. Innocentius autem XII, in Constitutione « *Cum sicut non* » (Magnum Bullarium, tom. XII). decernit « ut confessarii tam sæculares quam regulares, quicumque illi sint, .. nullatenus confessiones hujusmodi audire valeant sine approbatione Ordinarii et Episcopi diœcesani *loci in quo ipsi pœnitentes degunt* », statuens « confessiones aliter... faciendas et excipiendas respective, præterquam in casu necessitatis in mortis articulo, *nullas fore, irritas et invalidas* ».

(1) Cfr. Constit. Clementis X, « *Superna* » (Magnum Bullarium, tom. VI).

(2) En quæ existunt diœcesanæ ordinationes circa hanc materiam, depromptæ ex *Libro manuali*, p. 141: I/ « Ad tollendum omne dubium circa expirationem jurisdictionis RR. DD. Pastorum et Vicepastorum, qui ad alium locum quovis titulo transferuntur vel qui officio suo renuntiant, sequentia decernimus: 1° Parochus ad alium locum nominatus vel officio renuntians, ex delegatione nostra jurisdictionem pastoralem in parochia unde transfertur conservabit, donec a successore fuerit monitus quod hic administrationem parochiæ in se suscepit. Nihil tamen obstat quominus successor prædecessorem suum, aut ejus defectu vicarium committat ad pastoralia quælibet exercenda usque ad diem introductionis solemnis; prorogata a Nobis in casu et ad eumdem terminum jurisdictione in foro pœnitentiæ.

2°/ Jurisdictio vero vicepastorum cessabit die qua, juxta translationis suæ litteras, in nova strtione adesse debent. Si tamen ad curam pastora-

B/ *quoad locum et personas:*

1°/ *Decani* approbationem obtinent *illimitatam* quoad *locum* et *personas* (sæculares), ita ut valide absolvant *per universam diœcesim, omnes utriusque sexus pœnitentes* sæculares, undecumque advenientes etiam ex alia diœcesi.

Jurisdictionem nempe in diœcesanos non pariochianos accipiunt cum ipsa approbatione; in extraneos vero in diœcesi peregrinantes ipsis obtingit jurisdictio, juxta alios a R. Pontifice, juxta alios ab Episcopo loci in quo confessiones excipiuntur, vel tandem juxta alios ab Episcopo proprio pœnitentium, quatenus consentiendo in hoc quod subditi aliò peregrinantes ibidem confiteantur, confessario electo jurisdictionem concedere intelligitur. Cfr. Lahousse, l. c., n. 156, sub 5°.

*Extra diœcesim* Brugensem invalide absolverent pœnitentes etiam Brugenses non pariochanos, nisi ab Episcopo alterius diœceseos ad hoc fuerint admissi et approbati. Hujusmodi dispositio memoratur in *Libro Manuali*, p. 142, ubi in memoriam Cleri revocantur « facultates ex mutua conventione, ab Antistitibus, ad quos spectat, concessæ ad tollendum omne dubium circa exercitium jurisdictionis in paræciis conterminis diœcesis Brugensis, et Archidiœcesis Cameracensis, necnon diœcesium Gandavensis, Tornacensis et Bredanæ.

2°/ *Parochi, viceparochi, coadjutores* aliique confessarii, qui ipsis quoad jurisdictionem æquiparantur, approbantur modo *illimitato* quoad *personas sæculares*, modo autem *limitato* quoad *locum*.

---

lem fuerint promoti vel officium dimiserint, jurisdictionem conservabunt usque ad adventum sui successoris ».

II/ « Moriente parocho vel viceparocho, cui auxilio erant, coadjutor parochi, in casu, jurisdictionem pro foro interno, ab Episcopo acceptam, servabit usque ad diem installationis novi parochi inclusive; coadjutor vero viceparochi, usquedum hujus successor advenerit.

Excipitur si coadjutor sive parochi sive viceparochi prius ad aliud officium a Nobis deputetur: quo casu cessabit ejus jurisdictio, ut supra (I, 2°) pro viceparochis notatum est, die qua, juxta nominationis litteras, in nova statione adesse debet ».

Nimirum approbantur pro omnibus pœnitentibus sæcularibus utriusque sexus, at restringitur approbatio ad decanatum in quo ministerium exercent et ad communitates (communes civiles) alterius decanatus, si quæ sint, suæ (communitati) conterminas.

Valide igitur absolvunt quascumque personas sæculares in dicto territorio degentes, quomodocumque ad alium locum vel et ad aliam diœcesim pertinentes; extra autem hosce limites delineatos omni carent facultate absolvendi (præterquam parochi in parochianos), adeo ut irrita sit absolutio impertita pœnitenti extra definitum territorium jurisdictionis versanti, sive in diœcesi Brugensi sive extra diœcesim, salva tamen dispositione de qua sub 1° ad finem.

3ᵒ/ Approbatio concessa *superioribus* communitatum, *eleemosynariis* carcerum, *rectoribus* hospitalium, *professoribus* collegiorum, qui munere funguntur confessarii, limitatur, nisi expresse in litteris jurisdictionis amplior conferatur, tum quoad *personas* ad ipsorum communitatem pertinentes, tum quoad *locum* seu domum quam deserviunt, ita ut non modò facultate careant in extraneos pœnitentes, sed et in ipsas personas designatas extra ambitum collegii vel instituti quod inhabitant.

*Nota* a/ Omnes confessarii pro aliqua parte diœcesis approbati, non exclusis approbatis professoribus collegii, valide excipiunt *per universam diœcesim* confessiones sacerdotis vel et personæ laicæ graviter decumbentis et alteri confiteri renuentis. Cfr. *Liber Manualis*, p. 142.

b/ Quod spectat *navigantes in mari*, sacerdos ab Ordinario locorum unde naves solvunt approbatus, valet « itinere perdurante fidelium secum navigantium confessiones valide et licite excipere usque dum perveniant ad locum, ubi alius superior ecclesiasticus jurisdictione pollens constitutus sit », juxta decretum C. S. O. 17 Martii 1869 (Collectanea de P. F., n. 933).

Iter autem censetur perdurare donec navis ad optatum terminum pervenerit, nec obstat quod identidem

momentanee ad littus appulerit. Cfr. Lehmk., II, n. 386; *Nouv. Rev. théol.*, XIX, p. 550 et seq.; De Brabandere, *Jus Canon.* (ed. 6ª), I, n. 534.

A. D. S.

VI

*Q. Quænam in Const. « Officiorum ac munerum » edicuntur de scriptis obscenis vel bonis moribus adversis? Paucis explica.*

R. In Const. « Officiorum ac munerum » quædam edicuntur de *libris* ex professo *obscenis*, alia de *diariis aliisque scriptis periodicis* quæ bonos mores data opera impetunt.

I. Omnino prohibentur « *libri qui res lascivas seu obscenas ex professo tractant, narrant, aut docent* » (art. 9).

Hujusmodi sunt quæcumque opera, etiamsi libri stricte tales non sint (1), quorum auctores enucleate, et in notabili libri parte, directe, saltem implicite, morum honestatem lacessunt, sive res turpes tractando seu de eis ex instituto disserendo, sive nefanda quælibet hominum facta, vera vel ficta, describendo, sive modum explicando quo turpia patrentur; etiam si lascivitas non sit præcipuum totius operis argumentum. Hac lege vetantur omnia opera *pornographica*, ut aiunt; necnon plures, etsi non omnes, libri *Romanenses* qui nostra ætate in vulgus disseminantur.

Excipiendi autem libri sunt qui scientiæ causa res obscenas tractant, quales sunt libri in quibus disciplina moralis vel medica traditur; modo ne, sub scientiæ prætextu, corruptionem morum intendere videantur.

Absoluta librorum obscenorum prohibitione etiam non comprehenduntur « libri auctorum sive *antiquorum*, sive *recentiorum*, quos *classicos* vocant, si hac ipsa turpitu-

(1) Cf. *Commentarium* nostrum, n. 13, R. ad 1um.

dinis labe infecti sunt ». Hi enim, « propter sermonis elegantiam et proprietatem, iis tantum permittuntur, quos *officii* aut *magisterii* ratio excusat : nulla tamen ratione *pueris* vel *adolescentibus*, nisi solerti cura *expurgati, tradendi* aut *prælegendi* erunt » (art. 10).

Libri igitur *classici*, qui nempe in singulis linguis, sive antiquis, sive modernis, a litterarum magistris vel scriptoribus tanquam exempla proponuntur, etsi lasciviæ labe infecti fuerint, usu privato adhiberi poterunt, prout jacent, a viris qui eisdem indigent ob *officium* quod gerunt, puta scriptoris vel critici, aut *magisterium* quod exercent, puta professoris litteras docentis. Hi tamen prorsus vetantur prædictos libros pueris vel adolescentibus *tradere* aut *prælegere*, nisi solerti cura expurgatos. (1)

Cæterum nulla hic datur licentia legendi libros classicos qui non propter lasciviam, sed propter errores religioni adversantes, sub Decreta Generalia cadunt, vel nominatim in Indicem relati sunt.

Si excipiantur libri classici quorum usus juxta exposita certis personis sub certis conditionibus permittitur, cæteri libri ex professo obsceni prorsus proscribuntur, ita ut nemini fas sit eosdem edere, legere aut retinere. Cum prohibitione autem hujusmodi opera retinendi connectitur prohibitio eadem *vendendi* aut *commodandi*. Hanc pro bibliopolis specialiter expressit legislator : quæ a fortiori cæteris fidelibus servanda est, quippe qui neque artificii excusationem objicere valent. Nempe

---

(1) Quid, si in schola publica, auctoritate gubernii designentur *editiones* haud expurgatas quas professores compellantur discipulis tradere?

Cui quæstioni respondet Pennachi excusandos esse professores si libros hujusmodi adolescentibus *tradant ;* aliter enim facere nequeunt, atque possent ob inobedientiam magisterio expelli, quod esset damnum gravissimum. Hoc insuper in casu non ipsi professores, sed gubernium dicendum est hos pessimos auctores adolescentibus tradere. Verum, gravissime peccarent professores si, supposita per gubernium præscriptione prohibitæ editionis, ipsi turpia illa pueris *prælegerent* quæ in auctoribus continentur ; etenim ad id agendum nullo imperio et nulla necessitate obstringuntur. Cf. *Acta S. Sedis,* T. XXX, p. 205.

statuit articulo 46 ut « *quicumque* librorum venditores, præcipue qui catholico nomine gloriantur, libros de obscenis ex professo tractantes neque vendant, neque commodent, neque retineant ». Hæc prohibitio absoluta est; et omnis hac in re cooperatio nulla ratione cohonestari potest. Libri enim obsceni nullam utilitatem afferunt, damna e contra plurima eaque certa et evidentia; hujusmodi libros vendere, etiam alieno nomine, vel in commodum dare, est aliorum spirituali ruinæ concurrere, naturale, divinum, et cætera jura violare; gravissimum idcirco peccatum.

Observant tamen passim auctores hac lege non comprehendi libros *classicos* de quibus in articulo 10 agitur. Cum enim hi libri determinatis personis permittantur, profecto eosdem his personis *vendere* licebit; non vero aliis.

II. « *Diaria, folia, et libelli periodici, qui... bonos mores data opera impetunt, non solum naturali, sed etiam ecclesiastico jure proscripti habeantur* » (art. 21, § 1).

Hac proscriptione stringuntur tum ephemerides, tum aliæ publicationes periodicæ, sive parvæ, sive etiam, juxta plures, majoris molis, quæ ex instituto (non obiter et per accidens), et quidem, ut videtur, crebro seu plus minus habitualiter (non semel aut iterum (1) absque ulla consuetudine), talia narrant, docent, aut commendant quæ christianæ honestatis legibus, præsertim quod castitatem spectat, aperte adversantur; ita ut per se proximum peccandi periculum legentibus afferant.

*Nota*. Quum prohibitio ipsam publicationem qua periodicam attingat, inde etiam isti numeri qui nihil perniciosum continent, si occurrant, prohibiti censendi sunt.

Ulterius excitatur zelus Ordinariorum ut « *curent*,

(1) Si tamen ageretur de publicatione periodica majoris molis, cujus singuli fasciculi ad justam libri quantitatem assurgunt, dicendum esset etiam particulares numeros, si ex professo obsceni fuerint, prohibitos esse vi articuli 9.

*ubi opus sit, de hujusmodi lectionis periculo et damno fideles opportune monere* » (art. 21, § 2); et stricta edicitur prohibitio ut « *nemo* e-catholicis, præsertim e viris ecclesiasticis, *in hujusmodi diariis, vel foliis, vel libellis periodicis, quidquam* », ne quidem nuntios de rebus locandis, vendendis, etc., « *nisi suadente justa et rationabili causa, publicet* » (art. 22).

De *venditione* et *expositione* pravorum diariorum, consule Ill. Waffelaert, *Étude de théologie morale sur la coopération*, p. 32, et nostrum *Commentarium*, p. 94.

C. V. C.

# Evangelia Dominicarum

## Dom. IV Adventùs

*Joannes Baptista pœnitentiam prædicat, atque baptizat.*
Luc. III, 1-6. Cf. Matth. III, 1-3; Marc. I, 3, 4.

***

1 In het vijftiende jaar der regering van keizer Tiberius, als Pontius Pilatus stadhouder was over Judea, en Herodes viervorst over Galilea, en zijn broeder Philippus viervorst over Iturea en de landstreke van Trachonitis, en Lysanias viervorst over Abilene, 2 onder de hoogepriesters Annas en Caïphas, geschiedde 's Heeren woord tot Joannes, den zoon van Zacharias, in de woestyne. 3 En hij kwam in de gansche omstreek van den Jordaan, eenen boetdoop prekende tot vergeving der zonden; 4 gelijk er geschreven staat in den boek der *God*-spraken van Isaïas, den Profeet: De stem eens roependen in de woestijne: Bereidt den weg des Heeren! maakt zijne paden recht! 5 Alle dal zal gevuld worden, en alle berg en heuvel zal vernederd worden;

en de kromme *wegen* zullen recht worden, en de oneffene, effene wegen; 6 en alle vleesch zal het heil Gods aanschouwen.

*
* *

## Notationes

2 *In deserto*. Nam, testante Luca I, 80: *Puer crescebat, et confortabatur spiritu: et erat in desertis usque in diem ostensionis suæ ad Israel*. « Jam augmentum aliquod corporis consecutus, et spiritu confortatus, relictis paternis ædibus, ab omni hominum frequentia se subducens, secessit in desertum, ut ne minimum labis contraheret ex vulgi commercio, qui fuerat in utero sanctificatus, et ut neminem reveritus, libere quemvis reprehenderet. Deinde ut multis annis soli contemplationi, et colloquio cum Deo vacans, rigidamque vitam degens, idoneus fieret, et testis advenientis Messiæ, et prædicator pœnitentiæ. Itaque in deserto ad multos annos latitabat et silebat, ut suo tempore majore cum auctoritate et fructu prodiret et loqueretur. Nec priùs ad prædicandum accessit quàm jam venisset tempus, quo visum fuit Deo ostendere illum populo Israelitico... Docemur autem Joannis exemplo, eum, qui prædicatoris munus obiturus est, primùm longa contemplatione discere, vitæque exercitatione præstare debere quod docturus sit, et ab aliis exacturus. Deinde non se ad munus, cùm ipsi videbitur, ingerere, sed tum primùm ad id accedere, cum id intellexerit Deo visum, illiusque jussionem, et impulsum expectare debere. Deinde et quàm alienissimum esse debere a moribus vulgi, qui illius mores perversos sit reprehensurus.

*Factum est verbum Domini,* hoc est jussio, ac inspiratio Domini, *super Joannem*, hoc est, ad Joannem: quo significat quod non ex seipso accesserit ad prædicandum, et baptizandum, sed ex divino mandato... Porrò quod Joannes tam mirabiliter natus est, tam sancte vixerit, a prophetis promissus sit, nec nisi a Deo jussus

ad prædicandum accesserit: hæc, inquam, omnia faciunt ad commendandam nobis Christi, quem prædicavit, et Evangelii ejus majestatem. Ut autem *in deserto* lateret Joannes ad prædicationis tempus, præter causas superius dictas, etiam ideo conveniebat, ne suspicio esset hominibus, Joannem gratia affinitatis cum Christo, aut consuetudinis a teneris annis, talia de Christo testatum fuisse; propter quod et postea testificans dicit (Jo. I, 31): *Et ego nesciebam eum.*

*In deserto* autem, non in templo Joannes prædicabat. Primùm quidem, ut exordium novæ legis corresponderet lationi veteris legis, quæ in deserto data est. Deinde quo significaretur, necesse esse ut civitatum corruptissimos mores deserat, ac carnalium veteris legis cæremoniarum, quarum in Hierusalem maxime erat observatio, fiduciam deponat, quisquis se ad pœnitentiam, ad baptismum, et Evangelii gratiam, quæ Joannes prædicabat, parare vellet. Postremùm per hoc insinuatum est, Evangelicam gratiam maxime prædicandam in solitudine gentium, jamque implendum quod per Isaiam Dominus cap. 41 promisit dicens: *Ponam desertum in stagna aquarum, et terram inviam in rivos aquarum* etc.

3 *In omnem regionem Jordanis.* Jordanis fluvium conveniens erat deligi exordiendo baptismo, tum ut ex fluvii celebritate, quo nullus alius erat apud Judæos major et celebrior, novo baptizandi ritui gloria quædam accederet: tum quòd in eo flumine jam præcesserant aliquot miracula ad baptismum pertinentia. Jordanem enim olim siccis pedibus transiens Israeliticus populus intravit in promissam terram. Et Helias transito Jordane simili miraculo assumptus est igneo curru in cœlum. Sic et per baptismum introitus est in regnum cœlorum, ac regionem vere viventium sanctis promissam. Deinde et Naaman Syrus jussu Elisæi in eo flumine septies lotus a lepra mundatus fuit, ut scribitur 4 Reg. 5, ac ex idololatra factus Dei cultor. Quo significatum fuit gentiles baptismo septiformis spiritus a noxia lepra, carnis

scilicet corruptione, mundatos, adscribendos vero Dei populo » Jans. Gand.

*Prædicans baptismum pœnitentiæ it remissionem peccatorum*, h. e. « prædicatione sua pœnitentiæ necessitatem demonstrans, et Judæos adhortans ad suscipiendum baptismum, à se ministratum, in testimonium et professionem pœnitentiæ : qua quidem vel proxime in remissionem peccatorum ducerentur, si nempe caritate perfecta esset ; vel saltem præpararentur ad rite suscipiendum Christi baptismum, per quem peccata dimittuntur » Liagre.

« Quamvis autem baptismus Joannis non contulerit remissionem peccatorum, multis tamen de causis convenienter fuit institutus, et utilis fuit. Primùm quidem, ut Joannes suo baptismo homines ad pœnitentiam invitaret, sicque præpararet ad suscipiendum Evangelicam gratiam. Unde ipse dicit apud Matthæum : *Ego baptizo vos aqua in pœnitentiam*. Secundò, ut occasione baptismatis ipsius manifestaretur Christus, et cognosceretur quis esset qui baptizaret in spiritu. Quam causam ipse Joannes reddit dicens : *ut manifestetur in Israël, propterea veni ego in aqua baptizans*. Et rursum : *Qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris spiritum descendentem, et manentem super eum : hic est qui baptizat in spiritu sancto*. Tertiò, ut suo baptismo Joannes assuefaceret homines ad baptisma Christi. Quartò, quia oportebat ut Christus a Joanne baptizatus, baptismum consecraret, ut dicit Augustinus super Joannem.

Hic autem annotandum, Evangelicam prædicationem exordium sumpsisse a prædicatione pœnitentiæ (Matth. III, 2), quæ ab omnibus indiscriminatim exigebatur, quo ostensum est omnes eguisse pœnitentiæ remedio, et proinde etiam gratia Dei. Deinde declaratum quantum sit inter veterem et novam legem discriminis : illam enim suscepturi olim Israëlitæ præcipiebantur sanctificare se lavando vestimenta sua, et segregando se ab uxoribus suis. Evangelii vero lucem, et gratiam sus-

cepturi, jubentur animas suas pænitentiæ nitro purgare. Et illic quidem omnia minis plena sunt, omniaque terribilia. *Omnis enim*, (inquit Exod. 19) *qui tetigerit montem, morte moriatur*. Et totus mons fumabat, ob præsentiam Domini, sonitusque buccinæ paulatim crescebat in majus. Hic vero promissione rei optatissimæ, idque non terrenæ alicujus, sed cœlestis (*regni cœlorum*), ad pœnitentiam, vitæque sinceritatem alliciuntur » Jans. Gand.

4 *Vox clamantis in deserto* « Significatur Johannem, ea quæ a Deo jussus erat, omnia, publica, clara, libera, sedula, fervidaque vociferatione quibusvis inculcasse; minime obscuram fuisse doctrinam ejus vel ambagibus implicitam; nec susurratam inter paucos homines. Hic enim spiritu et virtute Eliæ præditus, fortissime impietatem insectatus est, et liberrime constantissimeque Christi præconem egit, cujus certe intererat, non occulte, non remisse, aut dubitanter, sed palam, disertè, et adseveranter, de Christo ita testari, ut nemo esset qui se excusare posset.

*Parate viam Domini*. Hoc est illud quod clamatur. *Parate*, ἑτοιμάσατε, promtam, paratam atque expeditam facite viam qua ad vos venturus est Dominus. Metaphorica loquutio est sumta a similitudine civium, qui si Regem quem exspectant suum, honorifice excipere, et testari gratum esse ipsius adventum volunt, viam, qua venturus est, a sordibus, incommodis, atque impedimentis omnibus liberam reddunt, et pulchram ac amœnam constituunt. Hoc itaque sibi vult clamor iste, in via esse Christum Dominum, curandum unicuique ut ita se paret, ut honeste ipsum excipiat, quomodo illo dignum et sibi utile est, animo scilicet peccata ejiciat quemadmodum solent e via sordes, novæ vitæ studeat, qua non secus ornetur ac via aulæis aut ramorum viriditate: sic enim istud Johannes explicuit dicens (Matth. III, 3): *Pœnitentiam agite:* nam constat pœnitentia, malorum operum detestatione ac fuga, et bonorum exercitatione ac studio...

*Rectas facite semitas ejus.* Viarum obliquitates, inæqualitates, asperitates, inamœnitates, et quidquid remorari aut offendere possit advenientem, tollite: iterque rectum, planum, æquabile, amœnum, pulchrum, et quale ipsum decet, reddite: id enim fieri consuevit in adventum exspectati Regis. Porro simplicitas integritasque virtutis absque hypocrisi, rectitudo semitarum est. Dicit ergo: Ex toto corde absque fictione, convertimini ad Deum, et pœnitentiam agite.

4 *Omnis vallis.* Explicans vox clamantis quî paranda et recta reddenda sit via adventanti Christo Domino, perseverat in similitudine, accepta ab ea consuetudine, qua Regi urbem aliquam suam primùm ingressuro paratur a civibus via: quod quidem fit vallibus collibusque reliquo solo æquatis, et via recta ac facile reddita. *Implebitur*, impleatur, sc. terrā, ita ut fiat reliquæ viæ æqualis. Nam vallibus repletis et collibus montibusque recisis via ad æquabilitatem reducitur. Sensus est: Peccatorum pondere depressi ac pusillanimes omnes accipiant animum, erecti fiducia relevationis accipiendæ.

*Et omnis mons et collis humiliabitur*, humilietur, deprimatur, ita ut non excedat reliquam viam altitudine. Superbi ac tumidi, sapientiæ, justitiæ, aut potentiæ opinione, ponant animos, demittant cervicem, nec se præferant cæteris, agnoscentes variis se peccatis obnoxios, ad quæ auferenda opus habeant non minus quam cæteri Redemtore.

*Et erunt*, id est, sint seu fiant, *prava*, distorta, *τα σκολια*, obliqua, curva, sc. viarum, *in directa*, εις ευθειαν, in rectam, sc. viam, id est, fiant via recta. Vivendi mores pravi mutentur in bonos et rectæ rationi legique Dei consentaneos.

*Et aspera*, *και αι τραχειαι*, et asperæ, sc. viæ, id est, senticosæ aut petricosæ, *in vias planas*, fiant viæ planæ, leves, faciles. Iracundi cæterique incommodis hactenus præditi moribus, fiant tractabiles, faciles, æqui, mansueti.

Quemadmodum viæ propter res quatuor incommodæ sunt, propter, vel descensus, vel adscensus, vel obliquitates, vel asperitates: ita similem omnem vitiorum deformitatem auferendam, et contrarium virtutis studium amplectendum monet, quò, et expeditus sit Domini adventus, et gratus acceptusque declaretur. Hoc autem totum comprehenditur illis verbis prædicantis Johannis: *Pœnitentiam agite.*

6 *Et* pro enim. Nam his verbis continetur ratio, quare præparandæ sint his modis viæ. *Videbit* mox *omnis caro,* omnis homo, ipsis suis oculis carneis, *salutare*, το σωτηριον, salutem *Dei*, Christum a Deo missum salutis auctorem, salvatorem mundi; quem scilicet quicumque cum fructu salutis videre volet, et digne excipere, ut debet, necessum est ut ejus viæ moresque sint hac ratione præparati. Hoc est illud quod Johannes prædicat altera suæ concionis parte: *Appropinquavit enim regnum cœlorum,* sive Christus Rex auctorque regni cælorum. » Luc. Brug.

## Conclusio

Vehementer igitur anhelemus imminens festum Nativitatis Domini, seu adventûs Salvatoris nostri, dicamusque cum Ecclesia *(in introitu Missæ): Rorate, cœli, desuper...* Verum, nisi velimus perire omnes, pœnitentiam agamus, dignumque pœnitentiæ fructum faciamus; paremus viam Domini, rectas faciamus semitas ejus. Omnis vallis impleatur etc. Cf. etiam Matth. III, 6-12; Luc. III, 7-14.

G. V. D. P.

# Ordo Missæ

SEU

## precum et ceremoniarum Missæ interpretatio

—

*(Sequitur. — Cfr. suprà pag. 536.)*

—

Explicata jam præfatione communi, pauca addamus de singulis præfationibus propriis.

35. I° Præfatio de NATIVITATE DOMINI.

*Quia per incarnati Verbi mysterium, nova mentis nostræ oculis lux tuæ claritatis infulsit* i. e. quia per incarnationem Filii tui unigeniti, tibi consubstantialis, nova ratione te nobis manifestasti : nam cum « Verbum caro factum est, vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre » (Jo. I). Tunc impleta est prophetia Isaïæ (cap. IX) : « Populus gentium, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam ; habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis » ; lux np. æternæ veritatis, ipse Christus « in quo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter » (*Col.* II) ; qui est « lux mundi » (Jo. VIII, 12) et dissipavit tenebras erroris in quibus, ante ipsius adventum, jacebat mundus.

*Ut dum visibiliter Deum cognoscimus, per hunc in invisibilium amorem rapiamur.* Proprium est animo humano ut per visibilia ac sensibilia ad invisibilium ac intelligibilium notionem et amorem evehatur. « Cum igitur visibiliter apparuit Deus mundo, in terris quidem visus et cum hominibus conversatus, per ipsum, splendore miraculorum, doctrina cœlesti et multiplici testimonio suam deitatem probantem, convenienti medio et quasi vehiculo quodam provehimur, ut in amorem invisibilium et supernorum bonorum incitemur et accendamur. Eò enim omnis ipsius tendebat actio et sermo, ut relicto

hujus mundi desiderio, ad æterna et cœlestia bona avidissime aspiraremus » (1). — Concinnè S. Bonav.: « Homo per peccatum interius lumen obfuscatum habebat et conversus fuerat ad sensibilia et illa amabat; ideo Deus invisibilis factus est *visibilis* secundum carnem, ut per visibilia reduceret ad invisibilia cognoscenda et amanda » (2).

36. II° Præfatio EPIPHANIÆ.

*Quia cum Unigenitus tuus in substantia nostræ mortalitatis apparuit, nova nos immortalitatis suæ luce reparavit;* scilicet, quia Filius tuus assumpsit nostram naturam mortalem atque in ea nobis apparuit, et sic nos restituit in pristinam conditionem, qua homo gratia sanctificante exornatus divinæ naturæ immortalis erat consors. « Filius Dei benignitate sua de nostro accepit ut de suo nobis conferret. Accepit enim vere nostræ mortalitatis substantiam et in illa hodierna die Magis, stella duce, quasi primitiis electionis gentium apparuit ac demonstratus est. Suæ vero immortalitatis participationem et consortium nobis tradidit, cum nos per novam divinitatis suæ lucem, nube lucida carnis adumbratam, in pristinam dignitatem reparavit » (3).

37. III° Præfatio IN QUADRAGESIMA.

*Qui corporali jejunio vitia comprimis, mentem elevas, virtutem largiris et præmia.* — « Tria hic exprimuntur animi bona quæ per jejunium rite observatum a Deo largitore obtinentur. *Primùm*, hoc salutari remedio comprimuntur vitia præsertim carnis, et libidinum restinguuntur incendia, perinde atque ignis, subtracto ligno a foco, extinguitur... *Secundò*, jejunio mens liberior elevatur in Deum per orationem et divinorum meditationem, quasi agilior facta et expeditior ut ad superiora nitatur. Comessatione enim et epulationibus crebris mens ipsa deprimitur atque degravatur; quemadmodum

(1) Clichtoveus, *l. c.*
(2) III, dist. 1, art. 2, q. 2 ad 3.
(3) Clichtov. *ibid.*

innuit Dominus noster in Evangelio cùm ait: *Attendite ne forte graventur corda vestra in crapula et ebrietate;* quare ex opposito per abstinentiam et jejunium mens humana redditur elevatior atque erectior in Deum, quasi liberata mole ac pondere corporis pessùm trahente. *Tertiò*, virtutes animi adaugentur observatione jejunii et demùm æternæ vitæ præmia acquiruntur. Conjungitur enim consequio quodam ipsi jejunio puritas et munditia vitæ, sanctimonia et castitas, quæ cæteras protinùs virtutes omnes sibi comites asciscit, quibus adornata anima cœlestem demùm requiem assequitur » (1).

38. IV° Præfatio Passionis et Crucis.

*Qui salutem humani generis in ligno crucis constituisti*, seu qui effecisti ut genus humanum per crucem Christi salvaretur; — *ut unde mors oriebatur inde vita resurgeret: et qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur: per Ch. D. N.* « Nostri generis damnatio ex ligno scientiæ boni et mali habuit exortum: similiter divina ordinatione nostra salvatio ex ligno crucis processit, per Christi sanguinem et mortem sanctificato. Et hoc pacto ex eodem secundum speciem resurrexit nobis vita, unde mors fuerat primum suborta, nempe ex ligno. Et antiquus serpens, qui per lignum paradisi vicerat primos parentes, quos subdola suasione induxerat ad esum fructus ejus, in ligno etiam victus est, scilicet crucis, per Christum Dominum nostrum, qui salutaris fuit hujus arboris fructus et efficax ad tollendam prævaricationem ex noxio nobisque damnoso fructu prioris arboris inflictam » (2).

39. V° Præfatio de Resurrectione D^ni^.

*Æquum et salutare: Te quidem, Domine, omni tempore, sed in hac potissimum die gloriosius prædicare, cum pascha nostrum immolatus est Christus. Ipse enim verus est agnus,*

---

(1) Clichtov. *l. c.;* cfr. S. Thom. 2, 2^ae^, q. 147, a. 1.
(2) Clichtov. *ibid.*

*qui abstulit peccata mundi.* Videlicet : omni quidem tempore decet nos Deum laudare ejusque gloriam celebrare, sed maxime in hac die, ubi memoriam agimus Christi Redemptoris pro nostra salute immolati ac a mortuis redivivi. Judæi in paschate immolabant agnum, in gratam memoriam beneficii illius, quo Angelus exterminator primogenitorum per domos Ægyptiorum, transiit postes Hebræorum sanguine agni tinctos. Ille autem agnus typus erat et imago Christi, *veri agni, qui abstulit peccata mundi*, et a morte æterna nos liberavit. — *Qui mortem nostram moriendo destruxit;* Christus igitur pascha nostrum seu victima paschalis nostra, per sui immolationem in cruce satisfaciendo pro peccatis mundi, mortem nostram spiritualem peccato inductam destruxit ; — *et vitam resurgendo reparavit;* scil. Christus resurgens geminam vitam nostram spiritus np. et carnis peccato amissam reparavit : nam vitam nostram spiritualem in præsenti restaurat, atque vitam corporalem in futuro seu in die universalis resurrectionis restaurabit. — Ad hujus doctrinæ meliorem intelligentiam juvat referre quæ scribit Doctor angelicus : « Christi resurrectio est causa efficiens et exemplaris nostræ resurrectionis, sed non est meritoria. *Efficiens* quidem, in quantum humanitas Christi, secundum quam resurrexit, est quodammodò instrumentum divinitatis ipsius et operatur in virtute ipsius. *Exemplaris* vero quia sicut resurrectio corporis Christi, ex eo quod corpus illud est personaliter Verbo unitum, est prima tempore, ita etiam est prima dignitate et perfectione. Semper autem quod est perfectissimum est exemplar, quod imitantur minus perfecti secundum suum modum ; et ideo resurrectio Christi est exemplar nostræ resurrectionis, secundum illud *Phil.* III : *Reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ...* Non autem Christi resurrectio fuit causa *meritoria* nostræ resurrectionis, tum quia Christus jam non erat viator, nec sibi mereri competeret, tum quia claritas resurrectionis

fuit præmium passionis, ut patet *Phil.* II. — Similiter est dicendum quod Christi resurrectio est causa resurrectionis *animarum*, secundum illud *Rom.* VIII: *Resurrexit propter* JUSTIFICATIONEM *nostram*, quæ nihil aliud est quam resurrectio animarum... Est autem resurrectionis animarum causa efficiens et exemplaris. Efficiens quidem in quantum Christi resurrectio agit in virtute divinitatis, quæ quidem non solum extendit se ad resurrectionem corporum sed etiam ad resurrectionem animarum: a Deo enim est quod vivit anima per gratiam et corpus per animam. Similiter resurrectio Christi habet exemplaritatem respectu resurrectionis animarum, eo quod Christo resurgenti secundum animam conformari debemus, secundum Apost. *Rom.* VII: *Quomodo Christus resurrexit a mortuis per gloriam Patris, ità et nos in novitate vitæ ambulemus; et sicut ipse resurgens ex mortuis jam non moritur, ità et nos existimemus nos mortuos esse peccato, ut iterum vivamus in illo...* Notandum vero quod in justificatione animarum duo concurrunt, scilicet remissio culpæ et novitas vitæ per gratiam. Quantum ergo ad efficientiam, quæ est per virtutem divinam, tam passio Christi, quam resurrectio, est causa justificationis quoad utrumque; sed quantum ad exemplaritatem proprie passio et mors Christi est causa remissionis culpæ, per quam morimur peccato; resurrectio autem est causa novitatis vitæ, quæ est per gratiam sive justitiam: et ideo dicit Apost. (*Rom.* IV) quod *traditus est* in mortem *propter delicta nostra*, scilicet tollenda, *et resurrexit propter justificationem nostram:* sed passio Christi est etiam causa meritoria, non autem ipsius resurrectio » (1). — Sic explicatum habes quomodo in præfatione paschali, mortis nostræ destructio tribuatur Christi morti, reparatio verò vitæ nostræ ejus resurrectioni.

*(Sequetur).*

H. V. D. B.

(1) Oposc. *De humanitate Christi*, art. XXII; cfr. Summa theol. part. 3, q. LVI, art. 1 et 2.

# E Sacra Congr. Indulgentiarum

## I

## AUGUSTANA.

**Dubia varia de Confraternitatibus a SS^mo^ Rosario nuncupatis.**

Episcopus Augustanus plura dubia huic S. Congni Indulgentiarum dirimenda proposuit, quæ, post Constitutionem *Ubi primum* (1) de Confraternitatibus a SS. Rosario nuncupatis nuper editam jussu SS^mi^ D^ni^ Nostri Leonis Papæ XIII, ipsi oborta sunt. His et alia superaddidit quæ ex nonnullis Decretis hujus S. C. repetenda videntur, eo quod quæstio movetur an, et quomodo illa Confraternitatibus SS^mi^ Rosarii sint applicanda.

Dubia vero proposita sunt sequentia :

I. In Diœcesi Augustensi jampridem existunt fere in omnibus ecclesiis parochialibus Confraternitates SS. Rosarii, quin tamen habeantur litteræ patentes Magistri Generalis Ordinis Prædicatorum, in plerisque locis deperditæ. Quamobrem orator petit, utrum ad canonicam Confraternitatis existentiam sufficiat per aliquod documentum, puta, per processum verbalem ipsius erectionis, vel inscriptionem commemorativam in Regesto sodalium Confraternitatis, aliudve hujusmodi in documento authentico asservatum certam haberi notitiam quod litteræ Magistri Generalis pro tali ecclesia jam concessæ fuerint, an vero novæ requirantur litteræ patentes ipsius Magistri Generalis ?

II. An per Decretum S. C. Indulgentiarum d. d. 20 Maii 1896 in una *Ordinis Prædicatorum* ad II^um^ (2) abrogata censeatur lex a S. C. Indulgentiarum die 8 Januarii 1861 sancita (in formula servanda in substantialibus pro erectione Confraternitatum) sub n. V. hisce verbis expressa : « quod gratiæ « et indulgentiæ confraternitati communicatæ, prævia cogni- « tione Ordinarii dumtaxat promulgentur » ?

---

(1) Cfr. *Collat. Brugen.* IV, p. 1.
(2) Cfr. *Collat. Brugen.* I, p. 470.

Et quatenus negative:

III. An cognitio Ordinarii exprimi debeat in scriptis ad calcem Summarii Indulgentiarum?

IV. An piæ Uniones *Rosarii Viventis,* a Magistro Generali Ordinis Prædicatorum institutæ, subiaceant præscriptionibus Clementinæ *Quæcumque*, sicut et Confraternitates SS. Rosarii, ad tramitem decreti S. C. Indulgentiarum d. d. 25 Augusti 1897 in una *Urbis et Orbis* ad I^um^? (1)

V. An Episcopus tolerare possit sive Confraternitates proprie dictas, sive pias Uniones sub SS. Rosarii titulo, absque interventu Magistri Generalis Ordinis Prædicatorum a parochis, vel aliis sacerdotibus institutas, etiam cum conditione vel prætextu, quod hujusmodi Confraternitates vel piæ Uniones non gaudent privilegiis et indulgentiis Confraternitatum SS. Rosarii?

VI. An, non obstante Decreto S. C. Indulgentiarum d. d. 25 Augusti 1897 in una *Urbis, et Orbis* (2) vi specialis privilegii Rectores Confraternitatum SS. Rosarii albo suæ Confraternitatis permittere valeant inscribi nomina defunctorum, etiam ad hunc finem dumtaxat, ut defuncti fiant participes meritorum Confraternitatis, et precibus sodalium commendati habeantur?

VII. An Decreta S. C. Indulgentiarum d. d. 12 Decembris 1892, in una *Coloniensi* et 15 Novembris 1893 in una pariter *Coloniensi*, pro sodalitate S. Scapularis, applicari possint Confraternitati SS. Rosarii, ita ut confratres SS. Rosarii recepti vel inscripti a sacerdotibus facultatem habentibus, omnes Indulgentias Confraternitatis lucrentur vi ipsius legitimæ receptionis, etiamsi eorum nomina cum nominibus aliorum sodalium in albo Confraternitatis non sint adhuc materialiter inscripta?

VIII. An, stante privilegio Confraternitatis SS. Rosarii, quo gratia concessa a S. Sede non censetur revocata, nisi fiat de ea specialis mentio, sacerdotes, utentes formula ab Innocentio XI præscripta pro Indulgentia a confratribus SS. Rosarii in articulo mortis lucranda, valide agant, an vero debeant uti formula data in Constitutione Benedicti XIV *Pia Mater?*

---

(1) Cfr. *Collat. Brugen.* t. III, p. 124.
(2) Cfr. Ibid. p. 125.

IX. An formula pro Indulgentia acquirenda a confratribus in articulo mortis recitari valeat dumtaxat a Rectoribus Confraternitatum et sacerdotibus per Magistrum Generalem Ordinis Prædicatorum delegatis, an vero, quoad confratres SS. Rosarii, a quocumque sacerdote, etiam extra confessionem?

X. An Confraternitates SS. Rosarii erectæ a Legatis Apostolicis, Nuntiis, ceterisque Præsulibus vi specialis facultatis apostolicæ, indigeant nova erectione per Magistrum Generalem Ordinis Prædicatorum?

Et E^mi^ ac R^mi^ Patres in Congregatione Generali habita ad Vaticanum rescripserunt die 3 Augusti 1899:

Ad I^um^ Affirmative ad 1^am^ partem; Negative ad 2^am^.

Ad II^um^ Negative.

Ad III^um^ Non est necesse.

Ad IV^um^ Negative.

Ad V^um^ Reformato dubio uti sequitur:

An per Apostolicas Litteras *Ubi primum* datas a SS. D. N. Leone Pp. XIII die 2 Octobris 1898, Episcopis aliisque gaudentibus facultate in genere erigendi Confraternitates, revocata fuerit facultas erigendi Confraternitates vel Pias Uniones sub titulo SS. Rosarii absque interventu Magistri Generalis Ordinis Prædicatorum?

Respondendum: Supplicandum SS^mo^, ut dignetur mentem suam pandere.

Ad VI^um^ Negative, facto verbo cum SS^mo^.

Ad VII^um^ Affirmative.

Ad VIII^um^ Reformato dubio uti infra:

An pro impertienda plenaria Indulgentia in articulo mortis confratribus SS^mi^ Rosarii, adhibenda sit formula ab Innocentio XI adprobata, an vero formula a Benedicto XIV præscripta in Constitutione *Pia Mater?*

Respondendum: Negative ad 1^am^ partem; Affirmative ad 2^am^.

Ad IX^um^ Reformato dubio hoc modo:

An benedictio in articulo mortis cum adnexa plenaria Indulgentia confratribus SS^mi^ Rosarii impertienda sit a sacerdotibus per Magistrum Generalem Ordinis Prædicatorum delegatis, an vero a quocumque sacerdote, etiam extra confessionem?

Rescribendum : Negative ad 1am partem ; Affirmative ad 2am.

Ad Xum Non propositum.

Factaque de iis omnibus per me infrascriptum Cardinalem Præfectum relatione SSmo Dno Nostro Leoni Papæ XIII, in audientia habita die 10 Augusti 1899, SSmus omnes resolutiones Emorum Patrum benigne adprobavit, mentemque suam quoad Vum dubium pandere dignatus est expresse edicens : « Revocavimus, et ut revocatas haberi volumus « facultates quibuscumque concessas erigendi Confraterni- « tates piasque Uniones sub titulo SSmi Rosarii sine litteris « patentibus Magistri Generalis Ordinis Prædicatorum ; ita « ut si quæ in posterum erigantur sive Confraternitates sive « piæ Uniones sub titulo SSmi Rosarii absque præfatis litte- « ris, nullis gaudeant beneficiis, privilegiis, indulgentiis « quibus Romani Pontifices legitimam verique nominis « Sodalitatem a SS. Rosario auxerunt ; quin imo nec « gaudeant aliis Indulgentiis, quæ communiter conceduntur « omnibus sub quovis titulo Confraternitatibus canonice « erectis. Contrariis non obstantibus quibuscumque ».

Datum Romæ ex Secretaria S. Congregationis Indulgentiis sacrisque Reliquiis præpositæ die 10 Augusti 1899.

Fr. HIERONYMUS M. Card. GOTTI, *Præf.*

L. ✠ S.

A. Sabatucci Archiep. Antinoen., *Secr.*

## II

## TREVIRENSIS.

**De extensione indulgentiarum psalmi « Exaudiat » ad Tertiarios sæculares S. Francisci Assisiensis.**

Jam inde ab anno 1623 sub die 23 Decembris a f. r. Urbano VIII Eremitis Monachis Camaldulensibus indultum erat, et dein a s. m. Pio Pp. IX sub die 7 Augusti 1868 extensum fuit ad Fratres Minores, quos Capuccinos nuncupant, in Cœnobiis degentes privilegium ut sequitur « qui (ex « eis) confessi et s. Synaxi « refecti fuerint et Psalmum cujus « initium est « *Exaudiat te Dominus* etc. » cum orationibus

« pro Romano Pontifice et S. Matre Ecclesia recitaverint, et « qui illa recitare ignoraverint, ejusdem Psalmi et orationum « loco ter Orationem dominicam et toties Salutationem « angelicam dixerint, ac simul pro unione et pace inter « Principes christianos confovenda ac fidei catholicæ exalta- « tione oraverint, eas omnes indulgentias et peccatorum « remissiones consequentur quas consequerentur et consequi « possunt si quadragesimis et aliis anni temporibus et diebus « Ecclesias et pia loca quæcumque tam in alma Urbe nostra « quam extra eam et alibi ubicumque locorum, terrarum et « gentium in Orbe christiano existentia, in quibus stationes « essent indictæ, ac Christifidelibus illas visitantibus indul- « gentiæ et aliæ gratiæ spirituales sunt propositæ, persona- « liter visitarent et ad illa se conferrent ».

Jam vero quum per Breve Apostolicum d. d. 7 Julii 1896 (1) S^mus^ D^nus^ Nr. Leo Pp. XIII denuo concessisset ad quinquennium, ut sodales Tertii Ordinis Sæcularis S. Francisci participes essent Indulgentiarum quibus primus et secundus Ordo Franciscalis pollet, factum quoque est ut Sodalibus prædicti Tertii Ordinis Indulgentiæ pro recitatione Psalmi « *Exaudiat* » communicatæ censerentur; quod alicubi edi et vulgari cœptum est per libellos, schedulas vel foliola. Quum vero de tali communicatione non omnes idem sentirent, id permovit Episcopum Trevirensem, ut hanc S. Cong^nem^ Indulgentiis Sacrisque Reliquiis præpositam adiret et quæreret:

*An sustineatur asserta communicatio hujus indulti de Psalmo* Exaudiat *omnibus Sodalibus Tertii Ordinis Sæcularis Franciscalis, vel saltem Sodalibus qui ab Ordine Fratrum Minorum Capuccinorum dependent?*

Factaque de præfatis omnibus relatione SS^mo^ D^no^ N^ro^ Leoni Pp. XIII per me infrascriptum S. Cong^nis^ Præfectum in Audientia mihi concessa die 29 Augusti 1899, Sanctitas Sua ad utramque quæsiti partem respondit:

*Negative;*

Et hanc solutionem communicari mandavit R^mis^ Ordinariis, ut nec typis imprimi nec fidelibus annuntiari permittant assertam communicationem concessionis de qua agitur.

---

(1) Cfr. *Collat. Brugen*, I, p. 559.

Datum Romæ ex Secretaria ejusdem S. Congregationis die 29 Augusti 1899.

Fr. HIERONYMUS M. Card. GOTTI *Præfectus.*

L. ✠ S.

Pro R. P. D. ANT. Archiep. Antinoen. *Secret.*
Jos. M. Canonicus COSELLI *Substitutus.*

**Adnotationes.** — Juxta præsens decretum retractemus oportet quæ olim de hac materia scripsimus (*Collat. Brugen.* I, p. 561). Variis enim inducti motivis, cum pluribus aliis (1) censebamus et nos indulgentias concessas Fratribus Capuccinis recitantibus psalmum *Exaudiat*, per Breve Apostolicum *Cum dilectus* d. d. 7 Julii 1896 revera communicari Tertiariis Franciscalibus. Præsenti autem decreto in contrarium authentice resolvitur hanc communicationem non sustineri.

Quum autem et de aliarum indulgentiarum communicatione et conditionibus moveri possent quædam dubia, « exoptandum esset, ait cl. Beringer (2), ut mox » nobis daretur commodum, breve, approbatum sum- » marium indulgentiarum primi et secundi Ordinis » S. Francisci ».

In præsenti enim Summario approbato indulgentiarum Ordinis Seraphici « major claritas valde desideretur, » præsertim quoad opera præscripta ad lucrandas » assertas indulgentias (3) ».

C. C.

## III

## LEOPOLIEN. RUTHENORUM.

Rescripto S. C. Indulgentiarum d. d. 8 Decembris 1897 Sanctitas Sua in genere definivit quod ad lucrandam plena-

---

(1) Cf. *Nouv. Rev. Théol.* XXVIII, p. 650; XXX p. 437, sqq.; *Theolog.-Praktische Quartalschrift*, 1897, p. 482; 1898, p. 436, sqq; R. P. LIBERT de Malines: *Manuel complet du Tiers Ordre séculier*, 1899, p. 506; *Tractatus de Indulg.*, Mechliniæ, 1897, p. 150.

(2) *Theologisch-praktische Quartalschrift*, 1896, p. 947.

(3) R. P. PETRUS MOCCHEGIANI A MONSANO: *Directorium tertii Ordinis S. Francisci*, 1897, p. 161.

riam Indulgentiam, quæ concessa est pro exercitiis pietatis totius mensis vel novem vel in genere plurium dierum, præscripta S. Confessio et Communio fieri potest infra octo dies immediate post ultimam diem illorum piorum exercitiorum sequentes.

Cum autem ad lucrandam talem Indulgentiam præscribatur præterea oratio ad mentem Summi Pontificis, atque sæpe etiam visitatio Ecclesiæ, ideo hodiernus Vicarius Capitularis Leopolien. Ruthenor. petit sequentium dubiorum solutionem:

I. An in casu, cum S. Confesso et Communio peragitur infra octo dies post finita exercitia pia, præscripta oratio et visitatio debeat fieri uno ex diebus in quibus præfata exercitia peraguntur? Vel potius

II. An in præfato casu hæc oratio et visitatio fieri debeat eadem die, qua S. Confessio et Communio percipitur?

Et S. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis præposita ad utrumque dubium respondit:

Nihil obstat ad lucrandas Indulgentias quominus visitatio et oratio fiant prout exponitur in I dubio; opportunius tamen erit si fiant prout in II dubio proponitur.

Datum Romæ ex Secretaria ejusdem S. Cong.nis die 2 Junii 1899.

Fr. HIERONYMUS MARIA Card. GOTTI, *Præfectus*.
ANTONIUS ARCHIEP. ANTINOEN., *Secr.*

# Jurisprudence des Cours et Tribunaux

## I

## Outrage à un ministre du culte
(art. 145 du cod. pén.)

—

**Jugement du tribunal correctionnel de Huy, 16 Juin 1899.**
(*Pasic.* 1899, III, p. 314).

—

*Faits.* — Pour se moquer du curé de leur paroisse, les prévenus imaginèrent de se rendre chez lui, où l'un d'eux se fit passer comme devant se marier avec une personne déterminée, et demanda au prêtre de publier les bans de ce prétendu mariage. Le prêtre demanda les renseignements nécessaires au prétendu futur, qui les lui donna. Le dimanche suivant, le prêtre, ainsi induit en erreur, annonça au prône ce prétendu mariage.

Poursuite pour outrage au curé.

### JUGEMENT.

Le tribunal; — Attendu que l'article 145 du code pénal punit l'outrage au prêtre dans l'exercice de son ministère, sans distinguer le lieu où il l'exerce et où il est outragé; (1)

Attendu, au point de vue canonique, que le curé est dans l'exercice de son ministère lorsqu'il reçoit les informations nécessaires pour les publications et la célébration d'un mariage;

Attendu, au surplus, dans l'espèce, que, les fausses déclarations des appelants n'ayant pas été retirées, le prêtre a

(1) L'article 145 du code pénal porte: « Sera puni des mêmes peines (c'est-à-dire, d'un emprisonnement de quinze jours à six mois et d'une amende de vingt-six francs à cinq cents francs) celui qui, par faits, paroles, gestes ou menaces, aura outragé le ministre d'un culte dans l'exercice de son ministère ».

proclamé à la messe dominicale les bans du mariage imaginaire auquel les dits appelants lui avaient fait croire et a provoqué à ses dépens les rires des assistants ; qu'il s'ensuit que, dans l'hypothèse même où le curé n'eût pas été dans l'exercice de ses fonctions en recevant dans son presbytère les informations nécessaires pour la célébration du mariage en question, toujours est-il qu'en ne prévenant pas à temps le prêtre de l'erreur dans laquelle ils l'avaient fait verser, les appelants sont parvenus, par leurs faits et manœuvres, à la consommation de l'outrage au curé, manifestement dans l'exercice de son ministère lorsqu'il a fait la publication du mariage au prône de la messe paroissiale ;

Attendu que l'intention d'outrager des appelants n'est pas douteuse en présence du but poursuivi et atteint, à savoir, d'exposer le prêtre à la risée publique des assistants à la messe paroissiale ;

Par ces motifs et ceux du premier juge, de l'avis conforme de M. Grégoire, procureur du roi, confirme le jugement *a quo* (1) et condamne les appelants aux dépens.

---

(1) Le tribunal de police de Nandrin, vu l'ordonnance de renvoi de la chambre du conseil visant les circonstances atténuantes, avait condamné chacun des prévenus à une amende de 25 francs (audience du 26 Avril 1899).

Voici le dispositif de ce jugement :

Attendu que la visite des prévenus chez M. le curé de Comblain-au-Pont dans le but de faire publier les bans de mariage du prévenu X. avec Y résulte notamment des dépositions des témoins N.N. ; ensuite, de la déposition sermentelle faite par le témoin Y. devant le juge d'instruction ; enfin, de la déposition du gendarme Z., qui maintient formellement l'entière exactitude de son procès-verbal d'information, d'après lequel les trois prévenus ont déclaré aux gendarmes que tel était bien le but de leur visite ;

Attendu que l'*animus injuriandi* résulte de ce que l'acte posé par les prévenus constitue une mystification du ministre du culte, laquelle devait avoir et a effectivement eu pour conséquence de l'exposer à la risée publique dans l'exercice de son ministère ; ensuite, de ce que, depuis le moment de leur visite et jusqu'au lendemain matin à 10 heures, heure de la grand'messe, les prévenus auraient pu empêcher cette conséquence de se produire en avertissant le curé, et qu'ils ne l'ont pas fait ; enfin, de ce qu'ils n'ont présenté à la victime de leurs agissements aucune parole de regret ou d'excuse, ce qu'ils n'eussent certes pas manqué de faire s'ils n'avaient pas eu l'intention de l'outrager ;

Attendu que le ministre du culte est dans l'exercice de son ministère, non seulement lorsqu'il procède aux cérémonies du culte, mais dans toutes

## II

## Obligation de la commune de fournir aux curés ou desservants un logement convenable (1).

—

### Jugement du tribunal de Nivelles, 15 Mai 1899.

—

Attendu que l'action est basée sur la lésion d'un droit civil; que dès lors le tribunal est compétent pour en connaître;

Attendu qu'aux termes de l'art. 92 du décret du 30 Décembre 1809, la commune doit fournir au desservant soit un presbytère, soit un logement, ou, à défaut de l'un ou de l'autre, une indemnité;

Attendu qu'il résulte de documents administratifs que la défenderesse n'a donné au demandeur, lors de son entrée en fonctions, le 1er Mars 1898, qu'un presbytère malsain et inhabitable, et que c'était à elle qu'incombait la charge de restaurer ce presbytère;

Attendu que, le 13 Décembre 1898, le demandeur, lassé de ne voir apporter à son presbytère aucune des réparations indispensables, a dû se résigner à le quitter et à s'installer à N.;

Attendu qu'il est certain que les premiers travaux de réparation ordonnés par la Députation permanente ne furent pas terminés avant le 1er Mars 1899;

Que, dès lors, la défenderesse doit évidemment une indemnité de logement au demandeur proportionnellement au laps de temps écoulé du 13 Décembre 1898 au 1er Mars 1899;

---

les circonstances où il agit comme ministre du culte et à raison d'actes de son ministère, et que tel est incontestablement le cas dans l'espèce;

Attendu qu'il résulte suffisamment des considérations qui précèdent que la prévention, telle qu'elle est libellée, est établie à l'égard de chacun des trois prévenus;

Par ces motifs,

Le Tribunal; — Vu l'ordonnance de renvoi de la chambre du conseil visant les circonstances atténuantes, condamne chacun des prévenus à une amende de 25 francs, etc....

(1) Cfr *Collationes*, T. III, p. 213 ss. et T. IV, pp. 62 et 554; jugement du tribunal d'Anvers, 27 Novembre 1897 (*Rev. de l'adm.*, an. 1899, p. 79); arrêt de la cour de Cassation, 29 Décembre 1898 (*Pasic.* 1899, I, p. 68).

Attendu que cette indemnité doit être déterminée eu égard aux ressources de la commune défenderesse et à la valeur de location des immeubles qui y sont situés ; que si on tient compte de ces éléments, on peut équitablement la fixer à quatre cent cinquante francs par an ;

Attendu que le demandeur n'est pas fondé à réclamer une indemnité de logement pour l'époque antérieure au 13 Décembre 1898 ; qu'en effet, il a consenti à habiter le presbytère jusqu'alors et à supporter tous les inconvénients résultant de son état de délabrement ;

Attendu que, par la faute de la défenderesse, il a dû supporter et devra supporter encore des frais de déménagement, des frais d'enregistrement, une indemnité pour résolution anticipée de bail, et autres débours qu'on peut évaluer à deux cent cinquante francs ;

Attendu que le demandeur n'a subi aucun préjudice matériel appréciable par suite des déplacements qu'il a dû s'imposer pour exercer son ministère ; qu'il n'y a donc lieu de lui allouer aucune indemnité de ce chef ;

Attendu que la défenderesse soutient que le presbytère est en bon état depuis le 1er mars 1899 ; que les parties sont en désaccord en fait sur ce point ;

Par ces motifs,

Le tribunal ; — Ouï M. Hecquet substitut du procureur du roi en son avis conforme, condamne la défenderesse à payer au demandeur dès la signification du présent jugement : 1° pour indemnité de logement du 13 Décembre 1898 au 1er Mars 1899, la somme de nonante-sept francs cinquante centimes ; 2° pour débours déjà occasionnés au demandeur par la faute de la défenderesse, cent cinquante francs ; 3° les intérêts judiciaires de ces sommes : 4° tous les frais faits jusqu'à ce jour taxés à cent soixante-sept francs nonante-sept centimes, non compris expédition du présent jugement ; la condamne, en outre, à payer au demandeur, après sa réinstallation à T..., la somme de cent francs pour les causes reprises sub 2° ; avant de statuer sur le surplus, désigne comme experts N.N., lesquels visiteront le presbytère de T..., en dresseront le plan, en indiqueront les dispositions diverses, diront s'il présente les conditions de confort en rapport avec sa destination et si on peut l'habiter sans inconvénient.

# Collationes Brugenses

## Quæstiones pro Conferentiis

### mensis Januarii 1900

I

Explana Job XIV, 11 : *Quomodo si recedant aquæ de mari, et fluvius vacuefactus arescat: 12 Sic homo cum dormierit, non resurget; donec atteratur cælum, non evigilabit, nec consurget de somno suo.* — Locum hunc compone cum Job XIX, 25-27.

II

Expone quid significet nomen affectus seu *passiones* animi et utrum fuerint hujusmodi passiones in Christo.

III

Undenam oritur *obligatio gravis justitiæ* reddendi debitum conjugale comparti illud petenti?

IV

Paucis expone principia quæ moderantur modum agendi confessarii erga uxorem virum habentem onanistam.

V

An, quantùm et quare peccant conjuges actum conjugalem exercendo *propter delectationem?*

VI

Caius, vir ecclesiasticus, studiis theologicis simul atque litteris dans operam, inconsulto suo Ordinario, varios publicavit libros de theologia litterisque tractantes; alios vero easdem disciplinas respicientes, licet fidei morumve honestati haud conformes, absque venia perlustravit ad eos sive dijudicandos sive impugnandos in libello periodico *(Revue)*, quem moderandum suscepit. An et quare Caius leges ecclesiasticas est transgressus, et pœnis etiam canonicis reus?

# Responsa

## ad quæstiones in Conferentiis mensis Octobris propositas.

—

I

Q. Expone et cum *ad Roman.* V, 6-10 compone Jo. XV, 13: *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.*

R. Christus immediatè præcedente versiculo mutuæ dilectionis modum assignaverat: *sicut dilexi vos.* Ut igitur intelligant quomodo sese mutuo diligere debeant, jam declarat, generali tamen sententia usus, quantopere ipse eos dilexerit. *Majorem*, ait, *hac dilectionem nemo habet,* scilicet ergà amicos: « Illorum enim, ait Luc. Brug., sequitur mentio (v. 14), et fit inter cognata comparatio; majorem ergà amicos nemo habet, quàm ut pro amicis animam ponat... *Dilectionem* autem *majorem*, id est, majus dilectionis exterius opus, *nemo* potest edere: inter omnia dilectionis erga amicos opera exteriora, nullum est majus *hac* dilectione seu hoc opere dilectionis, *ut* scilicet *ponat*, deponat, exuat, spontè scilicet, non coactus nisi puro amore, *quis animam*, vitam *suam* temporalem *pro amicis suis*, id est, pro iis quibuscum mutua ei intercedit amicitia: pro salute amicorum suorum tuenda et conservanda. Ratio est, quia inter omnia quæ possunt alterius causà negligi, nihil homo habet majus aut pretiosius, et quod pluris æstimet ac diligat, quàm vitam suam. »

Proinde hîc agitur de dilectione *amicorum*, et de quantitate *æstimationis*. In Epistolà vero ad Romanos V, 6-10 agitur de dilectione *inimicorum*, seu *peccatorum*, pro quibus Christus mortuus est. Et sane major est dilectio qua quis pro suis etiam inimicis, eà qua quis

pro suis tantùm amicis animam suam ponit, major, inquam, quantitate *extensionis,* non vero quantitate *æstimationis*. — Cæteroqui, quemadmodum omnes, etiam Apostoli, ex sese erant naturà filii iræ adeoque peccatores et inimici, sic omnes, non solum Apostoli, ex parte Dei et Christi erant amici, non quasi diligentes, sed quasi dilecti.

Totam hanc quæstionem præclarè sic tractat Toletus: « Sciendum triplicem esse quantitatem dilectionis alicujus. Una est, quæ dicitur *æstimationis*, seu appreciationis; quo enim aliquis plura et majora postponit pro aliquo, eum dicimus plus, vel minus diligere, et dilectio major, vel minor est. Qui ergo ita diligit alterum, ut res temporales postponat dilecto, potiusque eas quàm amicum dimittere sit paratus, multum diligere dicitur. At si aliquis non solùm res temporales, sed honorem etiam proprium illi postponat, plus diligit: si autem alius vitam etiam postponat, maximè diligit. Quo enim amicus pluribus præfertur, aut paucioribus, et minoribus, eo plus aut minus diligitur, et dilectio major, et minor dicitur: et hæc est quantitas æstimationis, seu appreciationis. Altera est quantitas *intensionis*, quæ consistit in vehementia, et fervore dilectionis; quo enim ferventius, et vehementius aliquem amamus, etiam plus, aut minus amare dicimur. Distinguitur autem ista quantitas à præcedenti: aliquando enim vehementius amamus, quæ minoris æstimamus et facimus. Parentes enim vehementius amant filios parvulos, tamen pluris faciunt primogenitum etiam provectiorem; quod eo probatur, quia si unum dimittere compellerentur, mallent servare primogenitum... Tertia quantitas est *extensionis:* quo enim plures aut pauciores diligimus, eo dilectio major vel minor etiam dicitur, quamvis esset eadem vehementia et eadem æstimatio. Sic major est dilectio diligentis cives, et externos, quàm ejus, qui solos diligit populares.

Ex hac certa, et vera doctrina facile est aliquas

veritates deducere. *Prima* est: Dilectio *ordinata* non potest esse major, quantum ad *æstimationem*, eà, quà vita exponitur pro amico, vel pro eo, quem diligimus. Cum enim quantitas hæc consideretur ex his, quæ pro dilecto exponimus, et quæ ejus bono postponimus, nullumque sit æquale bonum temporale vitæ propriæ, fit ut qui postponat eam, diligat summè, nec habeat ultra, quod postponat. Dixi dilectionem *ordinatam:* nam qui vitam spiritualem pro alio exponeret, hic majus aliquid, quàm vitam propriam temporalem, pro amico poneret; sed ea dilectio inordinata esset, nec amicitia vera censeretur: inter ea enim, quæ ordinata dilectione postponuntur pro aliis, summum locum tenet vita propria temporalis; idcirco hæc dilectio est summa, qua nulla major est quantum ad æstimationem. *Secunda* veritas sit: Non est major quantum ad hanc æstimationem dilectio, qua vita pro inimico, ea qua pro amico ponitur. Hæc veritas attendenda est, nam per eam difficultas solvitur. Demus unum pro amico vitam exponere, alterum pro inimico: quantum ad æstimationem non est major una dilectio quam altera: non enim plus dimittit, aut posthabet pro dilecto unus quam alter... Est quidem dilectio illa, qua pro inimico anima ponitur, extensione major: est etiam rarior, quia rari sunt, qui ita inimicos diligant; est admirabilior, est aliquo modo perfectior, tamen non est major quantitate æstimationis. Et ex hoc intelligimus Paulum Rom. V. *Commendat*, inquit, *charitatem suam Deus in nobis, quonam cum adhuc peccatores essemus secundum tempus, pro nobis Christus mortuus est...* Hæc non probant majorem esse dilectionem Christi quantum ad æstimationem, qua pro inimicis mortuus est, quam, si pro amicis moreretur: non enim aliam vitam exponeret, quàm exposuit, sed fuit dilectio rarior, difficilior, perfectior et extensior, uti diximus. *Tertia* veritas: Fieri potest aliquam dilectionem esse majorem quantum ad intensionem, et extensionem, ea qua quis animam ponit pro alio: nam si unus pro solo

amico animam poneret, non autem pro inimico; alter vero pro amico, et inimico non animam, sed bona temporalia exponeret, hujus dilectio esset extensior, quàm ea, quæ est majoris æstimationis. Idem posset accidere in intensione. *Quarta* veritas est: Dominus in his verbis, de dilectione loquitur, quantùm ad æstimationem: hæc enim est vera quantitas, et præcipua dilectionis. Quo enim plura pro dilecto postponimus, eo dicimur magis amare, et diligere: et hanc commendat discipulis, ut ita ament omnes, ut vitam propriam exponere sint parati pro his, quos diligunt. De intensione dilectionis nihil Dominus disponit: satis enim perfectè amat, qui ita amat, ut animam ponat pro eo, quem amat; nec de extensione, quia de ea jam locutus erat; sed solum de hac æstimatione, et quantum ad hanc, sive pro amico, sive pro inimico, quem diligimus, vitam exponimus, non est major una dilectio, quàm altera. »

G. V. D. P.

II

Q. *Demonstretur B. M. V. quum sit Mater Christi secundum temporalem ejus nativitatem, vere dici et esse Matrem Dei.*

R. **Demonstratio:** — I. Ex Sacra Scriptura: Verbum Dei, quod est Deus, factum est homo. Jo. I, 3, 14; porro ex semine David et ex muliere Deus factus est homo: Filius enim Dei « factus est ei ex semine David secundum carnem » Rom. I, 3; « At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere » Gal. IV, 4. Hæc autem mulier est Maria sicut constat ex Matthæo genealogiam Christi referente: « Jacob autem genuit Joseph, virum Mariæ, de qua natus est Jesus qui vocatur Christus » Matth. I, 16. Christum deinde ita factum et natum esse ex Maria ut sit verus filius Mariæ et ipsa vere mater Christi constat ex hoc

quod Maria Christo præstitit quidquid filio mater præstat: nam angelus Mariæ annuntians Dei incarnationem ait: « Ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum » Luc. I, 31. Igitur *B. M. V. vere est mater Christi secundum temporalem ejus nativitatem.*

Hoc posito, quum Christus, verus Mariæ filius, sit etiam verus Deus, jam legitime concluditur Mariam vere dici et esse Matrem Dei. Quamquam S. Scriptura Mariam non explicite vocat Dei Matrem, tamen huic denominationi æquivalet modus loquendi S. Scripturæ. Etenim a/ ille qui vere est filius Mariæ vocatur Filius Dei: « Ideoque et quod nascetur ex te Sanctum vocabitur Filius Dei » Luc. I, 35. Si filius Mariæ vere dicitur et est Filius Dei seu Deus, ergo Maria vere dicitur et est Dei Mater. b/ Præterea Elisabeth repleta Spiritu sancto B. M. V. salutat his verbis: « Benedicta tu inter mulieres et benedictus fructus ventris tui. Et unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me? » Luc. I, 42-43. Igitur Elisabeth Mariam vocat Matrem *Domini* quod perinde est ac matrem Dei. Dominum enim dicit benedictum fructum ventris Mariæ, ideo benedictum quia Deus est.

Igitur *Maria vere dicitur et est Mater Dei.*

II. Ex Traditione: argumentum hoc paucis tantum indicamus.

a/ Symbola et antiquissimi Patres docent Filium Dei unigenitum esse etiam a Maria genitum: æquivalenter ergo docent Mariam esse Dei genitricem. Ex gr. S. Ignatius Mart. scribit: « Filius Dei ante sæcula genitus, parturiebatur ex Maria, juxta dispensationem ex semine David..... *Ad Ephes.* n. 7. Eamdem veritatem docent S. Irenæus, *C. Hœr.* l. III, c. 19, n. 2, et alii. Cf. Jungmann, *De Verbo Incarnato*, n. 152.

b/ Jam ante concilium Ephesinum Patres explicite dicunt Mariam esse Dei Matrem. « Ecce virgo facta est mater, servata virginitate et sigillis non solutis, gestat

in utero fœtum, integris virginalibus et facta est Dei mater ac famula opusque ejus sapientiæ » S. Ephrem. Syr. *Hymni de B. M. V.*, XXIII (Edit. Lamy, T. II, p. 612).

« Si quis sanctam Mariam Deiparam (Θεοτόκον) esse non credit, extra divinitatem est » S. Greg. Naz. Oratio 55, ad Cledonium Presbyterum epist. 1ª. S. Cyril. Alex. etiam dogma maternitatis divinæ tamquam compendium et tesseram veræ fidei habet :

« Ad rectam et irreprehensibilem fidei nostræ confessionem sufficit Deiparam dicere et confiteri sanctam virginem » *Hom. 15 de incarn. Dei Verbi.* Cf. Jungmann, op. cit. n. 153.

c/ Concilium Ephesinum (an. 431) definivit : « Si quis non confitetur, Deum esse veraciter Emmanuel, et propterea Dei genitricem sanctam virginem... anathema sit » Denzinger, *Enchir.* n. 73. Cf. Jungmann, op. cit. n. 154.

III. Ex ratione theologica. « Omnis mulier quæ vere aliquem genuit, vere est mater ejus ; sed Beata Virgo vere genuit Hominem-Deum ; ergo vere est mater Hominis-Dei. Rursus, hoc nomen *Deus* potest supponere pro qualibet hypostasi naturæ divinæ, et Homo-Deus est aliqua hypostatis naturæ divinæ ; ergo Beata Virgo mater Dei vere dicitur et est » Billot, *De Verbo Incarnato,* Thes. XLIV. *Declaratur minor prioris syllogismi :* in generationis termino duo sunt consideranda, scilicet, *id quod* generatur, et id *secundum quod* generatur aliquid : primum est *suppositum :* illius enim est generari cujus est esse seu subsistere : sed suppositi est esse seu subsistere : suppositum enim significat distinctum subsistens in aliqua natura (1) : ita, ex gr., in generatione humana id quod generatur est homo quidam determinatus, seu distinctum subsistens in natura hu-

(1) Distinctum subsistens in natura *intellectuali,* vocatur *persona.* — De notione *suppositi,* cf. *Collat. Brug.* T. III, p. 497 et seq.

mana. Ergo id quod generatur est suppositum. Id secundum quod generatur suppositum est *natura:* in hoc enim est generatio quod generans eamdem naturam quam ipse habet alteri communicat (1). Jamvero Maria, quando filium suum concepit, naturam humanam communicavit non alicui supposito distincto a Deo, sed ipsi divino supposito, nempe secundæ Personæ SS. Trinitatis, ita ut, a primo instanti conceptionis, in utero Mariæ non aliud fuerit suppositum quam Filius Dei in natura humana: ergo Maria vere genuit Hominem-Deum.

*Declaratur major secundi syllogismi:* a vocabuli significatione distinguenda est ejusdem suppositio. *Significatio* est valor qui inest vocabulo ad repræsentandam aliquam ideam, seu formam conceptam. *Suppositio* est usus vocabuli in propositione secundum aliquam determinatam ejus acceptionem.

Ita, ex gr. *homo* significat subjectum habens naturam humanam, *Deus* illum qui habet naturam divinam. At hi termini in variis propositionibus pro diversis supponere possunt. Non hic exponendi sunt varii modi *suppositionis;* unum solum indicabimus et illustrabimus exemplo: nomen naturam in concreto significans supponere potest pro qualibet hypostasi hujus naturæ, h. e. in propositione, designare potest unam determinatam hypostasin talis naturæ. Nomen *Deus* significat naturam divinam in concreto, ideoque supponere potest pro qualibet hypostasi naturæ divinæ. In hac propositione: « Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi... » (2) nomen *Deus* supponit pro Patre solo, h. e. designat solam primam personam SS. Trinitatis. In hac alia propositione: « Deus qui nobis sub sacramento mirabili passionis tuæ memoriam reliquisti... » vocabulum *Deus* supponit pro sola secunda persona SS. Trinitatis. Quum igitur nomen *Deus* supponere possit pro

(1) Generatio definitur: origo viventis a vivente principio conjuncto in similitudinem naturæ.

(2) II Cor. I, 3.

Verbo et quum filius Mariæ sit hæc divina persona, sequitur Mariam vere dici et esse Dei Matrem.

**Adnotatio**. Ex veritate mox demonstrata deducuntur corollaria quædam hîc indicatu utilia :

1. Qui confitetur Mariam vere esse et dici deiparam, eo ipso « totum Incarnationis mysterium adstruit » ut dicit et explicat S. Jo. Damasc., *De Fide Orthod.* l. III, c. 12. Et sane si Maria vere est Dei Mater, profecto Deus est vere homo, et præterea Deus factus homo est unica persona : ergo in Verbo Incarnato sunt duæ naturæ et una persona.

2. Quamquam maternitas divina in se formaliter considerata est gratia *gratis data,* hæc tamen fuit ratiò plenitudinis gratiæ *gratum facientis* quam Mariæ concessit Deus : quippe qui ideo illam voluit esse sanctissimam ut dignum Filii Dei efficeretur habitaculum. Cf. Jungmann, op. c. n. 158.

3. Summa Mariæ dignitas etiam ex ejus maternitate habet originem. Eo enim excellentior est creatura quo propius ad Deum accedit : jamvero modo omnino singulari et eminenti fuit Deus cum Maria : a/ quatenus hæc fuit Dei Mater, realem habuit maternitatis relationem cum Dei Filio ; b/ porro, hæc unio, quæ ad solum Verbum *terminatur*, *efficienter* est a tota Trinitate ; et si leges *appropriationis* applicamus, Maria dicenda est prædilecta filia Patris, quippe qui, utpote omnium Principium et omnipotens Creator, Mariam inter omnes præelegerit et effecerit Matrem Unigeniti ; deinde Maria dicenda est sponsa Spiritus Sancti quia Spiritui sancto specialiter attribuitur opus Incarnationis : « Quod enim in ea natum est de Spiritu sancto est ». Matth. I, 20 ; Luc. I, 35. c/ Tandem gratia sanctificans et supernaturalia dona ei annexa Mariam longe altiori gradu quam alias creaturas ornaverunt : quapropter longe perfectior fuit in anima Mariæ hæc habitatio SS. Trinitatis quæ consequitur justificationem. (1)

---

(1) Cf. *Collat. Brug.* T. IV, p. 453.

4. Ratione divinæ maternitatis evadit Maria *coredemptrix* et *mater nostra* (1). Etenim ipsa fuit medium per quod et ex quo Salvator nobis effectus est ac datus. « Sed hic diligenter notabis quomodo non in sola physica Filii Dei conceptione reponendus sit Virginis concursus ad ortum Salvatoris; neque enim ad tam excellens munus, passivum requirebat Deus instrumentum, sed omnino liberum ac voluntarium. Concurrit igitur Virgo per actus proprie humanos, sicut propria voluntate concurrerat Eva ad ruinam; concurrit, inquam, tum quidem acquirendo et merendo ex gratia sibi primitus data, illum sanctitatis gradum ut congrue posset esse mater Dei; tum etiam ac potissimum, Angeli verbis credendo, ejusque annuntiationi eum præstando consensum, qui fuit *conditio sine qua non* incarnationis Verbi: (de quo vide omnino Bernard. Hom. 4 super Missus est, n. 8.) — Verum etsi coredemptricis munus principaliter et primario exercuerit Maria, in quantum « lumen æternum mundo effudit Jesum Christum Dominum nostrum » profecto hoc idem munus consummavit sub cruce Salvatoris, ut narratum habetur apud Joan. XIX, 25-27 ». Billot, *De Verbo Incarnato*, 2ª p. c. I, 3.

Porro sicut in ordine naturali et physico, mater est et dicitur illa quæ dat vitam physicam, ita in ordine spirituali et supernaturali mater est et dicitur illa quæ dat vitam spiritualem et supernaturalem; atqui Maria dat hominibus vitam gratiæ: etenim ab ipsa et per ipsam datus est nobis Jesus « Vita » nostra, a quo scilicet omnis supernaturalis vita est haurienda; deinde Maria partem sibi propriam habet in distributione omnium gratiarum (2). Ergo Maria vere dicitur et est mater hominum.

J. V. D. M.

(1) Cf. Hurter, *Theol. dogm. Comp.* T. II, n. 620 et seq.; Einig., *de Verbo Incarnato*, Thes. 18.

(2) De sensu hujus effati, v. *Etudes*, a. 1896, Mai, p. 5 et seq.: « Sur

## III

Q. *An et quare sacerdos absolvere potest cum jurisdictione dubia?*

R. I/ Si jurisdictio est *negative dubia*, sub distinctione respondemus:

Si 1°/ negative dubia dicitur ex eo quod *motivum leve* contra jurisdictionem supervenerit jurisdictioni *antecedenter certæ*, ipsa est utendum qua certa absque conditione, quia tale motivum superveniens est negligendum, nec valet jurisdictionem antecedenter certam reddere incertam.

Si 2°/ motivum leve jurisdictioni favens supervenit, quando antecedenter certa erat jurisdictionis non-existentia, nullo suffragante facto ipsam inducente, vel quando erat hic et nunc certo revocata, pariter nequit hujusmodi dubium certitudinem auferre non-existentiæ, et talis jurisdictio est habenda tanquam nulla et non usurpanda. Sub 1°/ possidet jurisdictio, sub 2°/ vero possidet revocatio et jurisdictionis absentia.

Si 3°/ constat de collationis facto et simul de termini appositione, sed utrimque negative dubitatur (facta pro posse inquisitione), utrum *hic et nunc* jam obtineat revocatio vel non, tunc reducitur quæstio ad hoc utrum jurisdictio *possideat* an vero revocatio.

Jamvero donec constet jurisdictionem esse *hic et nunc* revocatam, saltem probabile erit jurisdictionem possidere, adeoque *probabilis* evadet jurisdictio, eaque conditionatè uti potest sacerdos, juxta dicenda sub II, in casu gravis necessitatis. Cfr. Ill. ac Rever^mum^ Waffelaert, *De Dubio Solvendo*, nn. 209-220.

Si de hac tertia hypothesi loqui intendant Auctores, intelligitur, salva data explicatione, quomodo passim

---

cette proposition: Toutes les grâces nous viennent par la Sainte Vierge» par le P. R.-M. de la Broise.

permittant ut sacerdos utatur jurisdictione *negative dubia* (1), in necessitate simpliciter gravi (2). Ita, inter alios, Salmant., *De Sacr. Pœnitentiæ*, l. XI, Puncto V; Busenbaum apud S. Alph., VI, n. 571; Gury-Ballerini, II, n. 349; Marc, *Institutiones morales,* II, n. 1755; Aertnys, *Theol. moralis*, II, n. 217; Ballerini-Palm., V, n. 628 et seq.; Genicot, II, n. 330; Bucceroni, apud *Anal. Eccles.*, 1898, p. 90; Lahousse, *De Pœnitentia*, n. 160; etc...

II/ Sacerdos instructus jurisdictione *probabili*, absolvere potest a/ in gravi necessitate, sed conditionate tantum; b/ extra gravem necessitatem, occurrente saltem aliqua rationabili causa, quando Ecclesia *certo* supplet, (3) si opus sit, jurisdictionis defectum; quo casu *absolute* absolvere potest.

*Explicatur*. Non sufficit jurisdictio speculative probabilis, ut statim ab ea possimus transire ad probabilitatem practicam circa licitum usum ejus, et ulterius ad certitudinem ex principiis reflexis. Huic enim transitui obstat lex Religionis vetans quominus *periculo* exponamus valorem sacramenti ob reverentiam in ipsum, *nisi excuset gravis necessitas*. (4) Valor autem sacramenti peri-

---

(1) Dubium negativum quidam hic vocant indifferenter *dubium facti*, quasi dubium facti nunquam posset esse positivum seu probabile. Ita Marc et Aertnys ll. cc.

(2) Sic apud S. Alph. l. c., præter casum periculi mortis, in quo aliunde suppetit jurisdictio certa, casus quo « urgeat præceptum annuæ confessionis », item casus quo « pœnitens deberet celebrare vel communicare et alias infamiæ notam incurreret... »

(3) Dicitur Ecclesia *supplere* jurisdictionem, quando alicui sacerdoti jurisdictione carenti *antecedenter* ad confessionem inchoatam, jurisdictionem confert *in ipsa confessione*, in ordine ad opus incœptum perficiendum. Ita post confessionem factam et absolutionem impertitam rursus jurisdictione destituitur.

(4) Cfr. Ill. ac Reverendmum Waffelaert, *De Dubio Solvendo*, n. 202 et propositionem ab Innocentio XI damnatam: « Non est illicitum in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi... ». Quam damnationem ignorantes plures AA., uti Suarez et De Lugo, ll. cc., simpliciter permittunt sacerdoti ministrare

clitatur si cum jurisdictione probabili administretur, excepto casu quo aliunde certa reddatur jurisdictio *ex certo supplente Ecclesia.*

Quod a/ *gravis necessitas* excuset, eruitur ex hoc quod salus fidelium prævalet periculo irreverentiæ in sacramenta, utpote quæ pro hominibus sunt instituta. Addenda est autem vel subaudienda conditio : « si possum ».

Quod b/, casu quo *certo supplet* Ecclesia, quis legitimè utatur jurisdictione probabili, inde est quod illicò evanescit omne periculum invalidæ absolutionis, quæ adeoque et absolute concedi potest. Attamen ad hanc jurisdictionem, ex supplente Ecclesia accedentem, cum extraordinaria sit et præter normam concessa, non videtur recurrendum nisi ex aliqua causa rationabili (1). Dicitur « *certo* supplet », quia non sufficit quod *probabiliter* suppleat Ecclesia, cum eo ipso dubium subsisteret adeoque et periculum remaneret.

Logice igitur deducimur ad solvendam quæstionem, quandonam nempe, *in casu jurisdictionis probabilis*, Ecclesia *certo supplet*, quandonam vero *probabiliter tantùm*. Cui quæstioni respondendum opinamur Ecclesiam 1°/ *certo* supplere, in casu jurisdictionis probabilis, quando dubium non versatur circa factum concessæ jurisdictionis (quod factum igitur indubium supponitur), sed circa jurisdictionis valorem, extensionem vel extinctionem ; contra 2°/ *probabiliter tantùm* supplere, quando dubium præcise versatur circa factum concessionis.

---

sacramentum et absolvere cum potestate probabili absque ulla limitatione ex obligatione Religionis desumpta sed ex usu dumtaxat et lege Ecclesiæ atque ex obligatione charitatis : nimirum modò « non fiat contra præceptum aliquod Ecclesiæ præscribentis certum ritum in sacramentis ministrandis, nec ex eo sequatur grave detrimentum illius cui sacramentum confertur ». De Lugo, l. c.

(1) S. Alph., VI, n. 373, requirit ut adsit « causæ gravis necessitatis aut magnæ utilitatis », quia, ait, « licet Ecclesia eo casu ob bonum animarum bene censeri possit jurisdictionem supplere, tamen non præsumitur, nulla justa (gravi) causa accedente, velle connivere meræ libertati sacerdotum ». At in hoc a multis merito deseritur S. Doctor.

Revera 1m *assertum* sic vindicatur: Principium est in jure communiter et indubitanter admissum, Ecclesiam supplere quando adest *titulus coloratus* cum *errore communi et probabili.* (1) Quod principium nititur potissimum in dispositione juris Romani *Barbarius*, De officio Prætoris, quæ dispositio, id testantibus canonistis, in jus canonicum est assumpta seu canonizata. (2)

Atqui quando jurisdictio est probabilis et dubium non versatur circa factum concessionis, facile aderit titulus, si non validus, saltem coloratus cum errore communi et probabili. Ergo...

---

(1) *Titulus* jurisdictionis est actus superioris quo confertur jurisdictio. Titulus autem *coloratus* « ille est qui subjecto, jure divino habili, datur a superiore et de se aptus est ad conferendam jurisdictionem, sed qui effectum non sortitur propter aliquod vitium occultum », sive in concedente, sive in ricipiente, sive in actu concessionis. Cfr. De Brabandere, *Jus Canonicum,* I, n. 97.

*Error communis* adest quando aliquis « communiter a fidelibus putatur habere jurisdictionem ordinariam vel delegatam , quam revera ob occultam causam non habet »; *probabilis* dicitur quando est talis « ut mediocris attentio non sufficiat ad deprehendendum vitium tituli ». Ibidem, n. 98.

(2) Cfr. Van den Berghe (Tract. autogr. de Jure Publico, II, n. 31), ubi citatur dictum caput ex jure Romano, hujusce tenoris: « Barbarius Philippus, cum servus fugitivus esset, Romæ præturam petiit et prætor designatus est... si servus, quamdiu latuit, dignitate prætoria functus sit, quid dicemus? An quæ dixit, quæ decrevit nullius fore momenti, an fore propter utilitatem eorum qui apud eum egerunt? Et verum puto nihil eorum reprobari, hoc enim humanum est, cum populus Romanus etiam servo potuisset decernere hanc potestatem ». Ad quæ verba addit laudatus Auctor « Videlicet prætor de quo in ista lege, nulliter fuerat institutus ob occultum defectum qualitatis substantialiter requisitæ, nempe libertatis: nihilominus acta ejus sustinentur propter errorem populi et Respublica censetur ipsi supplevisse jurisdictionem: simili igitur casu et Ecclesia jurisdictionem supplere dicenda est ». Adducitur etiam cap. *Infamis*, causa III, qu. 7, cujus capitis textum et interpretationem videsis ibidem.

Hujusmodi autem dispositionis, ait, Sanchez, *De Matrimonio,* l. III, disp. XXII, n. 5, « ea est ratio, quia sequerentur gravissima inconvenientia et scandala, si detecto eo impedimento, omnia gesta per eum judicem putativum rescindenda forent, quibus ut occurreretur decrevit omnia gesta per eum, dum communis error durat, valida esse ac si verus judex esset ». Quæ adducta ratio valet pro foro interno æque ac pro foro externo. Cfr. ibidem, n. 32.

Cujus minoris probatio est in promptu. Ex hypothesi nempe supponitur tituli indubia existentia, et eo ipso quod *probabiliter* valet titulus collatus, probabilitate, inquam, quoad se seu publica, defectus, si quis sit, non apparebit qua talis et latebit, adeoque titulus erit saltem coloratus. Item, cum constet de titulo, ejusque valor sit probabilis probabilitate publica, legitime habetur a communi opinione qua titulus validus, adeo ut, si contingeret esse invalidus, error foret communis et probabilis. (1) Quæ dicta non minus valent de probabilitate facti quam de probabilitate juris. (2)

Probatur *alterum assertum*, nimirum Ecclesiam non supplere nisi probabiliter, quando dubium præcise afficit ipsum factum consessæ jurisdictionis. Tunc namque non constat de titulo et solus obtinet error communis. Jamvero quamvis plures AA. censeant hic æque suppleri defectum jurisdictionis ac in priori hypothesi, non pauci tamen id negant aut dubitant, uti videre est apud S. Alph., VI, n. 572, nec deest seria ratio dubitandi, uti ex inspectione duplicis textus prælaudati innotescit. Cfr. Van den Berghe, l. c., n. 35, ubi etiam adducitur testimonium Benedicti XIV, *Instit. eccles.* 84, n. 22, testantis S. C. C., 11 Dec. 1683 « invalidas declarasse confessiones institutas apud tres regulares cappucinos, tempore jubilæi, quia hi confessarii non fuissent appro-

---

(1) Cfr. Salmant., l. c., n. 75; cfr et Lacroix, l. VI, Parte I, n. 117: « quando est opinio probabilis hæc æquivalet errori communi ».

(2) AA. Non pauci concedunt Ecclesiam supplere, quando jurisdictio est probabilis probabilitate *juris*, non vero *facti*. Ita Lacroix, l. c., n. 118; S. Alph., VI, n. 432 et 573, collato *Hom. Apost.*, Tract. I, n. 27 et Tract. XVI, n. 6; Lehmk., II, n. 388 (ed. 9ª); Bucceroni, apud *Analecta Eccles.*, 1898, n. 90; D'Annibale, *Summula*, III, n. 321 (ed. 4ª), qui tamen aliter loquitur ibidem, I, n. 80. Equidem, ubi jurisdictio est probabilis probabilitate *juris*, dubium non tangit *factum* concessionis, adeoque titulus habetur (saltem) coloratus, cum errore communi et probabili: et ultro cum ipsis consentimus Ecclesiam tunc supplere; sed non videmus cur id sit limitandum ad *solam* probabilitatem juris, exclusa probabilitate facti, modò dubium non feratur circa ipsum factum concessæ facultatis et sit dubium positivum objective et quoad se.

bati ab Episcopo loci (ergo sine titulo): et tamen error communis erat, secus non intelligitur eos in casu potuisse publice excipere confessiones sæcularium ». Cfr. etiam Lahousse, *De Pœnitentia,* n. 159. Quæ abunde sufficiunt ut dicamus probabilitatis limites non excedere sententiam docentem Ecclesiam supplere defectum jurisdictionis cum solo errore communi. (1)

*Conclusio summaria.* Ad quæstionem propositam, juxta præmissa, sic breviter respondetur: Sacerdos a legitimo superiori instructus jurisdictione

1°/ *negative dubia*, ea utatur vel non juxta triplicem distinctionem sub I factam;

2°/ *positive dubia* seu *probabili*, absolvere potest *in necessitate gravi*, conditionate tantum, et etiam *extra gravem necessitatem*, idque absolute, *quando constat de actu concessæ jurisdictionis* et dubium unice versatur circa valorem jurisdictionis vel extensionem aut extinctionem; sufficit adsit aliqua causa rationabilis. Ita practice absolvere posset, concurrente aliqua rationabili causa, sacerdos qui ab Episcopo certò recepit jurisdictionem, sed *positivo et objectivo dubio* dubitat utrum facultas collata vitio laboret irritante, utrum extendatur ad tale vel tale territorium, ad tale vel tale peccatum, utrum jam extincta sit jurisdictio necne.

A. D. S.

---

(1) « Arguunt quidem patroni contrariæ sententiæ ex identitate rationis, nempe utilitatis communis fidelium, quæ non minus urget, aiunt, in casu præsenti quam si cum errore communi concurrat titulus coloratus. — Attamen notabilis esse videtur differentia; nam ordinis publici interest multum quod nullus possit potestatem publicam exercere quin ab auctoritate competenti ad hoc fuerit commissus; secus principium auctoritatis in Ecclesia labefactaretur atque disciplina enervaretur, quod profecto utilitati communi multum noceret. Si vero adest titulus coloratus idem periculum metuendum non est, cum ab auctoritate competenti hujusmodi titulus fuerit collatus ac defectus ejus occultus, non tam in principium fundamentale societatis ecclesiasticæ quam in meram juris positivi ordinationem offendat ». Van den Berghe, l. c , n. 35.

## IV

Q. *Quænam inest efficacia satisfactioni sacramentali?*

R. Non agimus nisi de satisfactione, prout est in executione, relicta satisfactione prout est in proposito, seu quatenus importat bonam dispositionem pœnitentis, qua paratus sit accipere et exequi pœnitentiam imponendam: sub hac enim ratione ingreditur ipsam contritionem vel attritionem. Item solam attendimus efficaciam satisfactionis *qua talis*, seu quatenus est opus *satisfactorium* sacramentaliter impositum, neglecta efficacia ipsi competente quatenus est opus bonum et meritorium.

Porro satisfactio sacramentalis 1° est *vindicativa* ordinis turbati et eatenus *remissiva* pœnæ temporalis, 2° est *medicinalis*. Jam age

1°/ Qua *vindicativa* seu pœnæ *remissiva* restituit ordinem violatum et abstergit reatum pœnæ post remissam culpam relictæ, qui duplex effectus sola ratione distinguitur. Nimirum ordo per peccatum turbatus in peccatore confesso et absoluto plerumque nondum est ex integro restitutus, et *eatenus* reliquitur extinguendus reatus pœnæ temporalis ad ordinem penitus restaurandum.

Etenim « in peccato mortali sunt duo, scilicet aversio ab incommutabili bono et conversio ad commutabile bonum inordinata » et « aversio a Deo ibi est sicut formale, conversio autem ad bonum creatum est ibi sicut materiale ». S. Thom., III P., qu. 86, art. 4, in corpore et ad 1m. Ratione 1i peccator incurrit offensam, amittit gratiam et meretur pœnam damni æternam, ratione 2i meretur pœnam sensus, in quantum per ipsum est, temporalem. Cfr. S. Thom. in IV Sent., Dist. XIV, qu. II, art. 1°, sol. 2.

Inde eo ipso quod peccatori remittitur offensa et gratia restitituitur, tollitur quidem aversio a Deo cum

pœna damni et pœna sensus, qua æterna est, aversioni correspondente, sed ideo non necessario et semper tollitur inordinatio quæ est inducta a peccato quoad sui materiale, nec adeo relaxatur reatus pœnæ ibi adnexus; imo congruit ut aliter fiat, quia « justum est, juxta S. Thom. l. c., ut qui voluntati suæ plus indulsit quam debuit, contra voluntatem quid patiatur » etiam post remissam culpam seu offensam; quemadmodum illi qui alterius amisit amicitiam, aliquid ab eo injuste auferendo, optime potest recuperare amicitiam, quin liberetur a reparanda injustitia commissa. Cfr. S. Thom., in IV Sent., l. c.; Billot, *De natura et ratione peccati personalis*, p. 93-94; De San., *Tractatus de Pœnitentia*, n. 883.

Ita autem *de facto* obtinere in justificatione postbaptismali, nempe plerumque remanere dictam inordinationem cum reatu pœnæ hic vel in purgatorio luendæ, multipliciter eruitur e fontibus Revelationis (1), et signanter docetur a Concilio Trid., Sess. XIV, canone 12, ubi anathema dicit contra illum qui tenuerit « totam pœnam simul cum culpa remitti semper a Deo », tum etiam cap. 8°, ubi adduntur et rationes congruentiæ: « Sane et divinæ justitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante Baptismum per ignorantiam deliquerint; aliter vero, qui semel a peccati et dæmonis servitute liberati et accepto Spiritus Sancti dono, scientes templum Dei violare et Spiritum Sanctum contristare non formidaverint. Et divinam clementiam decet, ne ita nobis absque ulla satisfactione peccata dimittantur ut, occasione accepta, peccata leviora putantes, velut injurii et contumeliosi Spiritui Sancto in gravioria labamur, thesaurizantes nobis iram in die iræ ».

Jamvero abstergitur præfata inordinatio relicta et adeo

(1) Cfr. De San, l. c., n. 884 et seq.; Pesch., *Tract. dogmatici*, VII, n. 230 et seq.

reatus pœnæ temporalis ex illa sponte profluens, per *satisfactionem sacramentalem* (1), idque *duplici ratione:*

a/ *ex opere operantis,* quatenus ex eo quod consistat *in opere pœnali* et laborioso, juxta modò exposita, sponte sua habet ut auferat inordinationem residuam et pœnæ reatum, restituendo nempe Deo quod ab Ipso abstulit et auferendo a se quod sibi nimis indulsit (2). Hanc virtutem communem habet satisfactio sacramentalis cum satisfactione non-sacramentali.

b/ *ex opere operato*, quatenus ex eo quod sit opus pænale *sacramentaliter injunctum*, acquirit virtutem sibi propriam, qua citra meritum et opus operantis, pœnam valeat relaxare residuam. (3) Nimirum, quemadmodum per absolutionem elevatur confessio dolorosa peccatoris in titulum juridicum ad remissionem culpæ (*Collationes Brug.*, IV, p. 517), ita et satisfactio a confessario imposita et a pœnitente adimpleta per eamdem absolutionem (sive præcedentem sive sequentem) elevatur in titulum et jus ad inordinationis restaurationem et pœnæ relaxationem, independenter a merito subjectivo illam pœnitentiam exequentis. (4).

---

(1) Omnis satisfactio, positis ponendis, partialiter relaxat pœnam residuam, at sane non quælibet satisfactio etiam sacramentalis totum pœnæ reatum delet sed sola satisfactio reatui proportionata. Cfr. Suarez, Disp. XXXVIII, sect. 2, n. 6; cfr. et responsum ad V^m^ quæstionem.

(2) Cfr. S. Thom., Suppl III P., qu. 15, art. 1, in corpore: « Adæquatio in humana justitia attenditur per substractionem ab uno, qui plus habet justo, et additionem ad alterum, cui subtractum est aliquid : quamvis autem Deo, quantum est ex parte ejus nihil subtrahi possit, tamen peccator, quantum in ipso est, aliquid ei subtraxit peccando,... unde oportet, ad hoc quod recompensatio fiat, quod aliquid subtrahatur a peccante per satisfactionem, quod-in honorem Dei cedat. »

(3) Cfr. S. Thom., *quæst quodlib.*, III, q. 13, art. 28: « opus quod quis facit ex injunctione sacerdotis, dupliciter valet pœnitenti : uno modo ex natura operis, alio modo ex vi clavium Cum enim satisfactio a sacerdote absolvente injuncta sit pars pœnitentiæ, manifestum est quod in ea operatur vis clavium ; ita quod amplius valet ad expiandum peccatum, quam si proprio arbitrio homo faceret idem opus ».

(4) Inde colligitur satisfactionem merito dici *partem sacramenti* Pœnitentiæ, cum cooperetur ex opere operato ad effectum sacramentalem,

Ut autem satisfactio dictum effectum sortiatur *ex opere operantis*, communius ab Auctoribus requiritur ut fiat in statu gratiæ, censent nimirum impediri remissionem pœnæ temporalis ex opere operantis, non tantum per prioris culpæ perseverantiam sed et per novam culpam lethalem ante impletam satisfactionem supervenientem. (1)

Idem peccatum mortale censemus esse obicem quominus satisfactio sacramentalis post absolutionem adimpleta consequatur pœnæ relaxationem *ex opere operato*, ita tamen ut, obice remoto, reviviscat sacramentum quoad hunc effectum remissionis. Non enim videtur congruum quod alicui relaxetur pœna *temporalis* eo momento quo ipsum manet pœna *æterna;* quod tenet etiam Suarez, Disp. XXXVIII, sect. 8, n. 3: « cum remissio, ait, pœnæ temporalis sit effectus supernaturalis aliquo modo præparans hominem, seu removens impedimentum gloriæ, non est cur conferatur nisi ei qui est proportionatus ad gloriam et amicus Dei ». Contra De San, l. c., n. 930 contendit quod « satisfactio sacramentalis, in statu peccati mortalis exhibita, statim atque opere completa fuerit, h. e. adhuc perdurante statu peccati mortalis, operatur ad effectum remissionis pœnæ temporalis... ex opere operato ».

---

nempe ad pleniorem remissionem peccati; atvero non est nisi pars *integralis*, cum sine ipsa sacramentum remittat peccatum (quoad sui formale) etsi plerumque non complete et integraliter (quoad sui formale et materiale).

(1) Cfr. De San, l. c., n. 912 et seq. ubi vindicat communem doctrinam: « opera bona et pœnalia hominis existentis in peccato mortali non posse esse *de condigno* satisfactoria probant ex eo quod peccator condigne meretur amissionem omnis boni temporalis, quodque per consequens non potest condigne mereri bonum aliquod temporale, quia non potest in eo esse condignitas ad duo opposita, mereretur autem de condigno peccator aliquod bonum temporale, si de condigno posset satisfacere.... opera vero bona et pœnalia existentis in peccato mortali neque esse *de congruo* satisfactoria, probant ex eo quod nuspiam revelatum est Deum hac liberalitate uti erga peccatorem, ut ejus opera cum auxilio gratiæ facta velit acceptare ad satisfactionem », n. 913.

2°/ *Qua medicinalis*, præservat a peccato, tum ab eo avertendo, metu pœnæ, tum vulnera curando et principia peccati, per apti remedii applicationem, juxta Trident. l. c. : « Procul dubio, ait, magnopere a peccato revocant et quasi fræno quodam coercent hæ satisfactoriæ pœnæ, cautioresque et vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt; medentur quoque peccatorum reliquiis et vitiosos habitus, male vivendo comparatos, contrariis virtutum actionibus tollunt ».

Porro hujusmodi effectus satisfactioni sacramentali obtingit ex natura actus non vero vi clavium, uti mox adnotabitur.

*Nota*. Disputatur utrum satisfactio sacramentalis, prout est in executione, causet aut augeat gratiam *ex opere operato*, et, cum agatur de gratia sacramentali, utrum et peculiare jus conferat et ordinem ad gratias et auxilia specialia, puta in medicinam et curationem.

Affirmat Suarez, l. c., sect. II, n. 3, necnon Cajetanus, in commentario in S. Thom., ad III P., qu. 90, art. 2, ad 2$^{m}$, arguens ex differentia quæ intercedit inter satisfactionem sacramentalem et non sacramentalem, quatenus « satisfactio sacramentalis valet non solum secundum se, sed etiam ex virtute clavium ». Atvero optime videtur salvari prætenta differentia in diversa ratione modò explicata operandi *remissionem pœnæ temporalis*, ex solo opere operantis nempe et ex opere operantis simul et opere operato.

Non datur igitur sufficiens fundamentum ad vindicandam collationem gratiæ ejusve augmenti vi satisfactionis sacramentalis ex opere operato, quæ collatio gratiæ aliunde non requiritur ad effectum remissionis pœnæ temporalis, uti ostendit De Lugo, *De Sacramento Pœnitentiæ*, disput. XXV, n. 3 et seq. Ad textum autem S. Thomæ, III P., qu. 90, art. 2, ad 2$^{m}$, ad quem provocatur: « satisfactio confert gratiam prout est in proposito, et *auget eam* prout est in excutione », nescio cur non posset intelligi juxta IV Sent., Dist. XVI, qu. I,

art. 1, sol II, ad 3m, ubi eamdem ac in *Summa* difficultatem solvit dicendo: « ad tertium dicendum quod ex proposito satisfaciendi gratia confertur, quamvis satisfactio actualis gratiam præsupponat. Vel dicendum quod per satisfactionem consequitur pœnitens *perfectum effectum gratiæ peccatum abolentis quia liberatur totaliter a reatu peccati* » per extinctionem scil. reatus pœnæ.

Profecto potest dici satisfactionem conferre ad gratiæ augmentum hoc sensu, quod, si absolutionem præcedat, *negative disponit* pœnitentem, per remotionem obicis secundum quid ad gratiæ uberioris infusionem.

A. D. S.

V

Q. Quanta *satisfactio est injungenda a confessario? paucis explicando.*

R. A confessario injungenda est satisfactio *regulariter gravis* pro peccatis mortalibus nondum directe remissis, eaque eo gravior quo graviora et numerosiora sunt delicta; pro peccatis vero venialibus vel lethalibus jam a clavibus solutis *regulariter* sufficit injungatur *levis*.

*Explicatur*. Dicitur A/ *gravis* pro peccatis mortalibus nondum directe remissis et *levis* pro reliquis.

Etenim satisfactionis primarius finis est ordinem vindicare turbatum et reatum pœnæ residuum abstergere. Porro aptanda est per se injuncta pœnitentia gravitati vel levitati turbationis inductæ et pœnæ relictæ, quæ et ipsa regulariter consequitur gravitatem vel levitatem peccati commissi. Quamvis enim satisfactio sacramentalis, præter meritum operantis, conducat ad remissionem pœnæ ex opere operato, ejus tamen efficacia semper « mensuratur ex positiva Christi institutione; porro, sicut ex perpetua Traditione instruimur, Christi institutio in hoc sacramento proportionavit instrumentalem efficaciam satisfactionis quantitati impositæ pœnitentiæ ». Billot, *De Sacramentis*, II, p. 203.

*Gravis* autem censetur pœnitentia cujus materia æquivalenter correspondet operi ab Ecclesia sub gravi præcepto *ratione objecti;* ita Litaniæ Omnium Sanctorum, quinque decades Rosarii, auditio Missæ... Leve autem dicetur recitare Litanias Lauretanas, quinquies Pater et Ave. Dicitur « *ratione objecti* », et ita non videtur posse ea precum recitatio pro materia gravi statui, quæ recitationem privatam « parvæ horæ in officio divino » adæquet. Quanquam enim hæc in obligatione recitandi Breviarii gravis habetur, attendi debet, id non ex objecto solum in se spectato repeti, sed etiam ex eo quod Breviarii recitatio sit actio hominis publice deputati eaque nomine Ecclesiæ peragenda ». Lehmk., II, n. 357, in nota. Cfr. Dignant, *De Virtute Religionis*, n. 81.

Dicitur B/ « *regulariter* », quia *extraregulariter* et *per accidens*

1°/ Opportunius injungitur *gravis* pro levibus peccatis, quando nempe aliquod opus grave judicatur utile in peccati medicinam; satisfactio namque non est vindicativa dumtaxat sed et medicinalis, seu tendens ad novæ vitæ custodiam et infirmitatis medicamentum.

2°/ aliquando melius imponitur *levis* pro peccatis mortalibus. Duplici autem ex capite oriri potest allevationis opportunitas:

vel a/ ex eo quod, per intensiorem contritionem aut occasione v. gr. jubilæi per lucrandas indulgentias, prævie sit remissa vel remittenda magna saltem ex parte pœna residua, cum eo ipso præcipua ratio gravitatis evanescat;

vel b/ ex eo quod pœnitentis corporalis vel spiritualis infirmitas postulet pœnitentiæ mitigationem. Ita pueris et ægrotis passim minor indicitur pœnitentia. Item, si pœnitens prævidetur proportionatam satisfactionem non impleturus, vel per eam a confessione deterrendus, ratio est ab Auctoribus communiter admissa leviorem pœnitentiam injungendi. Cfr. S. Alph., VI, n. 508 et seq. Revera, uti apposite docet Antoine, apud S. Alph. l. c.,

« in hoc sacramento magis intenditur emendatio et salus pœnitentis quam satisfactio pro pœna »; melius est nempe ut recedat absolutus a culpa etsi pœna temporali onustus, quam reatui pœnæ et culpæ obnoxius; seu, verbis utendo Gersonii, apud eumdem S. Alph. relatis, « tutius est cum parva pœnitentia quæ sponte suscipitur et verosimiliter adimpletur, ducere confessos ad purgatorium, quam cum magna non implenda præcipitare in infernum ».

Jamvero pœnitentia pro debilitate peccatoris nimia vel impediet vel extinguet attritionem ad culpæ adeoque et ad pœnæ remissionem insupplebiliter necessariam (1). Cæteroquin et ipsum concilium Trident., Sess. XIV, cap. 8°, in hunc sensum moderatur confessarios, ut nempe « quantum spiritus et prudentia suggesserit, pro qualitate criminum et *pœnitentium facultate*, salutares et convenientes pœnitentias injungere » satagant.

Quæ dicta de satisfactione pœnitentis facultati adaptanda, maxime suam applicationem habent, quando agitur de infligenda pœnitentia peccatori, integram seriem peccatorum gravium confitenti. Si enim satisfactio, pro numero delictorum, stricta proportione esset adaugenda, intolerabile foret onus imponendum.

Caveant tamen confessarii ne facilius, quam par est, sibi putent allevandum esse onus pœnitentiæ injungendæ, « ne, si forte peccatis conniveant, et indulgentius cum pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur ». Conc. Trid. l. c. Quæ cæterùm nimia indulgentia ipsis noceret pœnitentibus, eosque fraudaret virtute peculiari adnexa satisfactioni, a sacerdote absolvente impositæ eoque ipso sacramentaliter elevatæ, uti supra dictum est in responso ad IV^m quæst.

*Nota*. Ad proportionem in præfatis adjunctis propius servandam inter satisfactionem et delicta confessa,

(1) Cfr. S. Thom., *quæst. quodlib.*, III, art. 28.

frequenter juvat, præter opus supererogatorium, in pœnitentiam irrogare opus, quod aliunde est debitum vel quod cognoscitur a pœnitente ex consuetudine sponte adimpleri. Cfr. S. Alph., l. c., n. 513; Suarez, Disp. XXXVIII, sect. VI, n. 5; De Lugo, *De sacramento Pœnitentiæ*, Disp. XXV, n. 67.

A. D. S.

## VI

Q. *Accurate determina sensum quem habet vox* « RELIGIO » *in Decretis Generalibus* de prohibitione et censura librorum.

R. In Decretis Generalibus de prohibitione et censura librorum, RELIGIO idem sonat ac *fides* seu *religio revelata;* imò ubique, excepto forsitan articulo secundo, voce illa designantur veritates fidei *catholicæ* vel aliæ disciplinæ quæ et quatenus ad catholicam doctrinam ordinem dicunt.

Dubium quod de sensu vocis « *religio* » in singulari quodam decreto moveri forsan posset, facile evanescit si universa lex in toto suo ambitu, una eum legislatoris scopo, consideretur. Quod ut appareat liquidò, sedulò conferamus varios legis textus in quibus vox illa prostat.

I. Art. 2. « Libri apostatarum, hæreticorum, schismaticorum et quorumcumque scriptorum hæresim vel schisma propugnantes, aut ipsa *religionis fundamenta* utcumque evertentes, omnino prohibentur ».

Plures quidem auctores *religionis fundamenta* intelligunt unice veritates ordinis naturalis, quæ adulto infideli fidei amplectendæ præambulæ sunt, quæque *omni* revelationi necessario substernuntur ; quales sunt existentia Dei, spiritualitas animæ, vis probandi miraculorum, etc.

Non tamen desunt qui *religionis fundamenta* interpretantur fundamenta religionis *catholicæ*, ideoque his verbis simul comprehendi censent præcipua ipsius fidei dogmata, puta divinitatem Christi, divinam Ecclesiæ

originem et auctoritatem, etc., quibus catholica religio tanquam fundamento innititur. Et re quidem vera, *religio* in sensu Ecclesiæ generatim intelligitur religio seu doctrina catholica, quam præsenti sua lege incolumem servare intendit Romanus Pontifex. Quapropter ea præprimis damnat opera, quorumcumque scriptorum, quibus religio catholica maxime in discrimen vocatur sive quia errores huic religioni adversos positive propugnant, sive quia alio quocumque modo, etiam irrisionibus, ipsa ejusdem religionis fundamenta evertere conantur. In subsequentibus autem paragraphis de aliis agitur libris qui, utpote ab acatholicis conscripti, catholicæ fidei periculum, etsi minus, gignere etiam nati sunt; videlicet:

II. Art. 3. « Item prohibentur acatholicorum libri, qui ex professo *de religione* tractant, nisi constet nihil in eis contra fidem catholicam contineri ».

Art. 4. « Libri eorumdem auctorum, qui ex professo *de religione* non tractant, *sed* obiter tantum *fidei veritates* attingunt, jure ecclesiastico prohibiti non habeantur, donec speciali decreto proscripti haud fuerint ».

Distincto igitur decreto statuitur 1° de acatholicorum libris, « qui *ex professo de religione tractant* », et 2° de libris eorumdem auctorum, « qui *ex professo de religione non tractant*, sed *obiter tantum fidei veritates attingunt* »; quo manifestum est idem sonare *religionem* et *fidei veritates*. Hi ergo libri ex professo de religione tractare intelligendi sunt, qui ex professo agunt de materiis quæ proxime fidei veritates attingunt, sive per se seu ratione sui argumenti, sive per accidens saltem quatenus ab hæreticis ad Ecclesiæ dogmata debilitanda adhibeantur. Quare sapienter, ob suspicionem falsi dogmatis, hujusmodi acatholicorum opera prohibentur, « nisi constet *nihil* in eis *contra fidem catholicam* contineri ».

III. Art. 21. « Diaria, folia et libelli periodici, qui *religionem* aut bonos mores data opera impetunt, non solum naturali, sed etiam ecclesiastico jure proscripti habeantur ».

Juxta sententiam longe communiorem « *religio* » hic intelligitur *fides catholica*. Hanc interpretationem omnino suadent tum verba, tum finis legis; nullumque in contrarium affertur argumentum vere solidum. Cf. nostrum *Commentarium*, n. 47, p. 65 ss.

IV. Tandem Art. 41. « Omnes fideles tenentur præviæ censuræ ecclesiasticæ eos saltem subjicere libros, qui divinas Scripturas, Sacram Theologiam, Historiam ecclesiasticam, Jus Canonicum, Theologiam naturalem, Ethicen, aliasve hujusmodi religiosas aut morales disciplinas respiciunt, ac generaliter scripta omnia, in quibus *religionis* et morum honestatis specialiter intersit ».

Vocem « *religionis* » in hoc decreto non secus ac in aliis de religione *catholica* accipiendam esse, præcipue eruitur ex scopo legislatoris. Hac legis dispositione cavetur ne libri catholicæ fidei moribusve christianorum nocivi in lucem edantur. Qua de re censuræ ecclesiasticæ subjiciuntur libri omnes qui religiosi aut moralis argumenti sunt ac generaliter scripta omnia qui ipsam causam fidei vel morum honestatis proxime attingunt; ulterius præscribitur ut Episcopi libris examinandis « spectatæ pietatis et doctrinæ viros adhibeant, de quorum *fide* et integritate sibi polliceri queant » (art. 38), utque censores « *Ecclesiæ sanctæ dogmata*, et communem *catholicorum* doctrinam... unice pro oculis habeant » (art. 39).

C. V. C.

# Evangelia Dominicarum

## Dom. III post Epiph.

—

*Sanatio leprosi, et servi centurionis.* Matth. VIII, 1-13. Cf. Marc. I, 40-45; Luc. V, 12-14; VII, 1-10.

***

Te dien tijde, 1 toen Jesus van den berg afgekomen was, volgden hem vele scharen. 2 En zie, een melaatsche kwam, en aanbad hem, zeggende: Heere! indien gij wilt, gij kunt mij reinigen! 3 En Jesus zijne hand uitstrekkende, raakte hem aan, zeggende: Ik wil! word gereinigd! En terstond was zijne melaatschheid gereinigd. 4 En Jesus zei tot hem: zie toe, dat gij het aan niemand en zegt! maar ga heen, vertoon u aan den priester, en offer de gifte, die Moyses geboden heeft, tot eene getuigenis voor hen.

5 Als hij nu te Capharnaüm ingegaan was, kwam tot hem een Hoofdman, die hem bad en zei: 6 Heere! mijn dienstknecht ligt te huis geraakt, en lijdt zware pijnen. 7 En Jesus zegt tot hem: Ik zal komen en hem genezen. 8 En de Hoofdman antwoordt en zegt: Heere! ik ben niet weerdig dat gij onder mijn dak inkomt, maar spreek alleenlijk een woord, en mijn dienstknecht zal genezen worden. 9 Want ik ben ook een mensch onder de macht *van anderen* gesteld, hebbende onder mij krijgsknechten; en ik zeg tot dezen: Ga! en hij gaat; en tot eenen anderen: Kom! en hij komt; en tot mijnen dienstknecht: Doe dit! en hij doet het. 10 Jesus nu, dat hoorende, was verwonderd, en zei tot die hem volgden: Voorwaar zeg ik u: zoo groot een geloof en heb ik in Israël niet gevonden. 11 Doch ik zeg u, dat velen van 't Oosten en 't Westen zullen komen en aanzitten met Abraham en Isaac en Jacob in het Rijk der Hemelen;

12 maar de kinderen des Rijks zullen uitgeworpen worden in de duisternissen daar buiten; aldaar zal geween zijn en knersing der tanden. 13 En Jesus zei tot den Hoofdman: Ga heen, en gelijk gij geloofd hebt, zoo geschiede u! En de dienstknecht is gezond geworden op die *zelfde* ure.

*
* *

## Notationes

### *A*. Sanatio leprosi.

« Exponatur 1° leprosi reverentia et humilitas: *procidens* etc.; 2° ejus fides et supplicatio: *Deprecabatur dicens: Domine, si vis* etc. 3° Christi benignitas: *volo* etc., et 4° potentia: *statim mundatus est.* 5° Leprosus, post recuperatam salutem, debet Templum adire et munus offerre: tunc demum licebit ei inter populum iterum vivere, et cum omnibus familiariter conversari. Hæc autem accommoda leprosis spiritualibus, i. e. peccatoribus: lepra enim, quæ morbus est gravissimus, et simul noxia contagione periculosissimus, necnon fœdissimus, peccatum mortiferum ejusque effectus apte denotat. Nunc autem, peccatores, ad exemplum istius leprosi, Jesum adire eumque cum reverentia et fiducia implorare debent. Jesus autem eos benignissime excipiet, et vi gratiæ suæ (puta in Sacramento Confessionis) sanabit. Isti deinde in Templis nostris, ad sacram mensam accedentes, munera eucharistica Deo offerent, atque in posterum communione sanctorum perfecta rursus fruentur » Van Steenkiste.

« Hoc miraculo curationis leprosi mystice docemur, eum qui lepra animæ infectus est, si sanitatis desiderio tenetur, imprimis sese humiliter et magna fide debere prosternere coram Jesu, a quo tamen sanitatem consecutus, non debet conscientiæ suæ judicio aut testimonio stare, aut temere se Sacramentorum communioni

ingerere, sed sacerdotis expectare judicium, et absolutionem, ac gratitudinem animi piis sacrificiis ac deprecatione gratiæ divinæ testari, quemadmodum hic leprosus fecisse hoc loco narratur...

Notandum autem et illud, quòd quanquam lepra mystice significet peccatum in universum, tamen ob certas causas specialiter intelligitur hæresis et doctrina mala... videlicet quòd in erronea doctrina, vera falsis sint permixta, quemadmodum in leprosis colorum est varietas. Deinde, quòd hæretici vitium suum abscondere non possint, sed pro summa peritia, imperitiam suam in lucem proferant, et jactantia sermonis ostentent. Postremùm, ob contagiosam pestem et corruptionem malæ doctrinæ e castris Domini recedentis » Jans. Gand.

### *B.* Sanatio servi centurionis.

« Animadvertendum hîc imprimis, quàm variæ fuerint et eximiæ virtutes hujus Centurionis, quæ hîc nobis in exemplum proponuntur.

*Primùm* enim in eo notantur *dilectio et eximia quædam humanitas*, quia servum adeo charum habuit, maloque ejus fuit tantopere motus, ac pro ejus sanitate adeo sollicitus. Bonorum enim dominorum est, ut cognoscentes se Dominum habere in cœlis, summa æquitate et humanitate suos servos pertractent, de quo monet Paulus Ephes. 6 et Colossen. 4. Videtur autem hic servus fuisse domino suo admodum fidelis et utilis, ut ob id singulariter de eo dictum sit (Luc. VII, 2): *qui illi erat* ἔντιμος, hoc est *pretiosus*, vel potius charus aut in pretio habitus. Proinde circa hunc implevit Centurio illud Sapientis: *Si est tibi servus fidelis, sit tibi quasi anima tua, quasi fratrem sic eum tracta.* Et: *Servus sensatus sit tibi dilectus quasi anima tua.*

*Secundò,* in eo notatur *humillima quædam submissio, et modestia.* Et *humilitas* quidem, quòd neque adire ipse Dominum, neque eum in suas admittere ædes fuerit ausus, agnoscens sese indignum Domini consortio, tum

quia gentilis erat, tum quia miles. *Modestia* vero quòd primis illis verbis quibus Dominum dicitur rogasse, tantùm malum suum et servi sui proponit, dicens: *Domine, puer meus jacet in domo* etc., non explicite addens quid a Domino petat, modestius certe orans quam præcedens leprosus, quamquam et ille singularem præ se tulit modestiam.

*Tertiò*, in eo notatur *incomparabilis fides*, quód non dubitarit, Dominum etiam absentem posse solo verbo restituere sanitatem servo quamlibet vicinum morti, imo jam animam agenti: hoc enim significatur dum dicitur: *erat moriturus*, hoc est, animam jam agebat, et morti proximus erat.

*Postremùm* notatur in eo admiranda quædam in gentili et milite *religio erga Deum*, non ab heri et nudiustertius, sed ab antiquo tempore, eò quòd dicatur diligere gentem Judaicam, et synagogam ædificasse Judæis, ut non possit putari religione accensum tùm primùm fuisse, cùm malo servi quem amabat afflictaretur, quemadmodum multis usuvenire solet. Id consideratum magis admirandam facit ipsius humilitatem, ut qui post tam magna beneficia populo Judaico collata, adhuc putavit se indignum esse aspectu Domini, et cum tam eximio Judæorum propheta non arbitrabatur sibi verba communicanda.

Ut autem his omnibus dotes hujus Centurionis observantur, ita rursum observandum ingenium Judaicum, in his qui missi a Centurione, sollicite Dominum rogabant pro illo, dicentes: *Dignus est, ut hoc illi præstes, diligit enim gentem nostram*, etc. His enim verbis declarant arrogantiam quamdam, et amorem potius sui, quàm Dei. Dicendum enim potius fuerat: Timet Deum quem et tu colis, quod amore et studio gentis et religionis nostræ declaravit. Nunc verò beneficium in ipsos collatum, dignum facere dicunt Centurionem cui præstetur quod petit, amorem sui declarantes, et arrogantiam, quasi qui illis benefecerit dignus esset cui Christus bene-

faciat. Hîc compara Centurionis orationem cum oratione Judæorum. Hi enim dignum eum pronunciant ob beneficia in ipsos collata: ille vero omnis pietatis suæ in Deum immemor, indignitatem verò suam tantùm ob oculos ponens, indignum se dicit, non solùm ut impetret, sed etiam ut ipsum adeat, et in domum recipiat.

Verùm ante omnia hîc *Christi exemplum*, propter quem hæc omnia scripta sunt, perpendendum, incomparabilis scilicet *bonitatis* et *humilitatis:* Etsi enim Ethnicus esset, cujus negotium agebatur, et pro humili servulo rogaretur, et essent legati non satis apti oratores, præsertim apud Christum, ut oratio ipsorum satis probat, tamen illicò non tantùm sanitatem exorari passus est, sed et invisere Ethnici servulum volebat, idque sine mora. Nam ita scribit Lucas: *Jesus autem ibat cum illis*. Quid queat fingi et benignius et facilius? Ad filium reguli sanandum cum rogaretur ut descenderet, et bis rogaretur, descendere noluit: ad servum Centurionis sanandum, cum sciret id Centurionem non petere, ultro adire voluit, hoc ipso declarans, illum sua præsentia dignum, qua se putavit Centurio indignum: ostendens item suam erga pauperes benignitatem, ac docens, non contemnendos eos qui humilis sunt conditionis. Hîc tamen et alia est ratio quare se Dominus mox obtulit, ut adiret domum Centurionis, nimirum ut ejus fides turbis declararetur. Quòniam enim qui missi erant seniores Judæorum, rogabant Dominum ut descenderet, intelligi non potuisset fides Centurionis, nisi Dominum venientem per alios ab ingressu Centurio prohibuisset » Jans. Gand.

## Conclusio

« Non sine mysterio factum est ut istud miraculum curationis servi Centurionis contingeret, et a Matthæo describeretur post superius. Illic enim Judæus, fide non mediocri præditus, assecutus sanitatem describitur: hic vero beneficium describitur exhibitum Ethnico, qui

præter alias virtutes, fide etiam præstantiore fuit insignis. Ille enim sibi sanitatem quærebat, hic servo: ille coram existentem credidit se posse sanare, hic etiam absentis verbo hoc tribuit. Ille ex animi submissione in faciem procidens, insigni profectò modestià oravit: *Si vis, potes me mundare;* hic adhuc submissius egit, indignum sese ducens qui vel ipse Dominum appellaret, aut ad se venire sustineret. His sane adumbratum fuit, Evangelicam gratiam Judæis primùm ex promissione offerendam, nec defuturos qui illam per fidem acceptarent: sed mox multo cumulatiore cum fructu transferendam etiam ad gentes de quo et ipse Dominus horum occasione mox monuit. Et bene quidem lepra sanatur in Judæo, paralysis verò in Gentili. Nam Judaicus populus veluti lepra laborabat, quòd ex parte sanus esset, ex parte languidus. Gentilis verò populus veluti paralysi laborabat, lecto decumbens, et jam proximus morti, quia nihil in eo sanum, sed omnia ægrota erant et dissoluta. Jam quòd leprosum præsens sanat Dominus, domum autem Centurionis corpore non intravit, sed absens corpore, præsens majestate puerum ejus sanavit, significabat, eum in solo Judaico populo corpore fore, apud alias verò gentes corporaliter non conversaturum, et tamen implendum quod dictum erat (Ps. 17): *Populus quem non cognovi servivit mihi, auditu auris obedivit mihi.* His convenit quod seniores Judæorum causam Centurionis Domino commendant, eumque ad domum illius adducunt, quem erant e templo suo profligaturi; nam hoc typus erat, à Judæis et Judæorum opera Evangelicam gratiam profecturam ad gentes » Jans. Gand.

G. V. D. P.

# Ordo Missæ

SEU

## precum et ceremoniarum Missæ interpretatio

—

*(Sequitur. — Cfr. suprà pag. 613.)*

—

40. VI° Præfatio ASCENSIONIS Dni.

*Qui post resurrectionem suam omnibus discipulis suis manifestus apparuit, et ipsis cernentibus est elevatus in cœlum, ut nos divinitatis suæ tribueret esse participes.* Scil. Christus ascendit in cœlum ut illud, hucusque clausum hominibus, nobis aperiret, ibique nos *divinitatis suæ* i. e. gloriæ ac beatitudinis divinitati propriæ *participes* redderet. Equidem « passio Christi est causa nostræ ascensionis in cœlum, proprie loquendo per remotionem peccati prohibentis et per modum meriti; ascensio autem Christi est directe causa ascensionis nostræ, quasi inchoando ipsam in capite nostro, cui oportet membra conjungi » (1); dicente Domino: « Accipiam vos ad meipsum, *ut ubi ego sum et vos sitis* » Jo. XIV, 3.

41. VII° Præfatio PENTECOSTES.

*Qui ascendens super omnes cœlos sedensque ad dexteram tuam.* Hac metaphorica dictione pluribus in locis utitur Scriptura, loquens humano more et ad nostros descendens conceptus, ut significet summum honorem, gloriam ac dignitatem quam consecuta est Christi humanitas in cœlis. Repræsentatur igitur Christus quà homo elevatus in gloria super omnes cœlicolas, seu ut loquitur Apost. Eph. I, 21, « super omnem principatum, et virtutem, et dominationem, et omne nomen quod nominatur non

---

(1) S. Thom. part. 3, q. LVII, art. 6 ad 2m.

solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro »; quasi illa omnia transcendat altissime *sedens a dextris Dei*. (1) — *Promissum Spiritum Sanctum hodierna die in filios adoptionis effudit.* « In filios adoptionis » i. e. in Apostolos et discipulos suos, quibus promiserat sese post discessum suum missurum Spiritum Paracletum, Spiritum veritatis (Jo. XVI), et qui hic vocantur *filii adoptionis* utpote per redemptionem Christi in pristinam dignitatem filiorum Dei restituti; juxta illud *Gal.* IV, 4 sqq.: « Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret, ut adoptionem filiorum Dei reciperemus. Quoniam autem estis filii, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem: Abba Pater ». Cfr. *Rom.* VIII, 15-17.

*Quapropter profusis gaudiis totus in orbe terrarum mundus exultat.* « Hæc Spiritus sancti effusio in discipulos totum genus humanum non abs re ingenti gaudio lætificat. Nam per eam cœpta est evangelicæ legis salutarisque doctrinæ promulgatio et apostolica denuntiatione totius mundi ad Christum reductio, ut paulo post ex Judæis et gentilibus factum sit unum ovile sub Christo uno pastore. Salus igitur toti mundo annuntiata per missionem Spiritus sancti in apostolos merito materiam profusioris gaudii in Domino toti mundo ministrat » (2).

42. VIII° Præfatio SS^mæ^ TRINITATIS.

*Qui cum Unigenito Filio tuo et Spiritu Sancto unus es Deus, unus es Dominus: non in unius singularitate personæ, sed in unius trinitate substantiæ.* Hisce enuntiatur mysterium altissimum SS^mæ^ Trinitatis; tres personæ divinæ, Pater, Filius et Spiritus Sanctus dicuntur *unus Deus*, utpote habentes unam eamdemque essentiam seu substantiam: una est substantia, non verò una seu

(1) Cfr. A Lapide, in *Coloss.* III, 1; Sylvius, in part. 3, q. LVIII, art 3.
(2) Clichtov. l. c.

singularis persona, sed in unitate substantiæ subsistit trinitas personarum. Quæ unitas essentiæ divinæ tribus personis communis evolvitur verbis sequentibus:

*Quod enim de tua gloria, revelante te, credimus, hoc de Filio tuo, hoc de Spiritu Sancto sine differentia discretionis sentimus.* Quidquid ex divina revelatione novimus et credimus de gloria Patris, putà quod sit immensus, æternus, omnipotens et ita de cæteris divinis perfectionibus substantialibus, idem confitemur et de Filio et de Spiritu Sancto, nec sub hoc respectu ullam ponimus inter tres personas differentiam aut discrepantiam.

*Ut in confessione veræ sempiternæque deitatis, et in personis proprietas, et in essentia unitas et in majestate adoretur æqualitas.* Ita fit, ut dum confitemur fidem in Deum verum et æternum, agnoscamus *in personis proprietatem*, seu cuique personarum esse suam singularem proprietatem qua alia est Pater seu generans, alia Filius seu genitus, alia Spiritus Sanctus seu spiratus sive procedens; *in essentia unitatem,* nimirum tribus illis personis esse unam et identicam essentiam seu naturam; et *in majestate æqualitatem,* scil. illas tres personas esse perfectione coæquales, nec aliam alia esse majorem aut perfectiorem.

43. IX° Præfatio B. M. Virginis.

*Et te in... Beatæ Mariæ semper Virginis collaudare, benedicere et prædicare. Quæ et Unigenitum tuum Sancti Spiritus obumbratione concepit.* Alluditur ad verba Angeli Gabriel ad Mariam (Luc. I, 35): « Spiritus Sanctus superveniet in te et virtus Altissimi obumbrabit tibi »; quibus notum fecit castissimæ Virgini quòd sine cooperatione viri ac proin sine detrimento suæ virginitatis, conciperet, ex miraculosa operatione divinæ potentiæ. Porrò cum quævis operationes divinæ ad extra sint communes tribus personis SS^mæ^ Trinitatis, sequitur quod incarnationem Verbi, quamvis terminata sit ad solam Verbi seu Filii Dei personam, efficienter operata sit tota SS^ma^ Trinitas. Nihilominus appropriatur Spiri-

tui Sancto « quia amor, gratia, sanctitas, quæ illi attribuuntur, maxime in isto opere eluxerunt » (1).

*Et virginitatis gloria permanente, lumen æternum mundo effudit, J. Ch*m, *D*m *N*m. Non tantum in conceptione sed et in partu, Maria virginitatem illæsam servavit, juxtà illud Isaiæ VII, 14: « Ecce virgo concipiet et pariet filium ». — « Quo modo solis radii concretam vitri substantiam penetrant, neque frangunt tamen, aut aliqua ex parte lædunt: simili, inquam, et altiori modo Jesus Christus ex materno alvo, sine ulla maternæ virginitatis detrimento, editus est... Quod quidem Spiritus Sancti virtute effectum est, qui in filii conceptione, et partu, matri ita affuit ut ei et fœcunditatem dederit, et perpetuam virginitatem conservaverit » (2).

Hac igitur præfatione Ecclesia Deum laudat ob Mariæ divinam maternitatem ejusque perpetuam virginitatem.

44. Xo Præfatio Apostolorum.

*Æquum et salutare, Te Domine, suppliciter exorare ut gregem tuum, Pastor æterne, non deseras, sed per Beatos Apostolos tuos continua protectione custodias. Ut iisdem rectoribus gubernetur, quos operis tui vicarios eidem contulisti præesse pastores.*

Hæc sola præfatio dirigitur, non ad Deum Patrem, sed ad Jesum Christum, qui vocatur *Pastor æternus;* ipsemet enim in Evangelio de se dicit: *Ego sum Pastor bonus* etc. *Grex* autem ejus est multitudo fidelium, in Ecclesia catholica quasi in uno ovili coadunatorum. « Petit itaque hæc præfatio quòd ipse bonus pastor gregem suum catholicum non derelinquat, aut suo destituat præsidio, sed per Apostolos, tanquam cooperatores ipsius in custodia gregis et coadjutores, illum assidua conservet protectione: ut ipse grex dominicus iisdem Apostolis rectoribus gubernetur, quos ut vicarios operis

(1) Sylvius *in part. 3, q. XXXII*, art. 1 — et vid. S. Thom. *ibid.*
(2) *Catech. Conc. Trid.* in art. 3m Symb. Apost.

sui, utpote gregis pascendi, ipse pastor æternus ordinavit ac sanxit debere præesse pastores eidem gregi » (1).

*(Sequetur).*

H. V. D. B.

# Fabriques d'église

## Séance légale du mois de Janvier

Aux termes de l'article 10 du décret du 30 Décembre 1809, les conseils de fabrique doivent s'assembler en réunion ordinaire le dimanche, 7 Janvier prochain.

Après avoir pourvu, s'il y a lieu, au remplacement des membres décédés, démissionnaires ou sortis pour toute autre cause, les fabriciens s'occuperont des objets soumis à leurs délibérations.

Ils rappeleront, si besoin est, aux marguilliers, et spécialement au trésorier, les devoirs qui leur incombent, à savoir de veiller à ce que toutes les réparations des bâtiments soient bien et promptement faites (art. 41), de renouveler les baux qui seraient échus ou près d'échoir (art. 60), etc.

# E S. R. Univ. Inquisitione

**Dubium circa revalidationem matrimonii, sublato impedimento.**

*Bme Pater,*

Amalia protestans non baptizata, nupsit Joanni protestanti baptizato: durante matrimonio, Amalia baptizata fuit in Protestantismo et vixit cum marito per aliquod tempus. Decursu temporis ipsa certior facta est illicitos foveri amores

(1) Clichtov. l. c.

Joannem inter et certam mulierem. Quapropter ipsi valedixit, et brevi post, a tribunali civili obtinuit divortium ex *capite adulterii* ex parte mariti. Nunc autem Amalia postulat licentiam contrahendi secundas nuptias cum viro catholico.

Notandum quod protestantes non recognoscunt matrimonium inter baptizatum et non baptizatum esse nullum.

Quibus positis, Archiep. N. N. ad pedes S. V. provolutus, humiliter quærit:

Posita ignorantia nullitatis matrimonii *ex capite disparitatis cultus*, conversatio maritalis Amaliæ cum Joanne revalidavitne matrimonium post baptismum Amaliæ?

## *Fer. IV, die 8 Maii 1899.*

In Congregratione Generali coram EEmis ac RRmis DD. Cardinalibus in rebus fidei et morum Inquisitoribus Generalibus habita, proposito suprascripto dubio, præhabitoque RR. DD. Consultorum voto, iidem EE. ac RR. Patres respondendum mandarunt:

Prævio juramento ab Amalia in Curia N. N. præstando, quo declaret matrimonium contractum cum Joanne post baptismum ipsius Amaliæ, ab iisdem, scientibus illius nullitatem, ratificatum non fuisse in loco ubi matrimonia clandestina vel mixta valida habentur, et dummodo R. P. D. Archiepiscopus moraliter certus sit de asserta ignorantia sponsorum circa impedimentum disparitatis cultus, detur mulieri documentum libertatis ex capite ipsius disparitatis cultus.

Sequenti vero Fer. V, die 9 ejusdem mensis et anni SSmus D. N. Leo Pp. XIII, per facultates Emo Cardinali hujus Supremæ Congregationis Secretario impertitas, resolutionem EE. ac RR. Patrum adprobare dignatus est.

I. Can. Mancini, *S. R. et U. Inquis. Not.*

# INDEX

—

## Documenta Romana

Pag.

Constitutio Apostolica de legibus, juribus ac privilegiis sodalitatis a SS. Rosario (2 Oct. 1898) . . . . 1

— Excerpta quædam ex litteris SS. D. N. Leonis XIII ad Ministrum generalem Ordinis Fratrum Minorum (25 Nov. 1898) . . . . . 112

— Litteræ Apostolicæ SS. D. N. Leonis XIII ad Card. Gibbons (22 Janv. 1899) . . . . . 193

— Indictio universalis Jubilæi Anni Sancti 1900 (11 Maii 1899). . . . . 410

— Litteræ Encyclicæ de hominibus sacratissimo Cordi Jesu devovendis — Formula consecrationis — (25 Maii 1899). . . . . 416

— Lettre encyclique de S. S. le Pape Léon XIII aux Archevêques, Evêques et au clergé de France (8 Sept. 1899). . . . . 557

*
* *

**Ex S. Rom. et Univ. Inquis.** — Dubia circa deputationem ad assistendum matrimoniis fidelium (7 Sept. 1898) . 116

Circa quasi-domicilium (9 Nov. 1898) *(cum adnotatione)* . . . . . 182

Circa licentiam ab Ordinario consessam ad assistendum matrimonio (9 Nov. 1898) *(cum adnotationibus)*. . 244

Circa validitatem Baptismi collati per modum unctionis in fronte (14 Decemb. 1898). . . . . 312

Circa dispensationem matrimonialem in duplici casu consanguinitatis multiplicis (22 Febr. 1899) . . . . 422

Circa revalidationem matrimonii, sublato impedimento (8 Maii 1899). . . . . 666

**Ex S. Congr. Indulgentiarum.** — Conceduntur indulgentiæ pie legentibus S. Evangelium (13 Dec. 1898) . 177

Dubia varia de confraternitatibus SS. Rosarii (10 Aug. 1899) . . . . . 618

Non sustinetur extensio indulgentiarum psalmi *Exaudiat* ad Tertiarios sæculares S. Francisci (29 Aug. 1899) *(cum adnotationibus)* . . . . . 621

Quandonam fieri debeat ecclesiæ visitatio et recitandæ sint preces ad lucrandas indulgentias plenarias præscriptæ (2 Jan. 1899) . . . . . 623

**Ex Sacra Congr. Rituum.** — Decretum *Congregr. SS$^{mi}$ Redemptoris,* 18 Martii 1898, quo declaratur cuidam

Pag.

precum formulæ recitandæ, in congressibus Archiconfraternitatis à S. Familia nuncupatæ, non obstare decreta à S. R. Congr. edita circa publicam litaniarum recitationem . . . . . 53

Monita S. C. R. 5 Aug. 1898 quoad missas lectas in sacellis sepulcreti et distantiam quæ intercedere debet inter altare et cadavera in cœmeteriis vel ecclesiis sepulta *(cum adnotatione)*. . . . . 118

Decretum *in Brugen.* 13 Januarii 1899, quo extenditur ad diœcesim Brugensem facultas publice recitandi vel cantandi litanias de Sacro Corde Jesu. Subjicitur textus litaniarum approbatus et decretum *in Massilien.* 27 Junii 1898 quo præfatæ litaniæ approbantur et earum publicus usus diœcesibus Massiliensi et Augustodunensi indulgetur . . . . . 178

Decretum 23 Januarii 1899 super Oratoriis semipublicis. . . . . 181

Dubium 27 Januarii 1899, utrum liceat pulsare organa in cantu Præfationis et Orationis Dominicæ? . . 313

Decretum *Urbis et Orbis* 2 Aprilis 1899, quo conceditur ut litaniæ SS. Cordis Jesu, ubique, tum privatim, tum publice recitari et decantari valeant . . . . . 363

Decretum *in Vicentina* 11 Martii 1899 quo respondetur in reditu ad sacristiam, absolutione ad tumulum expleta, dicendam esse ant. *Si iniquitates* cum psalmo *De profundis* et Oratione *Fidelium*, — *(cum adnotatione)* . 364

Decretum *in Vicentina* 11 Martii 1899 denuo vulgatur correctum *(cum adnotationibus)* . . . . . 484

Decretum 12 Junii 1899, quo rescribitur, pro paupere defuncto missam exequialem lectam, loco cantatæ, celebrari posse, sub iisdem clausulis et conditionibus quibus missa cum cantu conceditur *(cum adnotatione)* . 486

Litteræ de Cultu Sacratissimi Cordis Jesu amplificando. 21 Julii 1899. . . . . 551

**Ex S. Congr. Indicis.** — Dubium circa constitutionem *Officiorum ac munerum* (1 Sept. 1898). . . . . 56

**Ex Secretaria Brevium.** — Oratio quædam pro conversione franco-muratorum ditatur indulgentia 100 dierum (11 Aug. 1898) . . . . . 114

—

## Documenta episcopalia

Acta Congregationis Prosynodalis die 16 Maii 1899 Brugis habitæ. . . . . 369

## Meditationes theologicæ

Pag.

Meditationes theologicæ ab Illmo ac Revmo Episcopo Brugensi G.-J. Waffelaert clero suo dicatæ *(sequetur)*. 10
129, 204, 257, 433, 497.

—

## Conferentiarum quæstiones et responsa

### *Ex S. Script. Veteris Testam.*

Exponitur quomodo charitati non adversetur precatio Nehemiæ IV, 5 . . . . . 18

Explanatur Nehem. V, 5 . . . . . 138

A mendacio vindicatur assertio angeli Raphaël *Tob.* V, 7, 18; VII, 3 . . . . . 213

Quid in libro Judith IV, 2, 3 veniat nomine *defensionis;* an et quâ ratione factum Simeonis laudabile et à Juditha laudatum fuerit . . . . . 268

Ostenditur ex libris Esdræ et Nehemiæ infirmari potius quam confirmari sententiam Pentateuchi mosaici integritatem negantium. . . . . 384

Vindicatur agendi ratio Judith erga Holofernem, qualis exponitur *Judith* IX, 13; X, 2, 3; XII, 12-14. . 447

Probatur rectè fecisse reginam Vasthi, dum Assuero, se ad convivium vocanti, non paruit. *Esth.* I, 12. . . 510

Dijudicatur agendi ratio Mardochæi. *Esth.* III, 2 . . 581

### *Ex S. Script. Novi Testam.*

Explanatur Jo. I, 3 . . . . . 66

» » I, 11 . . . . . 210

» » I, 14 . . . . . 270

» » III, 13 . . . . . 322

» » III, 17, coll. V, 22, 27; IX, 39 . . 381

» » VI, 64 . . . . . 445

» » IX, 2, 3. . . . . 585

» » XV, 13, coll. *Rom.* V, 6-10. . . . 630

### *Ex Theologia Dogmatica.*

Ex Tractatu de Gratia.

Demonstratur actus salutares esse *entitative* supernaturales . . . . . 19

De necessitate gratiæ ut homo lapsus totam legem naturalem adimplere valeat . . . . . 69

Pag.

Exponitur quænam sit impotentia moralis qua laborat homo lapsus relate ad vincendas tentationes. . . 139

Componitur assertum de impotentia morali hominis lapsi ad observandam totam legem naturalem cum vera doctrina de libertate humana. . . . . 215

Exponitur et demonstratur gratiam esse omnino gratuitam . . . . . 274

Exponitur et demonstratur hominem non posse viribus naturæ se ad gratiam positive disponere. . . . 325

Exponitur qua in re consistat essentia justificationis. 386

Exponitur et demonstratur Spiritum Sanctum non esse causam formalem nostræ justificationis . . . . 450

Exponitur an, cur et quænam dispositiones requirantur ad justificationem . . . . . 512

Ex Tractatu de Verbo Incarnato.

Demonstratur in Verbo Incarnato esse unicam personam et duas naturas inconfusas et integras. . . . 589

Demonstratur B. M. V. vere dici et esse Dei Matrem. Quædam ex illa thesi indicantur corollaria . . 633

*Ex theologia morali.*

Ex Tractatu de SS. Eucharistia.

Exponitur notio Transubstantiationis . . . . . 148

Ex verbis « Hoc est enim Corpus meum... » eruitur conversionem fieri totius substantiæ panis et vini in Corpus et Sanguinem Christi. . . . . 152

Explicatur qua ratione in SS. Eucharistia vere nutriamur Corpore et Sanguine Christi . . . . . 220

Solvitur casus violati præcepti Trid., sess. XIII, cap. 7 . . . . . 225

Quæritur utrum qui mane communicavit, possit vel debeat eadem die, subitò ingruente mortis periculo, viaticum recipere. . . . . 278

Quæritur utrum, qui tempore paschali ad S. Synaxim accedere non potest, teneatur communicare postea, et an satisfaciat præveniendo. . . . . 282

Traditur notio sacrificii in genere. . . . . 327

Explicatur in quo consistat essentia Sacrificii Missæ. 330

Inquiritur circa intentionem et attentionem requisitas ad satisfaciendum præcepto audiendi Missam . . 338

Ex Tractatu de Pœnitentia.

Evolvitur notio necessitatis medii et præcepti. . . 389

Pag.

Ex verbis institutionis (Joan. XX, 22 seq.) eruitur qualis sit necessitas sacramenti Pœnitentiæ . . . . 391

Ex Jo. XX, 22, 23, ostenditur sacramentum Pœnitentiæ esse institutum in modum judicii . . . . . 455

Solvitur quædam difficultas contra honestatem attritionis proponi solita. . . . . 457

Explicatur quomodo peccata jam directe remissa maneant materia sacramenti Pœnitentiæ . . . . . 516

Disputatur de circumstantiis peccati in confessione exponendis. . . . . 518

Quæritur utrum ab integritate materiali confessionis excuset infamia tertii apud confessarium incurrenda . 523

Determinatur potestas necessaria ministro sacramenti Pœnitentiæ. . . . . 595

Resolvitur ubinam et quosnam pœnitentes sæculares valide absolvere possit confessarius non regularis in diœcesi Brugensi admissus . . . . . 599

Quæritur de usu jurisdictionis *dubiæ*. . . . . 639

Disputatur circa efficaciam satisfactionis sacramentalis . . . . . 645

Determinatur quantitas satisfactionis injungendæ . 650

Quæritur an et quare simplex sacerdos *valide* absolvit a reservatis in articulo mortis. . . . . 32

Solvitur casus procurationis abortus, quoad reservationem . . . . . 22

Solvitur casus adulterii, quoad reservationem ejusque absolutionem indirectam a communi confessario . . . 26

Disputatur circa confitendum peccatum dubie commissum, aut dubie reservatum, aut uti dubium jam in confessione declaratum. . . . . 74

Quæritur quandonam valide et licite sacerdos absolvat complicem suum in peccato turpi . . . . . 77

Quæritur quibusnam et quanam sub pœna incumbat onus denuntiandi confessarium sollicitantem ad turpia. 83

Indicatur modus reconciliandi hæreticos adultos cum Ecclesia. . . . . 142

## *Ex jure canonico.*

An et quænam ignorantia excusat ab incurrendis censuris? . . . . . 36

Quid ex parte *delicti* requiritur ad censuras incurrendas? . . . . . 154

Quibusnam in casibus, et sub quibusnam conditioni-

Pag.

bus potest simplex confessarius, extra mortis articulum, absolvere a censuris R. P. reservatis? . . . . . 230

Solvitur casus circa censuras latæ sententiæ . . . 341

Quid in Const. « *Officiorum ac munerum* » statuitur de libris acatholicorum? . . . . . 460

De editone et usu versionum et commentariorum S. Scripturæ a catholicis confectorum . . . . . 526

Quænam edicuntur de scriptis obscenis vel bonis moribus adversis? . . . . . 603

Determinatur sensus vocis « *religio* » in Decretis de prohibitione et censura librorum. . . . . 653

*Ex S. Liturgia.*

Quandonam licet administrare baptismum extra ecclesiam vel baptisterium? . . . . . 86

Quænam requiritur ratio ut parvuli *plures simul* baptizenter solemniter et quomodo in casu procedendum? 285

Quales debent esse hostiæ consecrandæ et quoties renovandæ sunt SS. Eucharistiæ particulæ? . . . . 394

—

## Evangelia Dominicarum

*ad usum homiliticum explicata.*

*Dom. IV post Epiph.* Tempestas sedata. Matth. VIII, 23-27. . . . . 40

*Dom. I post Pentec.* Nolite judicare. Luc. VI, 36-42 . 90

*Dom. VII post Pentec.* De falsis prophetis, et de facienda voluntate Dei. Matth VII, 15-21 . . . . . 158

*Dom. IX post Pentec.* Jesus Jerosolymæ cladem prædicit, negotiatoresque è templo ejicit. Luc. XIX, 41-47. 234

*Dom. XII post Pentec.* Præceptum de dilectione. Parabola de Samaritano. Luc. X, 23-37 . . . . . 289

*Dom. XIV post Pentec.* Cavenda servitus Mammonæ ac inordinata sollicitudo rerum temporalium. Matth. VI, 24-33 . . . . . 345

*Dom. XVIII post Pentec.* Sanatio paralytici. Matth. IX, 1-8 . . . . . 398

*Dom. XXII post Pentec.* De tributo Cæsari solvendo. Matth. XII, 13-17 . . . . . 464

*Dom. VI post Epiph.* Parabola de grano sinapis ac de fermento. Matth. XIII, 31-35. . . . . 530

*Dom. IV Adventus.* Joannes Baptista pœnitentiam prædicat, atque baptizat. Luc. III, 1-6. . . . . 606

Pag.

*Dom. III post Epiph.* Sanatio leprosi, et servi centurionis. Matth. VIII, 1-13 . . . . . 656

—

## Dissertationes

Du cautionnement des trésoriers des fabriques d'église. . . . . 47, 102 et 168

*Ordo Missæ* seu precum et cæremoniarum Missæ interpretatio *(sequetur)* . . . . . 97
163, 240, 295, 352, 404, 469, 536, 613, 662

De scapularibus conficiendis: de scapularium involucro et de modo scapularia plura uniendi. . . . . 174

Quænam indulgentiæ juxta decretum *Delatæ sæpius* possint lucrifieri pluries de die . . . . . 299

Adnotantur quædam circa *Casum Apostoli* . . . . 542

—

## Fabriques d'église

Séance légale du mois de Mars — Remarques pratiques sur la confection des comptes . . . . . 109

Séance légale du mois d'Avril. . . . . 256

Séance légale du mois de Juillet . . . . . 428

Séance légale du mois d'Octobre — Circulaires ministérielles du 2 Août 1898 et du 5 Avril 1899, prescrivant des mesures en vue de préserver les édifices de l'humidité, et de conserver les tableaux placés dans les églises . . . . . 482

Séance légale du mois de Janvier 1900 . . . . . 666

—

## Jurisprudence administrative

Les communes ont droit de recours contre les budgets des fabriques d'église. — Il appartient à la fabrique de faire les réparations, lors même que la commune est appelée à intervenir dans la dépense. *Observations sur l'arr. roy. du 28 Oct. 1898* . . . . . 57

Legs fait à la fabrique au profit d'une confrérie. — *Observations* . . . . . 120

Le produit des offrandes faites par les pèlerins ne doit pas être porté en recette au compte de la fabrique. A. R. du 26 Janv. 1899. . . . . 184

Les communes peuvent allouer aux vicaires, à titre de suppléments de traitement, des indemnités de logement. A. R. du 4 Mars 1899 . . . . . 310

Pag.

Il est défendu d'exécuter sans autorisation des travaux supplémentaires aux édifices du culte. Circ. gouv. de la Fl. Occ. du 27 Mars 1899 . . . . . 425

La donation à la fabrique d'une maison, à condition qu'elle serve de presbytère, ne libère pas la commune de son obligation de pourvoir au logement du curé. A. R. du 15 Juin 1899 . . . . . 554

—

## Jurisprudence des Cours et Tribunaux

De l'obligation absolue des communes de fournir aux curés ou desservants un logement convenable. Arrêt de Bruxelles du 11 Mai 1898 et jugement du tribunal de Nivelles du 15 Mai 1899 . . . . 62 et 627

Inhumation non autorisée ou tout au moins précipitée. Jugement du trib. corr. d'Ypres du 2 Févr. 1899. 249

Application de l'art. 5 de l'arr. roy. du 16 Août 1824, portant défense de disposer sans autorisation des objets d'art placés dans les églises. Arrêt de Gand du 23 Déc. 1898 . . . . . 359

Règlement des funérailles — interprétation de la volonté du défunt — compétence du juge des référés. Ordonnance du prés. du trib. de Bruxelles du 1 Avril 1899. . . . . 476

Outrage à un ministre du culte dans l'exercice de son ministère (art. 145 du cod. pén.). Jugement du trib. corr. de Huy, du 16 Juin 1899 . . . . . 625

—

## Consultationes

An celebrans caput detectum habere debeat, dum cantatur Responsorium *Libera me Domine* et aspergitur vel incensatur feretrum vel tumulus in absolutione post missam defunctorum faciendam ?. . . . . 63

Circa nominationem Rectoris Congregationis B. M. V. atque receptionem novorum sodalium . . . . . 123

Le bourgmestre peut-il, en vertu de son droit de police, empêcher les habitants de placer des cierges allumés sur les tombes, surtout lorsque cet usage donne lieu à des abus ? . . . . . 126

Solvuntur tria dubia circa casuum reservationem. . 127

An pro benedicendis nuptiis dicenda sit missa votiva *pro sponso et sponsa* diebus quibus permittitur, casu quo nupturientes non suppeditant eleemosynam et celebrans applicat sive pro defuncto, sive in honorem alicujus mysterii vel sancti ? . . . . . 185

Pag.

A qui appartient un ancien presbytère? — Quelle est la nature du droit de curé qui l'habite? . . . . . 189

An benedictio nuptialis impertienda sit conjugibus, qui post matrimonium sine benedictione contractum, cohabitaverunt? . . . . . 254

Utrum missæ fundatæ pro die indeterminata mensis haberi possint uti vera anniversaria et pro his cantari possit *missa de Requie* ut in anniversario? . . . . . 313

Quelle est la marche à suivre pour substituer un cautionnement en numéraire à une garantie hypothécaire? . . . . . 317

Utrum ad excommunicationem incurrendam, sufficiat novisse delictum censuræ obnoxium esse reservatum . 368

Utrum monendus conjux incestuosus de amisso vel amittendo jure petendi debitum conjugale. . . . . 429

Par qui et à quel taux doivent être rétribués 1° les services funèbres prescrits à la mort du Souverain Pontife, du Roi, de l'Evêque? 2° les *Te Deum* célébrés annuellement? . . . . . 489

L'oncle et l'époux de la nièce peuvent-ils en même temps être membres du bureau des marguilliers? . . 489

Le curé peut-il retenir une part des honoraires revenant aux prêtres étrangers qui officient dans les funérailles? . . . . . 490

Circa Baptismum proli illegitimæ conferendum . . 556

—

## Libri dijudicati

*Commentarius in Const. « Officiorum ac munerum »* (Auct. C. Van Coillie) . . . . . 192

*Prælectionis juris regularis*, auctore Fr. Piato. . . . 318

*Guide pratique du trésorier*, par E. Dijon . . . . . 320

*Ontleding* en *Woordenboek* van den *Catechismus* des bisdoms van Brugge, door P. Baes. . . . . 491

*De quarti Evangelii Auctore*, dissertatio inauguralis Rdi Dni Camerlynck. . . . . 493

*Juris canonici et canonico-civilis compendium*, auctore De Brabandere, edit. 6a opera C. Van Coillie. . . . 495

GTU Library
3 2400 00271 9551

Collationes Brugenses

v.4
1899

CBPaG

v.4
1899

25282

GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY
BERKELEY, CA 94709